Institutiones chirurgiae rationalis tum medicae tum manualis in usus discentium. Variis nonnullorum ferramentorum aliarumque rerum quae ad chirurgi officinam pertinent, aeneis iconibus illustratae / Accedunt in hac Veneta editione dissertationes duae eiusdem auctoris, olim iam editae, scilicet: De chirurgia artis medicae parente, et De fistula lacrymali.

Contributors

Platner, Johann Zacharias, 1694-1747.

Publication/Creation

Venetiis : Ex typographia Jo. Baptistae Albritii Hieronymi filii, 1747.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/u4rnew6a

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

4.497/c/1

3. 80 SO

H VII. Pla

Coll. Ogle
Mr. J. Tuke's Copy
of J. Taylor



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30416401

IO. ZACHARIÆ PLATNERI

DOCTORIS ET PROFESSORIS MED. LIPS.

INSTITUTIONES CHIRURGIÆ RATIONALIS

TUM MEDICÆ TUM MANUALIS

IN USUS DISCENTIUM.

VARIIS NONNULLORUM FERRAMENTORUM
ALIARUMQUE RERUM QUÆ AD CHIRURGI
OFFICINAM PERTINENT,

ÆNEIS ICONIBUS ILLUSTRATÆ.

Accedunt in hac Veneta editione Dissertationes duæ eiusdem Auctoris, olim iam editæ, scilicet

DE CHIRURGIA ARTIS MEDICÆ PARENTE,

ET

DE FISTULA LACRYMALI.



VENETIIS, MDCCXLVII.
EX TYPOGRAPHIA
Jo: Baptistæ Albritii Hieronymi Filii.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

FRANCISCO BERTIO

VIRO CLARISSIMO

JO: BAPTISTA ALBRITIUS HIER. FILIUS

S. D.

Si nulla mihi tecum, præstantissime Vir, amoris atque observantiæ coniunctio esset, attamen res ipsa monebat, ut Opus hoc editurus tibi potissimum inscriberem, & a nomine tuo, inter Medicos & Chirurgos tam illustri, auspicia ducerem. Quid enim significat titulus hic, Chirurgiæ rationalis, tum medicæ, tum manualis, *nisi illud ipsum quod tu tanta cum laude profiteris, iisque omnibus profitendum prædicas qui alterutra in parte excellere cupiunt? Vel a te* Platnerus, *vel tu ab illo, vel uterque a veteribus Artis magistris, seu potius ab ipsa rei natura & veritate didicistis, externas internasque corporis partes sibi respondere, multisque similibus morbis tentari; ut propterea nec Chirurgus Medica facultate, nec Chirurgica Medicus, modo*

explere munus ſuum velint, ex toto carere debeant. Sed id quidem ſatis dilucide Platnerus *ipſe in Operis præfatione explicuit. Illud vero non explicuit, quod tamen inter doctos abunde conſtat, nec Medicum, nec Chirurgum eminere in Arte poſſe, ſi ſe intra anguſtos patriæ fines tota vita contineat, nihilque cognoſcere ſtudeat niſi ſuum. Divino prorſus conſilio & providentia factum eſt, ne regio omnis omnia ferret, ut homines qui aliorum ſalutem & felicitatem curandam ſuſciperent, ſcirent orbem totum ſibi patriam eſſe, & omnia undique colligerent, quæ, quum opus foret, pro ſuſcepto inſtituto, ſuis civibus largirentur. Itaque tu, abſoluto in Patavina Academia ſtudiorum curſu, Bononiam convolaſti, teque ſummis eius Gymnaſii viris Albertino, Molinello, Stanchario, & illi ipſi qui nunc ſummi Pontificis valetudinem curat, Marco-Antonio de Laurentiis, in diſciplinam tradidiſti. Mox Galliam quoque tibi viſendam exiſtimaſti, quod ſermonibus apud nos increbuiſſet, in iis regionibus potiſſimum Chirurgicam induſtriam per nova inventa dominari. Ibi vero quot tibi ex utroque genere & magiſtros & amicos comparaſti, nominis fama & operibus editis longe celeberrimos? Tum ad Anglos & Batavos migraſti, ut, Cheſeldenos, Charpos, Albinos, Meyeros, qui provinciam Medicam & Chirurgicam ſcriptis illuſtrarunt, de ſtudiorum tuorum ratione conſuleres, tibique reliquum vitæ*

tempus familiaritate & litterarum commercio coniungeres. Liceat Artes illas quæ in meditando positæ sunt, domestica in umbra colere; (quamquam veteres Philosophi ne meditationes quidem suas edebant, nisi prius ad Philosophos alios profecti, cum iis communicarent) sed liceat tamen: at quod opera, coniectura, observatione exercendum est ad hominum vitam & valetudinem tuendam, nec uno in loco addisci potest, nec a magistro uno, quamvis sit ex illis, qui per libelli sui formulas Doctores gignunt. Maius aliquid fortasse mihi sumo, quam Bibliopolæ conveniat: sed consilii mei rationem constare volo, ne quis putet, quum librum hunc ad te instituí, tuoque nomine ornavi, quippiam mihi animo proposuisse præter veritatem & officium. Perge, Vir doctissime, in hoc veræ laudis curriculo; mihique aliquid ex penu tuo para, quod aliis inscribam. Vale.

PRÆFATIO AUCTORIS.

IN ea opinione me ſemper fuiſſe profiteor, neminem ne illis quidem morbis, qui interiores corporis partes infeſtant, et quorum curatio a ſolis medicis requiritur, ſcienter ac perite mederi poſſe, niſi ea vitiorum genera quæ chirurgi ſibi vindicant, habeat perſpecta et pertractata. Quæ enim in variis corporis ſedibus extrinſecus incidunt, et quæ oculis cernuntur, attrectatu ſentiuntur, eadem fiunt in partium internarum viſcerumque valetudinibus; non tam ſenſu in ſingulis morborum generibus, quam coniectura, ex collatis pluribus indiciis percipienda. Iſtorum autem morborum, quibus internæ partes afficiuntur, natura, mutatio, eventus omniſque curatio, quæ vel artis beneficio fieri ſolet, vix aliter in notitiam venire poteſt, quam diligenti obſervatione vitiorum quæ chirurgiæ auxilia deſiderant, et omnium rerum quæ in horum decurſu atque varia curatione, incidere conſueverunt. Hoc vel ſeverioribus diſceptatoribus ex facili poſſet probari, ſi jam conſiderationem in inflammationem intendere et demonſtrare vellem; illam, ſi in externis ſedibus orta fuerit, febrem movere, qua vel diſcutiatur, vel ſuppuratione finiatur, eamque, ſi male cedat, in gangrænam, ſcirrhum, ulcus, fiſtulam, carcinoma degenerare. Morbi enim interiorum partium, qui ex iiſdem converſionibus naſcuntur, nomine ac ſede magis, quam natura ſua, ab his quæ extrinſecus fiunt, differunt. Quapropter omni tempore artem ſalutarem diſcentibus magnopere auctor fui, ut hanc vetuſtiſſimam ejus partem, chirurgiam, cujus ceteroquin profectus evidentiſſimus eſt, diligenter excolerent, atque per ejus notitiam ad recte medendi peritiam contenderent. Etiam inter ceteras artis diſciplinas

illam ſæpius diſcentibus, tum medicinæ cultoribus, tum aliis, in hac urbe chirurgiæ operam dantibus, expoſui, in eaque doctrina ſemper cum aliqua voluptate ſum verſatus. Sed plures fortaſſe exiſtimabunt, mancam fuiſſe hanc doctrinam, propterea, quod in hac urbe ſatis idonea facultas experimentorum hujus efficacioris, quæ manu fit, medicinæ faciendorum in valetudinariis non detur: in omni autem diſciplina, quæ non ſola ratione atque intelligentia contineatur, ſed uſu diſcatur perficiaturque, vel maxime neceſſaria videantur experimenta. Per hæc enim illam medendi rationem in valetudinariis diſci poſſe, quæ, cum ægrotantibus vario morbo conflictantibus affluentiſſima ſint, magiſtros plerumque habeant peritiores, et qui multo uſu atque fere quotidiana exercitatione majorem in ſecando dexteritatem ſint conſecuti, ut horum non ſolum inſtitutione, ſed etiam exemplo, proficere poſſint tirones. At enim vero, quamquam, ſi verum ſine ambitione fatendum eſt, inficiari non poſſum, hæc efficacioris medicinæ experimenta apud nos non ita frequentia eſſe; haud tamen crediderim, ob id omnem harum rerum doctrinam ſupervacaneam eſſe et inutilem. Nam altera illa chirurgiæ pars, quam medicam vocamus, et quæ, impoſitis medicamentis, plurimum præſtat, quæ etiam ad vulnera, a chirurgo facta, omnem victus et medicamentorum intus dandorum rationem dirigit, optime docetur ab iis, qui non ſolam anatomen norunt, ſed qui omnia, quæ ad hominis, tum recte valentis, tum adverſa valetudine oppreſſi, naturam attinent, habent perſpecta, nec medicamentorum, tum ſimplicium, tum varia arte compoſitorum, facultates ignorant. Quam neceſſaria ſit hæc chirurgiæ pars, illis obſcurum non eſt, qui interdum ægros viderunt ſcalpello dextre et feliciter

curatos, ſed poſtea, ubi inflammatio concitata fuerat, ſanguinis miſſione vel neglecta, vel immoderatius facta, aut alienis a morbo medicamentis, aut cibo pleniori potioneque valentiori, ad mortem præcipitatos. Nihil commemoro de varii generis tumoribus, qui nec ſcalpellum manumque, ſed medicamenta poſtulant, quibus id quod intumeſcit, vel reprimendum, vel diſcutiendum, vel, ſi ad ſuppurationem ſpectat, digerendum emolliendumque eſt. Nam, ſi hæc medicamenta, non diverſis illorum generibus, et variis etiam quæ in his curationibus ſunt, temporibus accommodantur, illa omnia exaſperare, et ſæpe immedicabile malum afferre poſſunt, cum et alii tumores ſint, qui, quod in ſe ipſis aliquid corrupti habent, veluti cancer, omnibus auxiliis, tum ſcalpello, tum medicamentis, irritantur. Quid? quod inter illas curationes, quæ manu ferramentiſque fiunt, magnum diſcrimen eſt. Sunt quædam, quæ, cum in iis multa genera atque tempora periculi ſint, non niſi uſu atque longa exercitatione perdiſcuntur, inter quas fere prima eſt, qua calculus ex veſica, ſi huic innatus eſt, educitur. Inter ceteras autem plures ſunt, quæ a quovis, cui partium quibus ſuccurrendum eſt, natura, et reliqua aliunde cognita ſunt, etiam nullo præeunte magiſtro, ad ægrotantes poſſunt adhiberi. Et nemo ignorat, etiam inter Pariſienſes chirurgos, qui, præ aliis omnibus, docti et rerum ſuarum experti ſunt, admodum paucos eſſe, qui, inciſa veſica, calculum protrahere audeant. Nec ad illas arduas curandi vias (operationes vocant) aditus fieri poteſt ſola imitatione magiſtri atque exercitatione; ſed etiam vel maxime neceſſaria eſt notitia ipſius noxæ, cui mederi volumus, et cauſarum tum evidentium tum abditarum, nec non

omnium quæ incidere poſſunt. Parum ſæpe proficiunt tirones, qui hanc medicinæ partem a magiſtris accipiunt, qui, uſu tantum edocti, aliquando intra paucas hora omnem chirurgiæ doctrinam exſequuntur. Plurimum autem ab his illi diſcere poterunt, ſi, dum eos accedunt, animum accuratiori omnium illarum rerum notitia habeant præparatum atque præcultum. Nihilominus tamen mihi, omnibuſque qui artem ſalutarem in hac Academia vel profitentur vel diſcunt, in votis eſt, ut olim chirurgiæ major honos habeatur, et occaſio naſcatur, qua illa etiam apud nos in valetudinario per experimenta poſſit addiſci. Sed vero, cur has Inſtitutiones ſcripſerim, eaſque in lucem ediderim, jam paucis, Lector benevole, accipies. Chirurgiam docenti defuit libellus, qui utramque chirurgiam, tum medicam, tum manualem, dilucide et in compendio exponeret. Ut igitur diſcentes dictorum memoriam brevi repetitione reficere poſſent, has theſes conſcripſi, quæ poſtmodum ab his multoties tranſcriptæ, et ob id etiam mendoſiores factæ fuerunt. Has vero ita diſpoſui, ut, ab inflammatione, quam cum plurimis noxis, et cum vulneribus etiam quæ a chirurgo fiunt, eſſe oportet, orſus, hac quaſi manu ducente ad ejus ſupra commemoratos effectus et ea quæ hos conſequuntur, fuerim progreſſus; qui deinceps vulnerum, tumorum, ulcerum, fiſtularum varia genera, oſſium etiam morbos exſecutus ſum; et alia quædam vitia addidi, quæ ſingularem quæ manu fit, curationem poſtulant. Reliquorum enim morborum expoſitioni mox efficaciorem medendi rationem ſubjunxi; id quod vel ideo magis opportunum viſum fuit, quod, ſi illæ curationes, vel ſic dictæ operationes ſeorſim traduntur, ſæpe neceſſe eſt, tironum

animos ad memoriam jam alibi explicati morbi revocare. Et nemo ignorat, doctrinæ varietatem discentium animos quasi reficere, atque ad majorem attentionem cogitationemque excitare. Commemoravi etiam optimos auctores, præcipue eos, qui de morbis quibusdam, et variis eas curandi viis, singulari studio commentati sunt. Hoc autem velim omnes tenere et scire, me scripsisse tironibus, non excellentibus in arte Professoribus, nec peritis atque exercitatis Magistris, quibus in hoc libello plura leniora, et vix commemoratione digna, videbuntur; quæ tamen, discentium in gratiam, vel ex anatome, vel ex aliis disciplinis repetenda fuerunt. Hoc vel ex iis intelligi poterit, quæ sub finem de partu naturali proposita leguntur. Prima enim laus doctoris, qui rudes et omnium rerum ignaros bonas artes disciplinasque docet, mihi semper visa fuit perspicuitas, et adhibita diligentia, ne ea quæ levia et minora videri possint, omittantur. Cum vero jam ante plures annos hunc laborem his thesibus conscribendis impendissem, et harum Institutionum quasi primas lineas duxissem, jam tum plures me hortati sunt, ut illas in publicum ederem. Obtulit se etiam Nobilissimus Vir, mihique, dum viveret, amicissimus, CASPARUS FRITSCHIUS, qui necessarios sumptus se suppeditaturum promisit. Igitur statim ab illo tempore quædam plagulæ typis exscribi cœperunt. Sed, cum et ægrotantium curationes et alia negotia nimis me occupatum habent, interdum etiam adversa valetudo incidit, plurium sæpe mensium mora est illata. Tandem, cum laudatissimus Fritschius ante aliquot menses diem supremum obiisset, hæredes me de perficiendo hoc libello urgere non destiterunt; quæ postulatio tam æqua et honesta mihi visa est, ut

illi reſiſtere haud potuerim. Sed vero eo ipſo tempore in miſerum diuturnumque morbum incideram, quo per plures menſes adeo intabui, ut mihi, ad omnem rem omneque ſtudium minus idoneo, magis de vitæ, quam de hujus libelli, exitu atque fine fuerit cogitandum. Cum vero tamen promiſſa exigerentur, iiſque ſatisfacere cuperem, petii a Viro Excellentiſſimo et omni eleganti doctrina perpolito, JUSTO GODOFREDO GUNTZIO, in Academia noſtra Anatomiæ et Chirurgiæ Profeſſore Extraordinario, ut ſummam manum opuſculo imponeret, idque ſibi, ſi parente ſuo orbaretur, adoptaret; id quod ab eo, qui ſemper mei amantiſſimus fuit, et me ſingulari benevolentia proſecutus eſt, facile impetravi. Huic debes, Lector, ea, quæ ad varias calculoſos curandi vias, et ad omnem hujus curationis hiſtoriam, quam longam accuratamque præmiſit, attinent. Hæc, magno labore ex optimis auctoribus compoſita, quam pulchra ſint, ipſe legendo deprehendere poteris. Interea, cum meæ valetudinis gravitas ſe paululum remitteret, et ego me aliquantum allevatum ſentirem, ipſe iterum hunc laborem ſuſcepi, et pauca quæ poſt calculoſorum curationem ſequuntur, inter corporis ægritudines debilitateſque perfeci. Dum vero jam hoc opuſculum in publicum emittitur, id abs te petitum impetratumque volo, ut omnia, et ea etiam quæ emendatione quadam egent, æqui et boni conſulas. Multa enim corrigere poſſem, ſi, quæ ante aliquot annos typis expreſſa fuerunt, jam ſcribenda eſſent; id quod vel ex Diſſertatione quam, ſi Deus vitam dederit, propediem de Hydrocele proponam, clarum erit. Sunt etiam, in quibus per errorem lapſum eſt, cujus rei exemplum legitur in §. 831. cum quo §. 848. conferri poteſt. Ani-

mus erat, quaſdam correctiones emendationeſque, ſub finem libelli addere, et alia quoque adjicere quæ ab illo tempore, quo hæ theſes literis mandatæ ſunt, a præſtantiſſimis auctoribus fuerunt prodita; ſed, tum a feſtinante propter nundinas typographo, tum a gravi tenacique morbo, qui, dum hoc ſcribo, recrudeſcere videtur, prohibeor. De adjectis tabulis et ferramentorum, aliarumque rerum quæ ad chirurgi officinam pertinent, iconibus, illud moneo, eas in Celeb. HEISTERI et GARENGEOTI libris deſiderari. Longe plura ſunt ferramenta, a recentioribus reperta, quæ addi potuiſſent; ſed cura habenda fuit, ut a diſcentibus minore ſumptu libellus parari poſſit; quorum utilitatibus ſi ille inſervire poterit, ego magnum laboris mei fructum tuliſſe mihi videbor. D. Lipſiæ d. XXII. Maji MDCCXLV.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione ed Approvazione del P. F. *Paolo Tommaſo Manuelli* Inquiſitore di Venezia, nel Libro intitolato: *Joannis Zachariæ Platneri &c. Inſtitutiones Chirurgiæ Rationalis* non vi eſſere coſa alcuna contro alla ſanta Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contra Principi e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giambattiſta Albrizzi q. Gir.* Stampatore di Venezia, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 7. Gennaro 1745.

(Gio: Emo Proc. Riformator.
(Z. Alviſe Mocenigo 2°. Riformator.
(Zuanne Querini Proc. Riformator.

Regiſtrato in libro a carte 18. al numero 137.

Michiel Angelo Marino Seg.

Regiſtrato al Magiſtrato Eccell. contro la Beſtemia.

Franceſco Gadaldini Seg.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Tab. I.

Fig. I. Turundarum genus, quod Galli *les Meches* appellant, & quo in curationibus fiſtularum, quæ ad anum ſunt, potiſſimum utuntur. §. 20, 1009.

II. Pilæ, ſeu glomi minores, Gallis *Pelottes*. In herniarum curationibus imponuntur vulneri. §. 21, 839.

III. Glomus major, Gallis le *Gateau*, imponitur, poſtquam membrum præciſum fuit. §. 21, 239.

IV. Minores glomi, quibus, ſi calvaria modiolo exciſa fuit, foramina implentur. §. 21, 563, 2, 571.

V. Linteolum cæſitium, cujus ora in fila reſoluta eſt, quod, loco turundæ, in pectoris vulnera demittitur. §. 22, 639.

IX. Minora inſtrumenta, ex argento, quæ cuſpides acutas ex chalybe habent. Ea WOOLHOUSIUS ſcarificatoria vocabat, quæ extenuandis leucomatis, aliiſque cicatricibus corneæ, adhiberi poſſunt. §. 319, 320.

Tab. II.

X. Machina SENFFII pro comprimendo Aneuryſmate. §. 432.

a) Cochlea, qua mediante pila

b) apprimitur tumori.

cc) ferrei unci, quibus lora,

dd) quæ brachium comprehendunt, innectuntur.

Tab. III.

VI. N. 1, & 2. Lanceola, cujus cuſpis incurva eſt. Apta eſt aperiendis in oculo puſtulis ardentibus. §. 228, & 310.

VII. Torcular, quod apud nos B. HAGEMEYERUS conſtruxit. §. 237*.

XI. Acus major ampliorque ex argento, arteriæ in Aneuryſmatis curatione vinciendæ idonea, a PETITO inventa. §. 438.

Tab. IV.

XII. Forceps, qua officulum ejicitur, ſi calvaria modiolo exciſa fuit, a SHARPIO delineata. §. 562*.

VIII. Ferramentum, quo nonnulli utuntur ad oras foraminis modiolo facti circumradendas, loco ſcalpelli exciſorii, qui retuſus lenticulam habet. §. 562.

XVII. Syringotomus SENFFII. §. 954.

Tab. V.

XIV. Ferramentum extrema ſua parte inciſum, quo linguæ frenulum excipitur, ut tuto poſſit incidi. §. 607.


XV. Aliud Inſtrumentum, eidem chirurgiæ aptatum, cui ſcalpellus minor, elatere movendus, affixus eſt. v. c. l. §. 607.

XVI. Scalpellus anceps, in cuſpide glebulam habens, ampliandis pectoris vulneribus idoneus. §. 637.

Tab. VI.

XIII. Inſtrumentum, quo uterque oculus comprimitur. §. 589, 754.

XVIII. Machina reponendo humero accommodata. §. 1175.



PROLEGOMENA

DE

CHIRURGIÆ DEFINITIONE,

EJUS CUM MEDICINA NEXU, ET MEDICI ATQUE CHIRURGI IN CASIBUS CHIRURGICIS OFFICIO.

§. 1.

CHirurgia proprie & ex etymo eſt illa Medicinæ pars, quæ manu curat. Seu quæ hominis ſanitatem tuetur morbiſque medetur manu ac medicamentis, quæ exterius corpori admoventur.

§. 2.

Sanitas conſiſtit in integritate omnis actionis vitalis, naturalis, animalis, humanæ. Si hæ actiones non recte fiunt, varia morborum genera naſcuntur. Omnibus medetur Chirurgia, frequentiſſime autem noxis partium ſolidarum externarum.

§. 3.

Chirurgi curant manu & nuda, & variis inſtrumentis ar-

mata. Illi vero ſibi a longo tempore vindicant etiam tumorum, vulnerum, ulcerumque curationes *a*, quæ ſolis medicamentis fiunt. Dividitur igitur Chirurgia in medicam & manualem.

a Vid. CELSUS Lib. VII. Præf.

§. 4.

Et medica dividitur. Nam ad eam pertinet non ſolum cognitio omnium medicamentorum, quæ variis ſedibus corporis, ſi vitio laborant, imponuntur, ſed etiam eorum, quæ intus ſumuntur, omniſque victus ratio, quem his curationibus accommodari oportet. His enim pericula, quæ ægris ex variis rebus imminent, propulſantur, & ipſa chirurgica curatio non parum juvatur.

§. 5.

Ea curandi ratio, quæ manu fit, medicamenta recte imponit *b*, & manu, ferro, igne, varioque ferramento & machinamento dimota jungit (συνθεσις) concreta dividit (διαιρεσις) quæ intus hærent educit (ἐξαιρεσις) quæ vitiata ſunt vel abundant aufert (ἀφαιρεσις) alia adponit (προσθεσις) quæ loco ſuo non ſunt & detorta reponit (διορθωσις) *c*.

b Exempli loco eſſe poteſt tempus, quo variæ compoſitiones, quæ imponi ſolent, mutari debent. Cataplaſmata & epithemata quarta vel quinta quaque hora mutari decet: Et, ſi æger non ſatis ſtragulis tectus eſt, atque in aere frigido decumbit, citius. Unguenta & Emplaſtra per XII. aliquando XXIV. horas ſuperhaberi queunt. Infra de vulneribus dicetur ſæpe multum ad eorum curationem conferre raram deligationem. Si vero illa alieno humore, pure, ichore, lotio, fecibus, bile, & ſimilibus multum inquinantur, linteamina & medicamenta ſæpius mutari oportet.

c Vid. GOURMELENUS, qui vero διορθωσιν & προσθεσιν ad συνθεσιν, ἀφαιρεσιν ad διαιρεσιν retulit.

§. 6.

Chirurgia cum Medicina ita connexa eſt, ut ex toto ſeparari non poſſint *d*. Neceſſe itaque eſt, ut Medicus & Chirurgus, ſi ægrorum ſanitas quærenda eſt, concorditer agant, ne in diverſas curandi vias procedant *e*.

d Vid. SCRIBONIUS LARGUS Compoſ. 200. p. 109. Herophili & Eraſiſtrati temporibus Medicina in tres partes diducta fuit, vide CELSUM Præf. Lib. I. conf. Præf. Lib. VII.

e Optandum eſt, ut illa acerrima & ex inimicitiis orta controverſia, quæ in Gallia inter Medicos & Chirurgos agitatur, tollatur. Fungantur utrique ſuo officio. Medici majorem diligentiam adhibeant ediſcendis rebus Chirurgicis, ſine quarum notitia nec Chirurgicis curationibus præeſſe, nec aliorum morborum cauſas, ut decet, noſſe queunt. Chirurgi deſiſtant ab

illa arrogantia, qua omnium periculoſiſſimorum morborum curationes, nec iis exceptis, quæ in internis corporis partibus conſiſtunt, ſibi ſumunt. Utrumque ægrotantibus ſæpe pernicioſum & funeſtum eſt. Voluntatum Conſiliorumque facilis conſenſio eſt inter expertum prudentemque Medicum & modeſtum rerumque ſuarum peritum Chirurgum. Intolerabilis Medico eſt Chirurgorum ſæpe ignorantiſſimorum inconſiderata temeritas, arrogantiſſima de rebus ſuis perſuaſio, & odioſa alienæ doctrinæ affectatio. Nec minus moleſta eſt cordato Chirurgo Medici inurbani rudis ac indocti imperioſa dictatura.

§. 7.

Medicus, qui præeſſe vult curationibus chirurgicis, omnium rerum, quæ ad hanc medendi rationem pertinent, gnarus ſit, neceſſe eſt. Debet pharmaca intus ſumenda, victuſque rationem ſolus, reliqua auxilia, in conſilium vocato Chirurgo præcipere. De ipſa efficaci medicina, num hac opus ſit, & num illa ſine majori ægrotantis diſcrimine adhiberi poſſit, & qua methodo utendum ſit, præterea de temporis etiam & loci opportunitate decernere, omnemque inſtrumentorum & faſciarum apparatum diligentius examinare. Præter hæc omnia debet ægro animum addere, & ei, ut Chirurgo confidat, perſuadere, hunc, ſi opus eſt, officii ſui admonere, conſiliiſque adjuvare, & ſemper cum hoc laborum ſocio amice ac fideliter vivere.

§. 8.

Qui Chirurgiæ operam dare vult, Anatomen ſummo ſtudio diſcat, & crebrius defunctorum cadavera incidat, manuſque ſecando exerceat. Non ſolum vero oportet noſſe ſingularum partium poſituram, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, lævorem, confractum, proceſſus denique ſingulorum & receſſus, quæ omnia patefiunt Anatome *a*, ſed etiam ſingularum partium tum ſolidarum, tum fluidarum, naturam, mutationes, effectus & ſymptomata. Præterea haud ignorare oportet rerum non naturalium, conſuetudinis etiam ad morbos gignendos, alendos, tollendoſque miram efficaciam.

a Laudabilem operam præſtitit PALFINUS, qui Anatomen Chirurgiæ accommodavit & Obſervationibus illuſtravit.

§. 9.

His præcognitis artem diſcat a magiſtro illam docente; legat optimos autores infra nominandos; ſtudeat etiam medicamentariæ. Oportet vero prius noſſe ſimplicia, horumque proprias facultates, poſt vero progredi ad compoſitiones. Has, quia

ſæpe ex pluribus & ſibi contrariis conſtant, mutare cuilibet, qui earum vires cognitas habet, facile eſt.

§. 10.

Non ſola autem doctrina, ſed exercitatio, facit Chirurgum. Tiro itaque magiſtros duces ſequatur, qui artem cum laude in magna urbe, aut in valetudinario, in quo frequentes ægri decumbunt, exercent. Efficacem Chirurgiam primo crebrius in demortuorum cadaveribus imitetur, poſt præſente magiſtro, veluti monitore, illam in viventium corporibus tentare poterit. Semper a curationibus, quæ ex facili fiunt, veniendum eſt ad arduas & periculorum plenas.

§. 11.

Chirurgum, qualis cæteroquin is eſſe debeat, CELSUS *a* deſcripſit. Cum in ægrotantium ſalutem ſæpe triſtiora adhibenda ſint remedia, ægrorum gratiam is ſibi conciliare ſtudeat honeſtate, modeſtia, omni animi moderatione & laborum tædiorumque patientia. Quamvis non raro oporteat eum immiſericordem eſſe, caveat, ne immanſuetus, crudelis, agreſtis & moribus efferatioribus aliis videatur. Nunquam in laude & gratia apud ægros ſunt, qui ſe, hiſtrionum more, gloriando efferunt. Medico, qui curationi præeſt, Chirurgus obediat, ſi is rerum ſatis intelligens eſt. Æquales ſocioſque æquo animo ferat, omnia ex optimæ mentis conſcientia agat, nihil ex lucelli vel gloriolæ cupiditate.

a Lib. VII. Præfat. *Eſſe autem Chirurgus debet adoleſcens, aut certe adoleſcentiæ propior; manu ſtrenua, ſtabili, nec unquam intremeſcente, eaque non minus ſiniſtra, quam dextra promptus, acie oculorum acri, claraque, animo intrepidus, immiſericors, ſic ut ſanari velit eum, quem accipit, non, ut clamore ejus motus, vel magis, quum res deſiderat, properet, vel minus, quam neceſſe eſt, ſecet: ſed perinde faciat omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.*

DE VARIA CHIRURGI SUPELLECTILI, INSTRUMENTORUM, FASCIARUM, ET LINAMENTORUM APPARATU.

§. 12.

Opus etiam eſt vario inſtrumentorum apparatu, qui magis ad uſum, quam glorioſam oſtentationem compoſitus ſit *a*. Semper enim præſtat inſtrumentis paucioribus, iiſque diligenter atque affabre factis, uti, quam nimia & cum theatrali oſtentatione ante ægri oculos expoſita ſupellectili huic trepidationem injicere. Noſſe etiam debet Chirurgus inſtrumentorum & machinamentorum fabricam, ut, quæ idonea ſunt, poſſit artificibus imperare, alia corrigere.

a HIPPOCRATES de Articulis Textu XXVII. Edit. Charter. pag. 377. *Turpe autem eſt in omni arte, nec minus etiam in Medicina, ſine ullo profectu magnam adhibere turbam, magnum ſpectaculum polliceri, & multa verba facere.*

§. 13.

Ex inſtrumentis, quæ ſemper & omni occaſione ad manus eſſe debent, ſunt hæc potiora: Scalpelli recti, falcati, alii ancipites, quos phlebotomos vocamus, (*Lancettes*) iique majores, minores. Forfices rectæ, incurvæ. Specilla varii generis variæque magnitudinis, quæ parantur ex argento, ferro, plumbo, balænaria virga, cereo. Alia ſpecilla, quæ ſulcum in longum ductum habent, ſuper quæ inciduntur ſinus ac fiſtulæ; vocantur nonnullis itineraria. Acus rectæ, incurvæ, variæ magnitudinis *b*. Novaculæ, volſellæ, hamuli, forcipes, ſpathulæ. De aliis inſtrumentis, quæ ad ſingulas corporis ſedes earumque chirurgiam requiruntur, ſuo loco dicendum.

b Vid. SCULTETI Armamentarium. GARENGEOT *des Inſtrumens.* HEISTERI Chirurg.

§. 14.

In promptu etiam Chirurgus habeat faſcias. Aptiſſimæ ſunt lineæ, quæ ex linteo parantur detrito, molli, ſatis tamen valente, eoque mundo & nullo alieno colore infecto. Linteum ſcindatur ſectione ad ſtamen directa, & videndum, quantum fieri poteſt, ne laciniam, oram vel ſuturam habeat. Quare jam

multis in uſu ſunt habenæ lineæ textoris arte paratæ. (*Zwirn-Baender*) Aliquando valentioribus ligulis opus eſt.

§. 15.

Faſciarum plura ſunt genera. Sunt aliæ, quæ variis, aliæ, quæ certis ſaltem ſedibus idoneæ ſunt. Aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ. Simplices ſunt vel longiores habenæ, in unum aut duo capita glomeratæ, vel mantilia, quibus diverſæ ſedes varia ratione involvuntur. Compoſitæ faſciæ vel ex mantilibus diverſo modo figuratis & inciſis ſtruuntur, vel ex illis longis habenis ſibi aſſutis. Nomen habent faſciæ a ſedibus, quæ illis vinciuntur *a*, a figura *b*, ab effectu *c*, ab inventione *d*.

a Capital magnum Gallis *le grand Couvre chef*. Capital minus, *le petit Couvre chef*. Capitium cum vinculo ſciſſo ſuſpendente *la Serviette avec le Scapulaire*. Capitium veteribus pectoralis tunica & thoracis genus fuit. Vide Varronem de L. L. Lib. IV. cap. 30. p. m. 22.

b Cancer Galeni dicitur linteum ſciſſum, quo caput involvitur. Funda, Gallis *la fronde*, linteum ſciſſum pro fronte, auribus, oculo, mento. Accipiter, Gallis *l'eprevier*. Capiſtrum, *Cheveſtre*. Spica, Chirotheca.

c Faſcia uniens ſ. glutinans, expellens.

d Faſcia HELIODORI. Accipiter MENECRATIS. Vide VIDUM VIDIUM Chirurg. L. III. p. 55.

§. 16.

Simplicioribus faſciis glomeratis, ſ. habenis, accedit differentia ex circumducendi ratione. Quæ circa membrum in orbem ita volvitur, ut nec ſurſum, nec deorſum feratur, ſed alter circuitus priorem comprehendat, orbicularis, Gallis *le Circulaire* dicitur. *e* Quæ ſurſum verſum, vel deorſum ita fertur, ut quaſi in cochleam ſerpat, & duas tertias prioris comprehendat, Aſcia, Gallis *le doloire* vocatur. Quæ vero in utramque partem ita ducitur, ut tertiam demum partem prioris amplectatur, Sima, Gallis *le mouſſé* dicitur. Quæ tandem majori intervallo ita ſerpit, ut orbes ſeſe haud contingant, Gallis *le rampant* audit. A veteribus hæc ad ſimam relata fuiſſe videtur. Quandoque, ſi membra inæqualis craſſitudinis ſunt, faſciæ in circuitu invertuntur, quo valentius contineant, & Gallis dicuntur *les renverſes*. Hoc faciendi genus ſubjectas partes offendit.

e Vide has denominationes faſciarum in HIPPOCR. de Medici officina L. II. Text. 2. & GALENI in hunc Librum Comment. de faſciis vid. I. c. GALENUS, SORANUS, & HELIODORUS, HEISTERUS, VERDUC *des Bandages*, BASSIUS.

§. 17.

Diverſam latitudinem habeant habenæ, melius vero attrahitur, quæ anguſta eſt & ſæpius circumdatur. Nunquam ſuper vulnus, ulcus, aut tumorem incipere debet faſcia, aſt ſuper fracturam. Extrema ejus pars inferioribus aſſuenda eſt. Nodus enim, vel ſutura, vel acus, qua finis ſiſtitur, vulnus & fracturam offendit. Sic deliganda ſunt membra, & circumdandæ faſciæ, ut contineant, nec tamen adſtringant. Quod non recte continetur, elabitur, quod nimis adſtrictum eſt, ſtupore, atrophia, gangræna, periclitatur. Satius eſt, faſciam ſæpius circuire, quam adſtringi. Faſcia in duo capita glomerata ſæpe media primum injicitur & duabus manibus in utramque partem ducitur. Aliquando tamen capita non æqualem longitudinem habent. Eo ordine, quo injecta fuit faſcia, etiam ſolvi debet, & ſi membro agglutinata inhæret, non vi avelli, ſed calida aliove liquore molliri. Faſciis, quæ preſſius & adſtrictius glomeratæ ſunt, concinne vincitur.

§. 18.

Faſciarum ope curantur fracta, luxata, continentur elapſa, ſuſtinentur tumores, adducuntur & glutinantur vulnera, coercetur ſanguis, exprimitur pus & ſanies, a membris male affectis avertitur aeris aliarumque rerum, quæ nocere poſſent, injuria.

§. 19.

Veteres in deligandis vulneribus uſi ſunt lana bene carpta, quam impoſuerunt. Hodie utuntur chirurgi linamentis. Horum enim, quæ detrita eſſe oportet, ſtamina ſingula digitis evellunt, ea ordinatim ſibi apponunt, complicant, & in ſic dictos pulvillos, Gallis *plumaceaux*, formant, quibus varia magnitudo ac figura eſt. Hos vulneribus, ulceribus, oſſibus nudatis vitiatiſque imponunt, ſuperque ea medicamenta, quæ e re ſunt. Pulvilli etiam ex variis liquoribus exprimuntur, & his tincti vulneribus & ulceribus ſuperdantur. Linamenta carpta etiam objiciuntur ruenti ſanguini, qui ſæpe his ſolis & facta compreſſione cohibetur. Iiſdem etiam purgantur madentia ulcera. Nam ea his impoſita humorem, qui ex iiſdem fertur, ſpongiæ in modum perſorbent. Si, id quod in valetudinariis frequen-

tius incidit, lintei copia non habetur, uti ſolent ſtupa pectine diligenter deducta.

§. 20.

Si jam deſcripti pulvilli manu comprimuntur & convolvuntur, fiunt ellychnia, Gallis *Bourdonnets*, quæ plerumque ex filo ſuſpenſa in profundiora ulcera demittuntur. Ex iiſdem vero lineis filis, ſeu ſtaminibus, ſtruuntur turundæ teretes, oblongæ, clavo ſimiles, vel ex una vel ex utraque parte ſciſſæ. Ab his, quæ figuram habent coni, differunt aliæ, quæ ad figuram cylindri accedunt, quas Galli *les Maiges* appellant. (*Fig. I.*) Aliæ turundæ fiunt ex linteolis in conum contortis, quarum extremum in fila reſolutum eſt. Turundæ in vulnera & ulcera profundiora fiſtulaſque demittuntur. Quia vero nec pus exire nec vulnera glutinari ſinunt, oraſque vulnerum graviter offendunt, iis non niſi minoribus mollibuſque, præterea raro & tunc ſaltem utendum, quando ſatius eſt ulcera nondum curari. Sunt enim non pauci, qui omnem turundarum uſum veluti noxium repudiarunt. Fiunt etiam turundæ, quæ, dum humorem ex ulceribus ſorbent, intumeſcunt & ulcerum fiſtularumque ſinus ampliant, (Germ. *Quell-Meiſſel*.) Harum materia eſt ſpongia cerata, radix ſiccata gentianæ, ariſtolochiæ, quæ radices etiam aliquam ulcera purgandi vim habent. *a* Rapa ſiccata ſatis inflatur & minime offendit.

a Vid. CAESAR MAGATUS L. I. C. 45. p. 42. BELLOSTE.

§. 21.

Ex linamentis etiam ſtruuntur penicilli, Gall. *Fauſſes tentes*, quibus mediantibus ex ulcere pus & ſanies extrahitur. Præterea pilæ ſeu glomi, Gall. *Pelottes*, qui vulneri, quod chirurgus in herniæ chirurgia facit, imponuntur. Nec non majores glomi paululum depreſſi, Gall. *Gateaux*, quibus, ſi membra præciſa fuerunt, carnium oſſiumque frons contegitur. (*Fig. III.*) Nec non minores depreſſioreſque glomi, quibus foramen in calvaria modiolo factum impletur. (*Fig. IV.*)

§. 22.

Linteola etiam varie figurata adaptantur & imponuntur duræ matri, ſi calva effracta vel modiolo exciſa eſt. Alia ſunt linteola cæſitia, ſeu quorum ora in fila reſoluta eſt, quæ in pe-

ctoris vulnera, ſi chirurgus turundis uti non vult, conjiciuntur. (*Fig. V.*) Linteolis ſanguinem ex vulneribus extergunt, ſi in varia chirurgia vulnus faciendum eſt, quæ opportuniora habentur, quam ſpongiæ.

§. 23.

Emplaſtra in varios uſus ex gummi, reſina, cera, ſevo, admixtis pulveribus vegetabilium, animalium, mineralium, abſurde ſæpe compoſita, inducuntur panno lineo & ſerico, nec non alutæ. Multis modis figurantur. Imponuntur cuti, pilis prius abraſis, & continent impoſita pharmaca, pulvillos, & turundas. Purgant, & curant vulnera, & ulcera. Tumores reſolvunt, molliunt, digerunt, pus movent, & ab omnibus aera avertunt.

§. 24.

Ad hanc ſupellectilem etiam pertinent panni, qui ſimplices duplices & multiplices ex linteo ſtruuntur, variamque figuram accipiunt. Qui oblongi ſunt, veteribus ſplenia dicta fuere *a*. Iiſdem partes læſæ involvuntur vel ſiccis, vel vino aliove liquore tinctis, & dicuntur Epithemata. Neceſſe eſt plerumque, ſi ſic imponuntur, ut liquor quo madent & ex quo diligentius exprimendi ſunt, caleat. Panni ſicci comprehendunt fracta & luxata, aliaſque ſedes contra aera, & ea quæ incidere poſſunt, cuſtodiunt. Madentes vero medentur inflammatis, alioque vitio laborantibus partibus. Denſis gradatiſque pannis membra craſſitudine inæqualia æqualis craſſitudinis fiunt, ut iis melius ferulæ accommodari poſſint. Gradatis etiam ſanguis ſiſtitur, & pus vel ſanies ex profundiori vulnere vel ulcere exprimitur.

a Vid. MARTIAL. L. II. Ep. 29. PLINII H. N. L. 29. T. II. p. 514. PLINIUS EPIST. L. II. Ep. 2.

§. 25.

Fiſtulis ex auro, argento, plumbo fabrefactis, rectis, incurvis, rigidis, flexilibus educitur ſanguis; ſerum, pus ex thorace & abdomine, urina ex veſica. Debent eſſe recurvatis in exteriorem partem labris, vel circumcingente quadam remora, ne intus totæ delabi poſſint. Et hæ vulneribus infeſtæ ſunt ſi in his relinquuntur, imo magis quam turundæ. Siphoni-

bus etiam quandoque dicti humores evocantur, frequentius vaii liquores in vulnera ulcerumque ſinus immittuntur.

§. 26.

Nec deeſſe debent Chirurgo ferulæ, loramenta, ligamenta, ligulæ, fila, quibus in fractis luxatiſque membris extendendis, iiſque in ſedes compellendis, in tumoribus continendis, in ſiſtendo ſanguinis profluvio, vulnere ſuendo chirurgus utitur.

§. 27.

Auctores, qui de univerſa chirurgia optime ſcripſerunt, & ideo legendi, ſunt: HIPPOCRATES, CELSUS, GALENUS, ORIBASIUS, AETIUS, PAULUS AEGINETA, ALBUCASIS, DE SALICETO, DE CAULIACO, DE VIGO, GOURMELENUS, PARAEUS, FEL. WÜRTZIUS, VESALIUS, FALLOPIUS, GUILLEMAEUS, HOLLERIUS, FABRICIUS AB AQUAPENDENTE, FABRICIUS HILDANUS, A CRUCE, M. A. SEVERINUS, SCULTETUS, GLANDORPIUS, DE MARCHETTIS, PECCETTIUS, SOLINGIUS, ROONHUSIUS, NUCKIUS, PURMANNUS, VERDUCCIUS, CLERICUS, DIONIS, HEISTERUS, BELLOSTIUS, GARENGEOTTUS, MARINUS, LE DRAN &c.

DE INFLAMMATIONE.

§. 28.

Chirurgiæ operam daturo valde neceſſaria eſt inflammationis notitia. Nam ſi externæ ſedes inflammantur, requiri ſolet Chirurgorum opera. Ex inflammatione etiam variæ noxæ naſcuntur, quarum plures ferramentorum operam deſiderant. Nec vulnera, tum quæ Chirurgus accipit, tum quæ facit, ſine illa eſſe queunt, quæ ſi increbreſcit, magna pericula adfert. Sæpe ea quoque tumores, ulcera, luxata fractaque occupat.

§. 29.

Nomen habet a ſimilitudine, quæ eſt inter partes igne ambuſtas & inflammatas. In utriſque differentia eſt, ſi variæ ſedes leviter adfectæ ſunt, aut graviter, & ſi vitium altius deſcendit.

§. 30.

Inflammatio eſt motus auctus ſanguinis in corpore vivo, quo ſuccus in minimis arteriis partium mollium quieſcens majori vi agitatur, ut is vel mobilis reddi vel in pus verti queat.

§. 31.

Sanguis movetur ſecundum naturam & per corpus dividitur actione potiſſimum cordis, cujus valentiori & celeriori motu etiam is celerius & valentius propellitur. Cordis tamen actio non ſola ad movendum ſanguinem ſufficit, ſed requiritur, præter naturale illud, etiam vitale robur, quod tum in vaſis tum in omnibus aliis partibus eſt, qui nervos ſenſum motumque præſtantes habent *a*. Niſi hoc, quod plura experimenta probant, concedas, intelligi vix poterit, cur ſanguis majori vi per unam arteriam feratur, quam per alteram, & cur in inflammatione, v. g. ex inſixa ſpina tumor circumcirca fiat; ut taceam, inflammationes vehementiores & periculoſiores eſſe in nervoſis partibus, quam in aliis ſanguine abundantibus.

a Vid. præter STAHLIUM, GORTERI Compend. Med. Tract. LXVI. num. 8. T. I. p. 234.

§. 32.

Motus hi vitales data obſtructione in corpore vivo, ſeu quieſcente in arteriis humore increbreſcunt. An propterea, quod ſanguis, qui vaſa quædam obſtructa permanare nequit, copioſior per cætera fertur? An quia nervi tum partis laborantis, tum ab his cardiaci in vehementiorem motum cientur? An inflammationis motus debetur unice illi vitali vi, ſive autocratiæ naturæ *b*, quæ corpus tuetur, & quæ multis morbis, interque hos vulneribus oſſibuſque fractis ſola medetur?

b Ne ambiguitas in vocabulo ſit, intelligo per naturam complexionem omnium cauſarum, quæ nobis vitam præſtant. Harum cauſarum plures ex Phyſiologia, cui Phyſica, Mechanica, Chemia & Anatome prælucent, novimus, non paucas tamen ignoramus. Vide LANCISIUM de Corde p. 2.

§. 33.

In omni inflammatione humor quidam in aliqua parte quieſcit. Plerumque ſanguis; ſi vero verbum inflammationis pluribus valetudinum generibus accommodare, & eryſipelas, rheu-

matiſmum, arthritidem ad eam referre velimus *a*, etiam lympha, ſerum, aliique ſucci. Prior vera, altera ſpuria inflammatio dici poterit.

a v. g. ex ſero per tubulos, qui in cute ſunt, exire ſolito eryſipelas, ex ſympha in ligamentis articulorum arthritis, podagra, ex eadem in perioſtio & aponeuroſi rheumatiſmus.

§. 34.

Quieſcit humor inprimis in arteriis, quippe quæ conicam figuram habent & finem verſus anguſtantur. Eum tamen etiam quandoque in venis hærere, ſi ſpaſmis conſtringuntur, vel aliis rebus premuntur, varices & hæmorrhoides cœcæ, nec non œdema ex compreſſa majori vena ſanguinea ortum probant. Non vero in ſolis arteriis, per quas ſanguis in corpus diffunditur, inflammationis ſedes eſt, ſed etiam in aliis longe minoribus, quæ alium tenerioremque ſuccum habent. Si enim in oſcula harum arteriolarum, quæ ex latere majorum educuntur, humor qui cæteris ſuccis craſſior eſt, cogitur, ille per minores fiſtulas permeare nequit, in iis hæret & ſic obſtructionem atque excitata vitali virtute inflammationem parit. Hoc ita fieri, jam olim CELSUS *b* cognovit. Ad oculum res demonſtratur in tunicarum corneæ atque adnatæ inflammatione.

b Præfat. L. I. *Si ſanguis in eas venas quæ ſpiritui accommodatæ ſunt, transfunditur, & inflammationem quam Græci φλεγμονὴν nominant, excitat.* Et mox: *Si manantia corpuſcula, per inviſibilia foramina ſubſiſtendo, iter claudunt.*

§. 35.

Inflammatio igitur naſcitur ex obſtructione, quæ incidere poteſt in omni corporis parte quæ arterias habet. Itaque etiam obſtructio in oſſe duriſſimo, non vero, ut infra dicetur, vera inflammatio. Cum autem plura arteriarum genera ſint, in omnibus quidem obſtructio oriri poteſt, genuinæ & ſanguineæ tamen inflammationis ſedes eſſe videtur in arteriis lymphaticis, ſi in has, non niſi tenuem & pellucidum humorem vehere ſolitas, rubicundus ſanguis transfunditur.

§. 36.

In omni itaque parte molli, arterias ſanguine & lympha plenas habente, oriri poteſt obſtructio & inflammatio. Hoc au-

tem incidit frequentius in adipe, & tunica celluloſa. Nam mollis raraque ejus compago eſt, cujus cellulæ ita factæ ſunt, ut ex una in alteram aditus ſit, id quod vel flatu immiſſo quilibet experiri poteſt. Sanguinis motus in ea multo tardior eſt, ac in aliis partibus quæ exquiſitiorem ſenſum habent. Propterea a quieſcente ſanguine facile diſtenduntur rumpunturque arteriæ, quæ humorem in cellulas illas mittunt. Sanguis ibi quieſcens miſcetur oleo, quod quiete & calore rancidum fit. Uterque itaque humor putreſcens motus inflammatorii neceſſitatem parit.

§. 37.

Fit vero obſtructio & inflammatio in ipſis arteriis, quæ ſanguinem vehunt, ſi illarum fines nimium arctantur. Hoc incidit, ſi a rebus externis, tumoribus varii generis *a*, fractis luxatiſque, aliiſque duris & ponderoſis, corpus prægravantibus, etiam hujus pondere, in vario ſuper duris cubitu, a telis aliiſque corpori infixis, ſanguine etiam qui in vexatis e vaſis effluxit & aliqua parte hæret, arteriæ premuntur. Arteriæ etiam quandoque nimium elongantur, vel ſpaſmo conſtringuntur, quod ultimum incidit, quando acria, frigida, valde calida & adurentia corpori, inprimis nervoſis ejus ſedibus, admoventur. Rarius arteriarum tunicæ, quæ etiam & vaſa & contextum celluloſum habent *b*, ita intumeſcunt, ut mananti humori iter claudant *c*.

a BOERHAAVE Aphor. 1124.
b GORTER Comp. Tr. XIX, n. 41. p. 76.
c In vaſe majori ſ. aorta, vid. STENTZEL. de Steatom. in aorta.

§. 38.

Arteriæ etiam obturantur in omni vulnere. Ex ſauciata enim arteria humor effluit, quod profluvium contracta obturataque arteria ſiſtitur. In vexatis, colliſis, ambuſtis vaſa ita læſa ſunt, ut defecta omni elaſtica & vitali virtute ſanguinem promovere nequeant. Si vero in arteriarum finibus obſtructio fit, premitur ſanguis in minores laterales. Hoc etiam ex contraria cauſa incidit, ſi omnis in his renixus ſublatus eſt. Recipiunt enim ſic laxiora oſcula humorem, quem trajicere nequeunt, & oritur in his etiam obſtructio ac inflammatio.

§. 39.

Etiam humor denſatur, & obſtructionem ac inflammationem parit; id quod etiam a cauſis ſibi contrariis fieri deprehendimus. Sanguis enim, ſi vel nimium caleſcit, vel refrigeſcit, craſſus fit, in quo ovorum albo ſimilis eſt. Si is quieſcit, mox cogitur; id quod in omni ſanguine, qui ex bene valentis vena miſſus eſt, cognoſcimus. Etiam quieſcit in omni vulnere, quippe qui aere externo denſatus inhæreſcit arteriarum ſauciatarum extremis.

§. 40.

Aſt is etiam cogitur valentiori & perniciori motu, quo calor in corpore vivo increſcit. Ideo, ſi inflammatoria febre laboranti ſanguis mittitur, non ſolum rubicundus celerius in cruorem cogitur, ſed huic etiam inhæret ſubalbidum, glutinoſum, tenax coagulum, quod oritur a lympha nimio æſtu denſata. Quo major in inflammatione æſtus vehementiorque febris, eo magis hæc διάθεσις φλογιστικὴ extimeſcenda. Calore præterea aquoſa difflantur, relictis terreſtribus, craſſis & glutinoſis.

§. 41.

Sanguinem etiam & lympham cogit alcohol exterius admotum, ipſe etiam ignis, ut & frigus, nec non acetum aliaque quæ frigida dicuntur; inter quæ omnia, quæ ex plumbo parantur, Lithargyrium, Ceruſſa &c.

§. 42.

Nocet ob hanc cauſam etiam nimia ſanguinis copia, quæ eum libere moveri haud ſinit. Craſſus lentuſque eſt in aliis morbis, ſcorbuto, cacochymia, & ſi multo ſudore, alvi profluvio, urinæ excretione, ptyaliſmo &c. blandum aquoſum evaporatur & educitur, craſſum relinquitur: id quod aliquando ex morbo fit, aliquando ex medicatione & nimia exercitatione.

§. 43.

Nimio tamen & perniciori motu, ſive hunc cieant externa, frictio, exercitatio, ſive interna e. g. febris, ſanguis in oſcula lymphaticorum cogitur. Hoc etiam fit, ſi ejus particulæ ju-

ſto minores ſunt, & vel inteſtino aliquo motu v. g. in malignis, vel nimio attritu plus juſto attenuatæ. In tali ſanguine etiam plerumque acrimonia eſt vel alcaleſcens, vel alia maligna, tomentum minimorum vaſculorum rodens. Quare in malignis, quamvis ſanguis nec poſt mortem cogatur, frequens eſt inflammatio.

§. 44.

Inter inflammationis cauſas etiam non omitti debet robur partium ſolidarum, tum illud vitale, (31) tum alterum elaſticum, quod ab elementorum miſtione habent, & quod naturale dici poteſt. Si enim illa vitalis vis nimium intenditur, id quod in omni muſculorum & fibrarum invita contractione ſeu in ſpaſmo fieri nemo ignorat, & ſi partes nimis rigidæ ſunt, etiam ſiſtitur humorum motus. Quare facilis tranſitus eſt ex morbis ſpaſticis in inflammatorios. Vulneribus itaque aliiſque noxis partium nervoſarum ſupervenire ſolet ut plurimum gravis inflammatio, maxime ſi illa nimia conſtrictio & quæ illam efficiunt, haud tolluntur. Acria itaque, rancida venena, aliaque, quæ ſive exterius admota fuerint, ſive ingeſta partes nervoſas graviter afficiunt, inflammationem excitant. Corpora vero rigida ex omni inflammatione non parum periclitantur, quia ille rigor impedit, quo minus ea facile diſcuti poſſit *a*.

a HIPPOCR. T. I. p. 560. in Coacis. Τῶν σωμάτων τὰ γεγυμνασμένα καὶ πυκνὰ θᾶσσον ὑπὸ τῶν πλευριτικῶν καὶ περιπνευμονικῶν ἀπαλλάσσεται τῶν ἀγυμνάστων.

§. 45.

Si vero in arteriis fibriſque partium nullus renixus eſt, & defecta vitalis & naturalis illa virtus, obſtructio oritur, dum minora vaſcula æque ac oſcula lateralium diſtenduntur: quare in confiniis læſionis oritur inflammatio, in media parte putredo. Propter hanc atoniam etiam illas ſedes, quæ olim inflammatæ fuerunt, ſæpe iterum occupat inflammatio.

§. 46.

Nec omitti debet, frequentius fieri metaſtaſes & varias ſedes inflammari, in quas impetus morbi ejuſque materia a natura convertitur. Hæ inflammationes quæ criticæ ſunt, dili-

gentem animadverſionem habent neceſſariam, quia in his omnia reprimentia aliena ſunt.

§. 47.

Vel ex jam dictis intelligitur, inflammationis non unam & ſimplicem cauſam eſſe, ſed eam plerumque a plurium conſortio enaſci. Poteſt enim aliquid eſſe in corpore vel aliqua hujus ſede, quod per ſe tantum non eſt, ut inflammationes excitet, ſed eam tamen huic magis obnoxiam reddat. Quare plerumque illud pro cauſa apprehenditur, quod vel prius accidiſſe, vel plurimum contuliſſe videtur.

§. 48.

Inflammationis notæ ſunt quatuor: rubor & tumor cum calore & dolore. Ruborem facit ſanguis, qui minora & lympham vehentia vaſa implet. Tumor oritur, quia minores arteriæ ab intus hærente ſanguine & ab impetu irruentis diſtenduntur. Calor ab attritu eſt. Quo major enim in corpore noſtro eſt motus, & ex hoc attritus, eo major eſt æſtus vel in univerſo corpore, vel in aliqua ejus ſede. A quiete vero frigus. Si pars inflammata multum rubet, in illa multus calor eſt. Dolor oritur a nervis, qui a vaſis ſanguine confertis diſtenduntur. Accedit etiam ſpaſtica nervorum & fibrarum in parte inflammata contractio. Dolor σφυγμώδης eſt, ſeu qui omni momento quo arteriæ in diaſtole ſunt, exacerbatur, quia eo tempore major ſanguinis vis ad partem inflammatam apprimitur, quo nervi magis intenduntur.

§. 49.

Omnes etiam qui inflammatione laborant, febricitant. Prout autem febrium plures corpori præſidio ſunt, ita etiam febris in omni inflammatione neceſſaria eſt, quæ ſine ea eſſe nequit. Certus vero ejus modus eſſe debet: quare illud curandum eſt medentibus, ut febris talis ſit, quæ inflammationem haud pejorem faciat; nec minus videndum, ne illa prorſus deſinat. Si enim febris nimium urget, æger gangræna periclitatur; ſi illa nimium & ſine integritate remittit, ſcirrho & ulcere. Febris etiam valde tenuata non raro in lentam & hecticam degenerat.

§. 50.

Febri vero huic, quam vulnerariam vel ſymptomaticam nominant, alia quoque mala accedunt, horror, & ex horrore calor, ſitis, inquies. Febris cum inflammatione ſolvitur & plerumque multo ſudore finitur. Urina etiam craſſa eſt, & ex qua multa deſidunt. Adverſus tumorum, vulnerum, ulcerum inflammationem auxilium in ſuppuratione eſt. Si vero febris ſubito ſine bonis ſignis conquieſcit, inflammatio in alium morbum mutatur. (48. 50.)

§. 51.

Graviora vero febris pericula ſunt, ubi illa (48. 50.) increſcunt, & alia ſigna pejora accedunt. Si ultima ægro infirmitas eſt, nulla requies, ſed vigilia, delirium, vel ſopor noctu atque interdiu continuus, ſpirandi difficultas, æſtus & ſudor non per totum corpus æqualis, vel ſudor frigidus, urina cruda, fulva & tenuis, alvus liquida, illaque nigra, & cui magna odoris fœditas accedit, nervorum diſtentio, quæ ultima, ſi incidunt, mortis futuræ indicia ſunt.

§. 52.

Inflammatio varium exitum habet. Nam quieſcens humor vel reſolvitur, vel orta ſuppuratione in pus vertitur, vel inflammatio degenerat in gangrænam & ſcirrhum. Ex gangræna facilis tranſitus eſt in ſphacelum, ex ſcirrho in cancrum. Si vulnus & abſceſſus male cedunt, aut non recte & negligenter curantur, ex iis ulcus oritur, ex ulcere fiſtula.

§. 53.

Sine ulla noxa inflammatio tollitur, ſi illa reſolvitur. Hoc fieri poteſt, ſi quieſcens & obſtructionem efficiens humor, aucta illa vitali cordis & nervorum actione, & a ſanguine a tergo veniente commotus, iterum abripitur, & mobilis redditus circumeuntibus humoribus admiſcetur. Hæc curatio locum habet, ſi parum humoris quieſcit, inflammatio nec magna nec profunda eſt, ſi vaſa nondum rupta ſunt, ſi ipſe humor malus putriſque non eſt, nec vaſa erodit. Si ſanguis aliquantum, aſt non nimis vehementer agitatur, nec febris ingentem fervorem habet. Si præterea ipſa pars inflammata, nec nimium rigida eſt & contracta, nec laxa & ſoluta.

§. 54.

Ad ſuppurationem ſpectat inflammatio, ſi ſanguis qui malus non eſt, ex ruptis arteriis jam emiſſus coiit. Is enim extra vaſa quieſcens vitali motu in pus vertitur, id quod fit, dum globuli illi rubicundi, qui in ſanguine ſunt, vario, externo & inteſtino motu, ipſoque calore rumpuntur, & in ſubalbidum humorem vertuntur. Pus ob hanc cauſam albidum eſt, craſſum vero, quia calore denſatur. Pus vero non ex ſolo quieſcente humore oritur, ſed etiam ex partibus ſolidis. Nam quæ juxta ſunt, etiam ſuppuratione liqueſcunt & puri miſcentur.

§. 55.

Gangræna vero occupat, ſi humor quieſcens malus eſt, & omnis corporis ſuccus vitiatus, qualis a venenato vulnere, vel a maligna febre eſſe ſolet. Si quieſcens ſanguis penitus inſedit, obſtructio magna & profunda eſt, febris autem & alia ſymptomata valde urgent. Si cauſa, ex qua obſtructio orta fuit, tolli haud poteſt. Si inflammatio magna eſt & vehemens, ſi ea nervoſas ſedes occupat, & dolor acrior urenſque ægrum vexat. Si accedunt quædam, ſive externa, ſive alia, quæ in ipſo corpore fiunt, quibus pars, quam inflammatio tenet, graviter afficitur. Si ſanguis nimium cietur, ſi ipſa pars aliqua re premitur, ſi ſuperhabentur adſtringentia, reprimentia, frigida, pinguia, anodyna. Si febris nimium incenditur. Si humoris, qui ex ruptis vulneratiſque vaſis exiit, major vis eſt, quam ut his vitalibus motibus digeri ſatis & in pus verti poſſit. Id quod etiam accidit, ſi cruor aliuſve humor in cavum quoddam effluxit, & haud evocari poteſt. Humor enim quieſcens, accedente corporis, eoque aucto, calore, putreſcit; putredo vero in partes juxta ſitas, quæ integræ ſunt, tranſit: Inter quæ febris oritur, ex qua iterum gangræna increſcit. Hoc etiam in majoribus abſceſſibus fit, ſi altius malum eſt, nec pus per ſe aperitur, nec ſcalpelli opera evocatur. Vitiatur enim & corrumpitur illud, & ex eo vel gangræna, vel ulcus ac fiſtula oritur.

§. 56.

Ex quibus & ſupra dictis (36.) intelligitur, cur nulla pars gangrænæ adeo obnoxia ſit, quam tunica adipoſa, quæ frequentiſſima hujus vitii ſedes eſt. Ruptis enim & exeſis vaſculis humor cum oleo remixtus corrumpitur, putredo ſerpit, &, quia ex corrupta materia craſſum deſidit, fluidum ſub epidermide coit, hæc in veſiculas illo humore plenas levatur. Quieſcit in affecta parte omnis dolor, peritque ſenſus, tumor minuitur, color vero ex rubro in pallidum & lividum mutatur, putredine interea ultra procedente.

§. 57.

Ex gangræna ſphacelus oritur, ſi membrum penitus ad os uſque emortuum & ſine omni ſenſu motuque eſt *a*. Putredinem aliquando ſine inflammatione oriri, infra videbimus.

a Motus intelligitur, quem præſtant muſculi ſphacelo adfecti.

§. 58.

Si vero, id quod crebrius in glandulis fit, inflammatus locus parumper detumeſcit, & ex quieſcente id, quod fluidum eſt ac mobile, evaporatur, vel per naturalia emiſſaria excernitur atque difflatur, craſſum vero & terreſtre magis compingitur, concreſcit & penitus cohæret, manet tumor durus ac renitens, haud dolens, quem ſcirrhum vocamus.

§. 59.

Scirrhum itaque pariunt omnes humores, qui in variis glandulis partibuſque & viſceribus glanduloſis ſunt, lac in mammis, ſaliva & lympha in glandulis hos ſuccos ſecernentibus, ſemen in teſtibus. Hi humores enim in duritiem coguntur ex variis & ſibi contrariis cauſis. Nimirum quiete, ſi in tali inflammatione febris ſine integritate conquieſcit, vel, id quod crebrius fit, medicatione intempeſtive nimiumque tenuatur, tumor vero manet. Nimio etiam motu & aucta febre humores valde compinguntur; id quod incidit, ſi calidiora & æſtum augentia intus ſumuntur, vel ſi exterius ipſa pars inflammata premitur, fricatur, vexatur, vel nimio ſiccoque calore adficitur. Idem accidit, ſuperhabitis coagulantibus, ſpirituoſis, refrigerantibus, quibus omnibus humores magis denſantur. Si

vulnus in parte glanduloſa eſt, his adhibitis, non pus melioris generis exit, ſed humor tenuis, qui ipſum vulnus erodit, quod ſic in ulcus mutatur.

§. 60.

Quæ vero ſpem vel periculum oſtendunt in inflammatione, hæc ſunt:

1) Ætas, vires, temperies ægri, morbus prægreſſus, & totius corporis habitus.

2) Pars, quam infeſtat inflammatio, ſi illa ad vitam neceſſaria eſt, ejuſque natura, ſi vel nervoſa eſt, vel glanduloſa, vel carnoſa. Multum etiam intereſt, qualis humor ad inflammata permanet.

3) Magnitudo inflammationis, ſi illa intus tendit, multum & ſubito procedit & vehementer urget, nec non ejus ſymptomata.

4) Cauſæ. Nam gravis morbi periculum eſt, ſi inflammatio a malo corporis habitu, vitioque humorum, nec non ex veneno vel dato, vel exterius corpori illato, naſcitur.

§. 61.

Qui igitur inflammatis mederi vult, variam adhibere debet curationem. Nam non omnia auxilia omnibus conveniunt, & ea, quæ naſcenti inflammationi opportuna ſunt, aliena ſunt, ſi illa jam adolevit. Inflammationis etiam minor impetus minus acrem curationem requirit. Aliam quoque poſtulant ſedes nervoſæ, & quibus exquiſitior ſenſus eſt. Semper eo enitendum eſt Chirurgo, ut inflammationem reprimat atque reſolvat, vel, ſi reſolvendi nulla ſpes eſt, ut humorem digerat, molliat, & pus moveat, utque gangrænæ ſcirrhique periculum avertat.

§. 62.

Ab initio vero & ante omnia removeri oportet cauſas, ex quibus inflammatio cœpit, ſi illæ in aperto ſunt. Poſt avertendus nimius ſanguinis aditus eſt; id quod fit ſanguinis detractione, eaque repetita. Hanc, ſi inflammationis timor eſt, quam primum fieri oportet. Mittendus vero ſanguis eſt quam

longiſſime inde, ubi eſt inflammatio. Si vero humoris major vis jam in aliqua parte coiit, mittendus eſt ex ea ipſa parte, aut ea, quæ proxima eſt, ut affectus locus exhauriatur. Quia vero uſus oſtendit, ſanguinem, inciſa vena, ex ulterioribus partibus ſequi, confert, ne is in id ipſum, quod gravatum eſt, evocetur trahaturque, eum iterum, & quidem ex diſtanti vena, detrahere. Etiam remotis partibus imponi poſſunt cucurbitulæ, vel integræ, vel conciſa ante ſcalpello cute. Nec minus frictione, non vehementi, ſed leni, evocatur ſanguis e partibus inflammatis, ſi, cum aliud dolet, aliud perfricatur. Id quod etiam efficitur, ſi ſuper remotas partes imponuntur, quæ adurunt, ſinapi, ranunculus, pyrethrum. Videndum tamen, ne, dum his ſanguinem ab inflammatis evocare volumus, cum nimis vehementer agitemus, & febrem incitemus. Nec utendum cantharidibus. His enim impoſitis, virus additur humoribus, quod teneriora vaſcula lædere, atque inflammationem, maxime in nobilioribus partibus, augere poteſt.

§. 63.

Alvus etiam duci poteſt per data cathartica, quæ leniſſima eſſe debent & ἀντιφλογιστικά, ſatis tamen valentia. Aliena ſunt reſinoſa, tutiora vero, quæ ex tamarindis, manna, uvis paſſis Corinthienſibus, cremore tartari, ſale cathartico, magneſia alba parantur. Optimæ etiam ſunt lotiones mollientes in alvum immiſſæ.

§. 64.

Adhibenda ſunt, quæ æſtum infringunt, ſucci acidi fructuum horæorum, liquores ex aceto, melle, & aqua compoſiti, ſerum lactis dulce, vel acidulum, ptiſana ex hordeo, nitro & ſucco citri, quæ copioſa præbenda eſt, ut æger etiam illam ultra ſatietatem bibat, quia & æſtum infringit, & humores diluit. Miſceri poteſt nitrum cum terreſtribus. Cum aqua etiam contundi poſſunt ſemen papaveris, ſemina ſic dicta frigida, amygdalæ, pineæ, & liquori expreſſo nitrum adjici. Maximum vero præſidium a victus ratione petendum, & abſtinentia utendum. Neceſſaria etiam eſt quies. Summum periculum oriri poteſt, ſi quidam mali affectus interveniunt, & æger animo laborat. Ejus itaque notitiæ omnia ſubtrahi debent, quæ

animum exaſperatura ſunt . Nocet & nimius calor & frigus . Nimius æſtus fere peſtilentior eſt frigore .

§. 65.

Si vero inflammationis incrementum jam conſiſtit , medentis conſilium eo dirigi debet , ut tumor diſcutiatur . Eum itaque oportet febrem moderari , non nimium minuere , ne corpus exinaniatur , vireſque convellantur Solvi poteſt inflammatio , ſi ea nec gravis , nec profunda eſt , tumor non valde durus , ſed æqualiter mollis , in latum diffuſus , nec febris admodum vehemens , & ſi æger ab initio non valde inhorruit . Conf. (60.)

§. 66.

Si vero ad reſolutionem dirigenda eſt curatio , proſunt diluentia , quibus novus humor quieſcenti additur , iſque mobilis redditur . Si coctionis ſigna apparent & cutis relaxatur , corpus madeſcit , quæ ſudorem venturum eſſe teſtantur , utendum maxime ſorbitionibus eſt , & aqua calida cum radicibus herbiſque reſolventibus . Eo tempore oportet ægrum continere , numquam vero illum multis ſtragulis vel veſtimentis ſtrangulare , ſed admodum levibus tantum velare , & cavere , ne eum frigus adſpiret . Si magis ſe inclinavit inflammatio , paulo efficaciora danda ſunt , ubi nec ſic dictæ Eſſentiæ reſolventes alienæ ſunt .

§. 67.

Optimum medicamentum eſt victus . Quamdiu inflammatio increſcit , cibus vel nullus dandus eſt , vel talis , qui non nutrit , ſed ſuſtinet . Omnis enim nocet , qui febrem incitat . Potioni vero aptiſſima eſt ptiſana . Cibus ſit ex imbecilliſſima materia , ex fructibus horæis ſiccatis , prunis Damaſcenis , pomis , ceraſis , aliiſque vegetabilibus , acidum ſuccum habentibus . Ex aqua coqui poſſunt oryza , avena decorticata , hordeum , additis uvis Corinthiacis & adjecto ſucco acidi Punici mali . Aliena ſunt valentiora , jurulenta , & quæ multum alimenti præſtant . In deceſſione vero morbi , ne vis omnis corpori deſit , cibus paulo plenior , & vini meracioris aliquid dari poteſt .

§. 68.

Sunt aliæ quædam obſervationes in inflammatione neceſſariæ. Si inflammatio metuenda eſt, quamprimum, niſi magnopere res aliqua impediat, ſanguis mittendus eſt. Demitur enim inflammationi materia, illaque ſic ſæpe avertitur. Si æger robuſtus eſt, læſio vero magna, multum ſanguinis detrahendum, nec adeo metuenda imbecillitas eſt. Satius tamen eſt, ſanguinis miſſionem dividere, quam ſimul omnem humorem atque vim effundere. Aptiſſimi autem ſunt primus dies & ſecundus. Sera vero, &, quæ poſt tertium diem fit, ſanguinis miſſio, vix umquam utilis eſt, qua æger imbecillus redditur & reſolutio turbatur.

§. 69.

Quod ad medicamenta pertinet, juvenes ſanguine pleni optime ferunt ſuccos acidos vegetabiles, ſiccioribus vero melancholicorum ſenumque corporibus convenit nitrum. Si aliud vitium in corpore eſt, cacochymia, ſcorbutus, lues venerea, & his accommodanda medendi ratio eſt. Si morbus mutatur, & vel gravior, vel levior fit, mutanda ſæpe ſunt medicamenta, nunquam vero ſubito ab uno genere ad alterum tranſeundum eſt. Omnibus, maxime quibus nobiliores nervoſæque partes inflammantur, venus perniciosiſſima eſt. Si poſt graviorem acutamque febrem, & in ipſa ejus deceſſione, facta μεταστάσει, quædam per ſe intumeſcunt, & ſanguinis miſſio, & alvi ductio, nimiaque abſtinentia pernicioſa ſunt. Augenda potius eſt per contraria inflammatio, cum, ſi illa diſcutiatur, recidivæ timor ſit. Si igitur locus opportunus eſt, enitendum, ut coitus malæ materiæ fiat, illaque matureſcat.

§. 70.

Accidere poteſt, ut in majori malo major ſit virium imbecillitas, ſi æger gravi ſanguinis profluvio exhauſtus, ætate, inedia, aliove morbo confectus eſt. Tunc cum febricula tenet, aſt pro modo ipſius noxæ non ſatis valens. In hoc caſu circumſpecti Medici eſt, vires revocare & febrem augere. Minime etiam in hoc caſu utile, ſanguinem mitti, alvum duci, vel inediam imperari; nec refrigerantia proſunt. Danda ſunt, quæ vires reficiunt, juſcula carnium juniorum, vinum mera-

cius & ex hoc intrita cum ſaccharo & cinamomo. Ex medicamentis prima ſunt cardiaca ex cinamomo, caryophyllis, nuce myriſtica, horumque olea, inprimis alcohol ſoluta, ſeu balſama vitæ, tinctura bezoardicæ, alexipharmacæ.

§. 71.

Præviſis vero, quæ ad univerſam inflammationem & hujus curationem per victum & data medicamenta pertinent, veniendum eſt ad eam quæ externas ſedes occupat, & ad medicamenta, quæ exterius ſuperdari poſſunt. Duo vero inflammationis modi ſunt, qui etiam diverſam curationem requirunt, Phlegmone, & Abſceſſus. Addunt Eryſipelas, de quo ſupra (33.)

PHLEGMONE.

§. 72.

Phlegmone omnem inflammationem, ſæpe tamen eam ſignificat, quæ externas corporis ſedes infeſtat. Eſt tumor cum inflammatione, latus, profundus, æqualis, & qui potiſſimum adipem occupat.

§. 73.

Differt ab eryſipelate, quod ſine altitudine latum eſt, & in ſola cute conſiſtit. Eryſipelas etiam ſerpit cum calore & rubore, ſaneſcente eo, quod primum vitiatum erat: Phlegmone autem magis nocenter adoleſcit, altius deſcendit, & latius intumeſcit. Major in phlegmone ſymptomatum acerbitas eſt. Differt ab abſceſſu. Si enim inflammatio ad ſuppurationem ſpectat, tumor non ita æqualis eſt, ſed profundus, & qui in medio majorem duritiem habet.

§. 74.

Oritur ab omnibus, quæ obſtructionem inferunt. (35. ad 47.) Supervenire ſolet frequentius vulneribus, vexatis, fractis. Aliquando ex febre oritur, & concurrente poſt eam morbi materia. (46.)

§. 75.

In hoc inflammationis genere negotium periculumque majus eſt, quam in eryſipelate & abſceſſu. Facile enim tranſit in gangrænam. Ex communibus ſignis & ægri proprietatibus (60.) colligitur, num is ſine periculo evaſurus ſit.

§. 76.

Omni opera enitendum, ut inflammatio diſcutiatur. (53.) Quare quam primum auxilium petendum eſt ab iis, quæ ſupra (62. ad 70.) præcepimus. Si vero ad ea veniendum, quæ exterius inflammatis imponi debent, & hæc variis temporibus accommodanda ſunt. Concurrentis humoris aditum mox ab initio avertunt reprimentia. Remotis enim ante omnia, ſi fieri poteſt, cauſis, aliquando confert corpori vel per ictus, vel, ubi ex alto decidit, colliſo, frigidum ferrum aliudve durum corpus apprimere. Filo etiam ſupra noxam injecto membrum deligari poteſt, non tamen nimis vehementer, ne torpeat, qua ipſa re impeditur, ne illud adeo intumeſcat; id quod maxime obſervari decet, ſi ſerpentium aliorumque venenatorum morſus non nimium diſtantem curationem deſiderat. Sunt, qui membrum pellicula involvunt, quæ in ovo eſt, qua in aëre ſiccata, illud etiam valentius adſtringitur. Superdari in majori malo poſſunt epithemata ex aceto & aqua expreſſa, in quibus alumen, ſal marinus, ſal ammoniacus ſota fuere. Reprimunt etiam & his adjici poſſunt omnia ex plumbo parata, ceruſſa, lithargyrium, ſaccharum ſaturni: ex vegetabilibus adſtringentia, radix biſtortæ, tormentillæ, filipendulæ, acori adulterini, herba alchimillæ, equiſeti, millefolii, herniariæ, hederæ terreſtris, pentaphylli, ſaniculæ, virgæ aureæ; flor. roſarum rubr. balauſtiorum, hyperici, gallæ, cupulæ glandium, malicorium, cortices quercus, fraxini, muſci varii generis; quibus, ex aqua cum aceto vel vino auſtero decoctis, addi poſſunt dicti ſales. Emplaſtra, quæ vulgo heic laudantur, defenſiva minoris efficaciæ, & vix minori malo opportuna ſunt. His admiſceri poteſt camphora.

§. 77.

Hæc vero ita ſuperdari oportet, ut nec calor, nec frigus locum irritet. Nec conveniunt, niſi a primis initiis, & antequam membrum prorſus intumuit. Si enim humor jam coiit, illa nocent. Tunc enim commodius eſt, tumorem vel reſolvi, vel maturari atque aperiri. Utrumque non ſinunt reprimentia, quæ in tali caſu faciunt, ut indureſcat locus & ut obſtructio pertinacior fiat. Nec ſuper glandularum tumores utendum eſt reprimentibus & refrigerantibus. Si vero glandularum inflammatio nimis nocenter & ita increſcit, ut gangrænæ timor ſit, circa tumorem ea poſſunt membro ſuperdari, non vero ipſi tumori imponi, id quod etiam in phlegmones & abſceſſus curatione fieri poteſt. Magis iſta aliena ſunt in inflammatione, quæ ex vulnere naſcitur, quod virus habet. Maxime vero in tumoribus ex febre maligna per μετάſταſιν ortis. Crebrius hæc medicamenta mutanda ſunt. Nam ſi diutius ſuperhabentur, eorum vis effœta redditur. Sanguinem mitti, alvumque lotionibus duci, ad hanc curationem, quæ per reprimentia fit, non tam commodum, quam neceſſarium eſt.

§. 78.

Membrum inflammatum continendum eſt, & ita collocandum, ut a nulla re offendatur, utque nec moveatur, nec dependeat. Sine quiete inflammata ægrius curantur. Si epithemata ſuperhabentur, illa nocentiſſima eſſe poſſunt, ſi nimium madent, calor vero moderatus ſit.

§. 79.

Ubi autem inflammatio adolevit, illaque plane membrum tenet, (65.) Chirurgi cura eſſe debet, ut illam reſolvat. Præter ea, quæ ſupra (66. ad 70.) præcepimus, imponi debent medicamenta, quæ quieſcentes tumores attenuant, & reſolventia vel diſcutientia vocantur. Si inflammatio non magna, nec profunda eſt, opitulari poſſunt ſpirituoſa, & ex his ſpiritus vini camphoratus, cui addi poteſt eſſentia croci, nec non ſacculi ex reſolventibus parati, vel ſicci, vel ex calido vino expreſſi. Adverſus vehementiorem vero inflammationem auxilium eſt in epithematis, quorum compoſitiones & miſturæ variæ ſunt. Fiunt enim ex vegetabilibus amaris, ex quibus fere prima ſunt: ra-

dix angelicæ, ariſtolochiæ, bryoniæ, imperatoriæ, ireos florentinæ, herba abrotani, abſinthii, agrimoniæ, betonicæ, majoranæ, marrubii, menthæ, origani, pulegii, roris marini, rutæ, ſabinæ, ſalviæ, ſcordii, ſerpilli, tanaceti, fl. ſambuci, chamomillæ, lavendulæ.

§. 80.

Hæc res vero eam prudentiam exigit, ut, ſi locus qui inflammatus eſt, valde rigidus fiat & durus, hæc epithemata ex aqua coquantur, iiſque quædam ex mollientibus adjiciantur; id quod fere neceſſarium, ſi corpus valde adſtrictum eſt. Si vero tumor juſto mollior eſt, & nihilominus inflammatio vehemens, & in corporibus in quibus phlegma abundat, aliena ſunt mollientia, neceſſaria vero, quæ adſtringunt & roborant. (*76.*) Ob hanc cauſam, antequam epithemata imponuntur, lavari poteſt locus vino aduſto, ſpiritu matricali, ſpiritu vini cum camphora. Epithemata coquantur ex vino auſtero, vel adjiciatur iis acetum, nitrum, ſal ammoniacus. Hæc ultima etiam adverſus putredinem ſunt, quoniam vis multum augetur, ſi, priuſquam ſuperdantur, cutis paululum conciditur. Hoc neceſſarium eſt, ſi inflammatio jam ad gangrænam ſpectat, & locus juſto mollior eſt.

§. 81.

Si inflammatio ſe inclinare cœpit, tumor cum integritate reſedit, iſque nec durus eſt, nec mollis, & color etiam in naturalem convertitur, (*66.*) magis utendum eſt roborantibus, quæ fibrarum laxatarum imbecillitati opitulantur. Si, inflammatione prorſus levata, membro quædam imbecillitas manet, confert ei ſubinde infrictionem adhibere, illudque ex ſpiritu quodam perfricare. Aptiſſimus eſt ſpiritus ſerpilli, lavendulæ, juniperi, formicarum, & ex compoſitionibus matricalis. Alternis etiam vicibus imponi poſſunt emplaſtra, & inter hæc potiſſimum, nervinum & oxycroceum. Confert etiam, quando quies non ita neceſſaria eſt, (*78.*) ut membrum iterum ad ſuos uſus promoveatur. Aliquando infirmis optime medetur faſcia, qua fibræ modice adſtringuntur.

§. 82.

Si vero inflammatio pro magnitudine noxæ minor eſt, confert locum perfricare & ſuper illum injicere cataplaſmata ex reſolventibus & emollientibus, vel emplaſtra, quæ molliunt & digerunt, inter quæ diachylon compoſitum primum eſt. De his infra, ubi de gangræna agetur, dicendum.

§. 83.

Nocent, ſi inflammatis admoventur, olea deſtillata, unguenta, opiata. Si magnis vulneribus ſupervenit inflammatio, pus movendum eſt; ſi autem vulnus eſt in parte nervoſa, incidendum eſt, donec ſatis pateat, ſine quo inflammatio curari nequit. Si ab emoto oſſe orta fuit, non prius, quam illo repoſito, levatur. Medicamenta celerius imponenda ſuut, cum frigus & aër non parum offendere poſſint inflammata.

ABSCESSUS.

§. 84.

Ubi autem nimis valenter retenta materia eſt, illa in pus vertitur. (54.) Suppurationem vero futuram eſſe intelligitur, ſi inflammatio non ita valida eſt, ac eſſe ſolet, ſi illa ad gangrænam ſpectat, ſi febris quamvis tenuata, cum dolore, calore omnibuſque ſymptomatis permanet, & ſi omnia illa auxilia, quæ ſupra præcepimus, (61. ad 81.) nihil proficiunt. Si decreſcente febre ex urina nihil deſidit. Si tumor rotundus profunduſque ab initio cum duritie ac rubore adoleſcit. Si æger gravitatem tumoris ſentit. Si etiam dolor cum ſiti, vigilia aliiſque ſymptomatis increſcit.

§. 85.

Oriente vero pure, iterum inhorret æger, horroris tamen incerta tempora ſunt. Summus tumor molleſcit & rubor in album mutatur. Ubi jam in tumore humor ſubeſt, ille digito parumper cedit, circumfluenſque id, quod non premitur, attollit; quo tempore etiam dolor ſe aliquantum remittit, gravitas vero augetur. Quamdiu enim humoris magna pars in vaſis hæret, tumor durus eſt & renitens, quam primum ve-

ro is ex iis exiit coiitque , levatur inflammatio & tumor molleſcit .

§. 86.

Aliquando tamen in penitus condita ſuppuratione , & ſi altius pus movetur , nihil horum in cute deprehendi poteſt. Sentit tamen æger cum febre , ſiti , vigilia aliiſque ſymptomatis intus aliquas punctiones, & locus prurit, tandemque ſublividus aut ſubalbidus fit.

§. 87.

Hoc inflammationis genus, niſi valde magnum ſit , & partem aliquam nobilem occupet , non ita periculoſum eſt . Magnæ tamen & longæ ſuppurationes , quia mala materia aliis corporis ſuccis admiſcetur , ſæpe cacochymiam , phthiſin & hecticam relinquunt : id quod accidere etiam poteſt , ſi ex abſceſſu pus non juſto tempore emittitur , vel ſi ipſa ſuppuratio cohibetur . Hoc , impoſitis reprimentibus ſpirituoſis fieri , & ſi ſub curatione locus valentius faſciis adſtringitur , panniſque premitur , infra , ubi de vulneribus agetur , docebo.

§. 88.

Aliquando , ſi in urina purulentum , leve ac album ſubſidit , abſceſſus ſolvitur , id quod tamen rarius fieri compertum eſt.

§. 89.

Si jam tumor ita adolevit , ut pus alat , aliena ſunt reprimentia, diſcutientia & ſpirituoſa, quippe quæ eum in ſcirrhum vertunt . Si chirurgo non certa reſolutionis ſpes eſt , ab initio imponere poteſt , quæ utramque facultatem habent , & reſolvendi , & molliendi . Igitur ex remixtis inter ſe reſolventibus ac emollientibus parari poſſunt cataplaſmata , vel imponi ſupra commemorata emplaſtra mollientia.

§. 90.

Quod vero his non diſcutitur , neceſſe eſt , ut matureſcat . Si autem , id quod crebrius incidit , pro tumoris magnitudine minus valida eſt inflammatio febriſque levior , majori vi opus eſt. Incitare itaque oportet febrem quo in caſu fere optimum eſt, nulla medicamenta dare . Aliena eſt ſanguinis miſſio , alvi ductio , & omne, quod æſtum infringit. Adhibenda eſt exerci-

tatio, loci inflammati fricatio, cibus plenior, potio etiam liberalis, & quæ valentioris generis eſt.

§. 91.

Tumori imponenda ſunt, quæ pus movent, in quibus aliquod diſcrimen eſt. Sunt enim quædam, quæ tantum molliunt, fibraſque laxant, & exſpirationem ex cute cohibent. Ex his prima ſunt radix altheæ, malvæ, liliorum alborum, herba altheæ, malvæ, brancæ urſinæ, meliloti, mercurialis, parietariæ, verbaſci, violarum, flores chamomillæ, meliloti, verbaſci, ſemen lini, fœnu græci, pſyllii, ſeſami, omnis generis farinæ. Præter hæc olea blanda, liliorum alborum, verbaſci, lini, axungia & butyrum, ovi vitellus, quæ ultima non rancida eſſe debent, ſed recentia. Fiunt ex his cataplaſmata. Expeditiſſimum etiam eſt, quod paratur ex ſimila, vel pane ſimilagineo, ſemine lini, contuſis, quibus ex lacte coctis oleum liliorum alborum adjicitur. Et cataplaſmata nocent, ſi hument & frigeſcunt. Emolliunt etiam emplaſtra, de meliloto, malacticum, de ammoniaco, diachylon ſimplex. Emplaſtra emolliendis tumoribus valde idonea ſunt.

§. 92.

Alterum genus medicamentorum eſt, quod maturationem juvat, dum puris concurrentis internum motum auget, & facit ut colliqueſcat. Hæc vel emollientibus miſceri poſſunt, vel ſummo tumori imponi, ſuperdatis iſtis emollientibus. Ad movendum itaque concoquendumque pus maxime poſſunt cepæ uſtulatæ, allium, caricæ pingues, ſapo, mel, fermentum panis, panis domeſticus maſticatus & ſaliva ſubactus, gummi ammoniacum, galbanum, ſagapenum, bdellium, quæ potentiora ſunt, ſi aceto ſolvuntur, & aliis admiſcentur *a*. Ex compoſitionibus præcipuum eſt emplaſtrum diachylon compoſitum.

a Si gummi ſolvuntur vitello ovi, ad mollienda quæ dura ſunt, magis valent.

§. 93.

Hæc vero conveniunt in minori inflammatione, & ſi febris pauca & mediocris eſt. Si vero utriuſque major impetus eſt, atque ſanguis malus, qualis in malignis eſſe ſolet, ultimum

genus medicamentorum, omniaque emplaſtra aliena ſunt, & ſola emollientia proficiunt, quibus acetum adjici poteſt, quo putredo avertitur. Circa tumorem imponantur (76. 77.) obſervatis. (78.)

§. 94.

Si tumor induruit, inflammatio vero & febris ſe plane remiſerunt; id quod accidit, ſi alius chirurgus refrigerantia, reprimentia, ſpirituoſa ſuperhabuit, vel ſi evacuantibus omnem calorem motumque infregit, primum genus medicamentorum (91.) ad concoquendum pus magis valet: Quæ vero curatio ſæpe longa eſſe ſolet. Pus ex his tandem victis plerumque pallidum, lividum, ſero ſimile, ac fæculentum effunditur.

§. 95.

Pus maturuiſſe, ex notis (84. 85. 86.) colligitur. Illud, ſi altius non eſt, per ſe aperitur, vel impoſitis adurentibus, vel ſcalpelli opera evocatur.

§. 96.

Plerumque exſpectanda maturitas eſt, qua cutis extenuatur, omneque pus in abſceſſu jungitur. Si enim ſubcruda aperiuntur, pus multo ſanguine remixtum, tenue, dilutum, eſſe ſolet, non vero craſſum, albidum, leve, æquale & unius modi, quod optimum eſt. Oræ inciſæ plagæ intumeſcunt & inflammantur, ulcus manet, quod ægrius, & non niſi impoſitis aliis concoquentibus & pus moventibus, ſaneſcit. Aër enim, ſi hoc tempore adſpirat, adſtringit vaſorum diſruptorum oſcula, quæ ideo humorem ægrius dimittunt. Nec tamen hoc perpetuum eſt. Nam interdum majus malum, quod timetur, requirit, ut ex crudo tumore pus evocetur. Id quod in abſceſſibus, qui juxta anum ſunt, ſæpe fieri oportet. Aſt non ſola feſtinatio nocet. Nam æque nocet pus, quod, ſi maturum eſt, non educitur. Nam & illud diutius ſubſidens in ſaniem vertitur tenuem, lividam, acrem, & quæ proxima atque ſana rodendo ſinuat. Inde autem ulcera fiunt ac fiſtulæ, & ſæpe, quia mala materia, ſi ejus major modus eſt, ſanguini admiſcetur, vitiatur totus corporis habitus.

§. 97.

Ubi chirurgus medicamentis, quæ adurunt atque exedunt, abſceſſum adaperire vult, ad hoc commodiſſimus eſt lapis infernalis, vel lapis cauſticus chirurgorum. Haud ita opportunum eſt butyrum antimonii, quod calore liquatur & diffunditur. Alienus eſt mercurius ſublimatus. Si hæc admoventur, locus emplaſtro tegitur, quod in medio foramen habet. Super cutem itaque inter emplaſtri oras ponitur medicamentum adurens, quod, alio emplaſtro ſuperdato, pannis & faſcia apprimitur. Priuſquam imponuntur, cutis humidanda eſt. Intra aliquot horas adurens medicamentum cutim exeſt.

§. 98.

Expeditiſſima vero curatio eſt, ſi tumor inciditur, id quod fit ſcalpello ancipiti majori. Ubi ſcalpellus admovetur, altera manu tumor modice comprimendus & pus verſus ſuperiora urgendum, quo illud propius reperiatur. Major abſceſſus majorem plagam deſiderat. Scalpellus ita demittitur, ut mucro prius etiam oppoſitam partem incidat, & poſt acies per ſummam cutem educatur. Aliquando nondum ſatis tenuata eſt adeps, quæ igitur profundiorem ſectionem poſtulat. Cavendum tamen, ne grandes arterias venaſque præcidamus *a*. Hujus rei vero, ſi pus maturuit, minor metus eſt, quia illud inter cutem & vaſa medium eſt. Minus aptum eſt, tumorem non in ſumma, ſed inferiori parte, incidi; id quod nonnulli eam ob cauſam præceperunt, ut puri exitus eſſet. Nam & hæc ſectio cruda (96.) foret.

a Vid. Exemplum in GALENO de Adminiſtrat. Anat. L. VIII. c. XIII.

§. 99.

Rupta itaque vel inciſa ſuppuratione, pus exprimi debet. Nil vero magis alienum eſt, quam, ſi ea valentius premitur, ſi in eam immittuntur duriores turundæ, (20.) & ſi haud modice deligatur, ſed adſtringitur. His enim tumor durus fit & oræ calloſæ.

§. 100.

Cetera quæ ad purgandum abſceſſum, eum implendum, & cicatricem inducendam, conveniunt, infra docenda ſunt. (v. de vulneribus.) Jam etiam medicamenta, quæ ſanguinem purgant, neceſſaria ſunt. Omnis curatio ad corporis habitum, ætatem, vitæ genus, alioſque morbos quibus æger laborat, dirigenda eſt. Pernicioſa eſſe poſſunt, quæ adverſus humorum vitia dari ſolent, ſi ſanguinem nimis cient. Aliena etiam ſunt ab initio purgantia, quia puris exitum cohibent, quæ, quando ad inducendam cicatricem ventum eſt, requiruntur. Neceſſaria eſt abſtinentia. Nam, ſi cruditas in corpore eſt, ea etiam in pure deprehenditur, quam facile dignoſcit peritus chirurgus *a*.

a Si æger ſe vino vel alia valentiori potione ingurgitavit, vel ſi concitato animi motu perturbatus fuit, nova oritur inflammatio, ſiccantur oræ, pus tenue fit, acre, rodens. Si ſe carnibus implevit, pus lentum eſt & mucoſum.

§. 101.

Si durities, poſtquam pus effuſum eſt, manet, ſuperhaberi debent emollientia & pus moventia, ex emplaſtris diachylon compoſitum.

FURUNCULUS.

§. 102.

Furunculus eſt abſceſſus quoddam genus, quod oritur, ſi ſanguinis parum ex rupta aliqua minori arteria coiit, &, quia ſolvi ac mobilis reddi nequit, in pus vertitur. Nam, ſi plures arteriæ rumpuntur, major puris concurrentis modus eſt, & fit abſceſſus. Ex furunculo enim minime multum exit.

§. 103.

Ejus notæ ſunt: tuberculum acutum, valde durum, cum inflammatione & pro modo tumoris vehementiſſime dolens. Furunculus enim ovi dimidii magnitudinem raro explet, numquam excedit. Manet durities & cum dolore increſcit. Tandem ſummus tumor inalbeſcit, & naſcitur puſtula, ex qua rupta parum puris craſſi, ſanguine remixti, exit. Nullum periculum

eſt , etiamſi nulla curatio adhibeatur . Si vero tumor partes nervoſas occupat , aut ſi plures idem corpus infeſtant , oportet dolorem levare . Non a cute , ſed ab interioribus partibus incipit , & per ſe intumeſcit furunculus , vitio in ſanguine orto , qui , ſi craſſus vel glutinoſus eſt , morbum facere videtur .

§. 104.

Si propter doloris vehementiam oportet furunculo curationem adhibere , efficiendum eſt emollientibus , ut celerius matureſcat atque pus erumpat . Supervacua enim heic ſcalpelli opera eſt , cum pus cutim rumpat & per ſe aperiatur . Superdari itaque poſſunt emollientia , & quæ puri movendo idonea ſunt . (91. 92.) Ubi pus expreſſum eſt , ſuperhaberi poteſt emplaſtrum diachylon compoſitum , quo duritia , quæ plerumque manet , ſolvitur , & quidquid materiæ in vaſis hæret , evocatur . Nec aliis medicamentis opus eſt.

V A R I .

§. 105.

Furunculus fere ſimiles ſunt vari , quorum ſedes eſt in glandulis ſebaceis MORGAGNI. Naſcuntur in facie , etiam , ut videtur , ex craſſo , glutinoſo & impuro ſanguine . Si feminæ eo tempore , quo catamenia fluunt , veſcuntur cibis qui mali ſucci ſunt , nec non , ſi illis cutis ſordeſcit , quia neglecta munditie , faciem pinguioribus digitis contrectant .

§. 106.

Adverſus eos , maxime ſi ſanguis non tam impurus eſt , quam glutinoſus , proficiunt cucurbitulæ conciſa cute tergo admotæ , nec non aquæ minerales . Nocent plerumque coſmetica , præ aliis ea , quæ ex mercurio parantur .

CARBUNCULUS.

§. 107.

Majus periculum adfert ἄνθραξ, ſeu carbunculus, qui quaſi malignus furunculus eſt. Nam tumor vehementiſſima inflammatione cingitur, quæ non tam in ſuppurationem, quam in gangrænam tendit. Plerumque naſcitur ex maligna peſtilentique febre. Ejus notæ ſunt tumor valde durus, ex atro rubens & lividus, qui parum levatur, ſed inferiori carni quaſi affixus eſt. Dolor acerbiſſimus eſt, & qualis ab adurentibus eſſe ſolet.

§. 108.

Aridus duruſque tumor, ſi ſuperhabitis emollientibus curatur, non, ut furunculus, in pus vertitur, ſed, ſuperveniente gangræna, putreſcit. Si vero res bene cedit, gangræna non ſerpit, ſed id quod corruptum eſt, ab integro ſeparatur, pure inter utrumque moto. (Vid. de Gangræna.)

§. 109.

Carbunculus ſemper magni & maligni morbi teſtimonium eſt, & ſummum periculum habet. Is tamen tolerabilior, qui levatur, rubet & muſculoſa loca occupat. Circa quem vero magna inflammatio eſt, & quæ ſubteractis quaſi radicibus, ſerpit, qui nigrum lividumque colorem habet, qui non levatur, ſed inferioribus quaſi affixus manet, vel qui ſine integritate iterum minuitur, qui loca nervoſa, articulos atque tendines occupat, mortis periculum oſtendit. Æger etiam rapi poteſt, ſi plures, quamvis boni, idem corpus infeſtant, quia is nimio dolore conficitur.

§. 110.

Adverſus carbunculos auxilium eſt in emollientibus, quibus pus movetur & vitiatum ab integro ſeparatur. Imponenda itaque cataplaſmata ex farina, quam ex lacte coqui optimum eſt. Adjici poſſunt oleum, mel, carica pinguis, & alia. (91. 92.)

§. 111.

Sunt, qui feſtinare malunt, & crudum carbunculum protinus excidere vel adurere, & ad id, vel igne, vel medicamentis, quæ rodunt atque exedunt, uti. Aſt ſic vitium non tollitur, ſed inflammatio, quæ oras novi ulceris occupat, periculoſius procedit. (96.)

§. 112.

Commodum magis videtur, ferrum candens eminus admoveri carbunculo, ſi is quaſi imis affixus eſt, quo magis levetur. Nam cantharides non ita opportunæ ſunt. (62.) Si omne corruptum undique a viva carne diductum eſt, ulcus curatur implentibus. (Vid. infra de Vulneribus.)

MAMMARUM INFLAMMATIO.

§. 113.

Aliter etiam curari debent glandulæ, ſi illæ cum inflammatione intumuerunt. In his enim reprimentia plerumque aliena ſunt, cum nec ſola diſcutientia ferant. Nam ſi earum tumor reſolvi debet, neceſſe eſt plurimis emollientibus uti, vel harum non minimam partem aliis admiſcere.

§. 114.

Nonnumquam mammæ inflammantur, id quod iis frequentius evenire ſolet, quæ ſuo lacte prolem alere nolunt, vel dum eam delactant. Enitendum eſt, ut his lac, quod in mammis confertim hæret, reprimatur & ſanguini admiſceatur. (87.)

§. 115.

Expeditiſſimum eſt, faſcia paulo adſtrictiori mammas protinus comprehendere, & in altum levare. Sic enim, & hac objecta, lacteus humor, ne in mammas concurrat, prohibetur & avertitur. Faſcia vero non ita opportuna eſt, ſi mammæ lacte jam tument & valde duræ ſunt. Nam facile ex nimis valida preſſione increſcit duritia & inflammatio. In hoc caſu optimum eſt, ſi lac exitum habet, & ſponte ex mammis effluit, hæ autem molleſcunt & reſidunt. Circumdari cum faſcia poteſt emplaſtrum, quod ex æquis portionibus emplaſtri de ſpermate ceti & diaphoretici Mynſichti miſcetur, vel aliud, quod cre-

brius in uſu eſt, emplaſtrum filii Zachariæ. Nihil vero majorem uſum præſtat, quam abſtinentia, & ſi aqua calida, vel juſcula, quæ minime pinguia, ſed quam dilutiſſima eſſe oportet, potioni dantur. Egregie etiam in puerperis proficit alvi dejectio, quæ vero medicamentis quam mitiſſimis, & minime acribus, iiſque petenda eſt, quæ ἐκκοπρωτικὰ dicuntur. Ex horum genere potiora ſunt: manna, paſſulæ, cremor tartari, rhabarbarum. Iis, quæ prolem quam aluerunt, jam adultiorem ablegant, paulo validiora dari poſſunt.

§. 116.

Vim nocendi habet cibus potuſque valentior, calidus & ſanguinem ciens, qui inflat, & in quo nimium alimenti eſt, qualia eſſe ſolent jurulenta. Malum etiam auget alvus contracta, & ſi in puerpera lochia non proveniunt. Has vero feminarum purgationes medicamentis calidis promovere peſtiferum eſſe puto, maxime, ſi æſtus pulſuſque concitatior febrem ſuperventuram eſſe indicant, quam calidis incendi nemo ignorat. In hoc enim caſu, ex medicamentis ore ſumendis, quæ temperandi vim habent, habent etiam diſſipandi. Nocent etiam extrinſecus ſpiritus vini cum camphora, & alia, (59. 77.) interque hæc faſcia juſto adſtrictior.

§. 117.

Crebrius autem incidit, ut mulieri prolem alenti mammæ ex repreſſo coactoque lacte intumeſcant atque inflammentur. Hoc autem fit, ſi inopina re territa fuit, vel ſi frigore horruit, vel ſi ipſas mammas aliquid offendit, id quod ex emplaſtris accidere poteſt in iis, quarum cutis omnium rerum impatiens eſt. Heic diligentem obſervationem adhibeat chirurgus, an talis ſit inflammatio, quæ diſcuti poſſit. Si enim tumor non valde durus eſt, æqualis & ruber, qualis in eryſipelate eſſe ſolet, ſatis eſt, mammas ſiccis pulveribus conſpergere, qui adverſus eryſipelas proſunt, (vid. infra de Eryſipelate) illaſque contra frigus cuſtodire.

§. 118.

Si autem jam magis adolevit & altius deſcendit inflammatio, & tumor durus eſt ac nodoſus, ea obſervanda, quæ ſupra præcepimus. (93.) Dari poſſunt temperantia & diluentia.

Lac evocandum ſuctione catelli, vel alius mulieris. Conducit etiam lenior mammæ fricatio, quæ fieri poteſt mediante molliori excutia. Si vero lac jam penitus coactum eſt, & tumor ad ſuppurationem ſpectat, (59. 84. 85. 93.) maturandus eſt, obſervatis omnibus, quæ ſupra præcepimus. (90. ad 101.)

PAROTIDUM INFLAMMATIO.

§. 119.

Parotides ex varia cauſa intumeſcunt, ex concurrente mala materia in ſcabie & venereo morbo, nec non illo ulcere, quod a favi ſimilitudine veteres κηρίον appellaverunt *a*, & ſi humor argento vivo ſolutus eo concurrit. In ardentibus & ipſa peſte ſæpe in parotides μετάστασις fit. (46.) Accidere etiam poteſt, ut in glandulæ emiſſario, ſeu ductu a STENONE invento, ſe aliquid opponat, & ſalivam efflui prohibeat.

a CELSUS Lib. V. cap. 28. PAULUS Lib. III. c. 3. p. 16. TRALLIANUS Lib. I. c. 9. p. 5.

§. 120.

Ut vero hæ cauſæ, ſic etiam curationis ratio multum inter ſe diſtat. Quantum fieri poteſt, avertendus materiæ coitus eſt, & cavendum, ne aperiantur. Propter humorem enim, quem continent, pus boni generis haud fit, ſed acre, & quod junctas partes erodit; inde ulcera fiunt, quæ difficilius ſaneſcunt. Si tamen acuti, gravioris malignique morbi materia eo converſa eſt, ſatius eſt, tumorem aperiri, quam reprimentibus curari. (46. 77.) Nec tamen hæ parotides omnes in pus vertuntur, ſed ſæpe vel iterum evaneſcunt *b*, vel alvo bilioſa, craſſaque urina ſolvuntur *c*.

b Vid. HIPPOCRATES Epidem. L. I. Sect. I. p. 653.
c C. I. Sect. II. p. 667.

§. 121.

In aliis morbis præſidium petendum eſt potiſſimum ab illorum curatione. In ſcabie maliſque ulceribus alvus ducenda catharcticis, quibus adjiciendus eſt mercurius dulcis, dandaque ſunt, quæ ſanguinem ac lympham purgant. In catarrho, & ſi ſalivæ ductus confertus eſt, proſunt præter ea, quæ ipſi mor-

bo atque febri medentur, masticatoria, & ex his pimpinella alba. Leviter etiam pertractari fricarique locus potest. In omnibus vero his casibus tumor calidus servandus est, & superdandum emplastrum diaphoreticum, cui admisceri potest emplastrum de meliloto. Et in hac curatione cavendum, ne scirrhus oriatur. (58. 59. 93.)

§. 122.

Si vero felix hæc curatio non fuit, & tumor totus ad suppurationem spectat, (84. 85.) superdari debent emollientia cataplasmata & emplastra, (91.) & deinde tumor aperiri, (96. 98. 99. 100.) ulcus curari. Hoc aliquando, quia nimium & perpetuo madescit, difficilius sanescit. Confert, si hoc incidit, linteamenta paulo spissiora ex spiritu vini exprimere, & ulceri imponere, eaque injecta adstrictiori fascia adprimere, fasciam vero ante sextum diem, nisi aliud quid hoc exigat, non solvere. His vero diebus silentium habendum, neque quidquam, quod mandi debet, edendum *a*, sed in jusculis, pulticulis & similibus perseverandum est ægro, donec ulcus fuit glutinatum.

a le DRAN Obs. T. I. Obs. 2.

BUBO.

§. 123.

Fiunt etiam tumores sub axillis & inguinibus, quorum ultimos bubones appellant *b*. Hic tumor non absimilis ei est, quem in inguine faciunt epiploon & intestina, si ex abdomine descenderunt. Cum vero nullus error majus periculum habeat, & cum utrumque genus sæpe cum inflammatione sit, sedulo noscenda est differentia. Illud autem herniæ genus, quod super cruralibus vasis oritur, & quod herniam cruralem vocant, maxime, si non omentum, sed solum intestinum descendit, præ aliis minus perito opinionem bubonis facere potest. Nam bubonocele, a pudendis propior est, quam bubo. Epiplooce-le mollior plerumque est, & digitis plus cedit, quam enterocele & bubo, inter quæ itaque major similitudo est. At enim

in hernia crurali tumor rotundus eſt , in bubone oblongus. Si utrumque vitium digito premitur, plus cedit inteſtinum, etiamſi diſtentum ſit , quam bubo , qui majorem duritiem habet . In hernia , niſi id inflammatio prohibeat , tumor , ſi premitur, ad abdomen revertitur, haud vero bubo , qui preſſus increſcit , indureſcit & magis inflammatur . Hernia repente oritur, ſi abdomen valde conſtringitur , premitur, concutitur, nec non ſub clamore , vomitu, & ſi homo ſub aliquo pondere nixus eſt . Bubo naſcitur ex aliis cauſis , frequentiſſime ex impura venere , & pedetentim adoleſcit . Si inflammatio movetur , ea , quæ herniam occupat, maxima eſt, cum ſummo dolore & vomitu, & per evolutum compreſſumque inteſtinum nec alvus , nec ſpiritus tranſmittitur ; alvus ſumptis purgantibus haud ſolvitur , quamvis frequens ſit deſidendi cupiditas . Tandem , niſi minime diſtans curatio adhibeatur , bilis & ſub finem ſtercus per os redditur , inflammatio vero in gangrænam ruit . Bubo lenta plerumque inflammatione in pus vertitur , rumpitur, vel a chirurgo aperitur.

b Βουβών, inguen & tumor inguinis. Vide SVIDAM T. I. p. 444.

§. 124.

Bubones non raro intumeſcunt , ſi gonorrhœa male curata fuit , & virulentus humor celerius ſuppreſſus . Hoc vitium , ſi recens eſt , tollitur , ſi retenta materia reſolvi , & illud humoris profluvium revocari poteſt . Hoc vero efficiunt emulſiones, ſi amygdalæ , pineæ , papaveris & alia ſemina his idonea ex diureticis aquis in mortario conteruntur, & liquori per linteum tranſmiſſo pauciores guttulæ balſami Peruviani adjiciuntur . Si vero inflammationem adeſſe dolor & urinæ difficultas ſignificant , fere alienum eſt balſamum , & utilius nitrum .

§. 125.

Attamen , ubi bubo jam adolevit , illum reſolvere non ita tutum eſt , quia per ſuppurationem multum vitiati virulentique humoris exit. Hoc vero, ſi febris non urget , fieri poteſt, ſuperhabito emplaſtro molliente & diaphoretico , & datis ſimul catharcticis paulo valentioribus , in primis ex mercurio dulci .

Poſtquam tumor reſedit, dari oportet medicamenta efficaciora, ſanguinem purgantia, & quæ adverſus venereum morbum valent. Emplaſtrum Vigonis de ranis cum mercurio, niſi fere quadruplum mercurii adjicias, parum efficax videtur.

§. 126.

Optimum eſt, ſi pus movetur, (90. ad 99.) & poſt longam ſuppurationem, qua humores purgantur, ulcus glutinatur *a*. (100. 101.) Nec heic omittenda ſunt medicamenta. (125.)

a Eſt tamen quædam differentia. Si bubo mox poſt impurum coitum vel cohibitam gonorrhœam oritur, is fere criticus eſt, & quo virulenti humoris plurimum ex corpore ejicitur. Si autem ex inveterato morbo naſcitur, is nec levamen adfert, nec adeo facilem curationem recipit.

§. 127.

Si peſtilentis morbi materia in bubonem coiit, obſervandum, quod (46. 69. 77.) præcepimus. Mollientibus cataplaſmatibus (91. 92.) adjici poteſt, ſi dolor vehemens urget, parum croci atque theriacæ. Abſceſſus maturus factus ſcalpello aperiendus, (96.) & ulcus purgandum eſt.

§. 128.

Pueris ſæpe bubones indurantur & intumeſcunt ex lymphæ bonique ſucci redundantia. Vocant vulgo *die VVachs-Beulen*. His medentur abſtinentia, corporis exercitatio, purgatio, ſorbitiones ex ſuperinfuſa herbis diſcutientibus calida.

TESTICULORUM INFLAMMATIO.

§. 129.

In teſticulis vero inflammatio ex variis cauſis oritur, ex impura venere, & ſi virulenta & venerea gonorrhœa cohibita eſt, nec non ex ictu, & ſi valentius re quapiam premuntur. Hæc inflammatio, & propter doloris acerbitatem, & propter ipſarum, quæ laborant, partium naturam, non ſine periculo eſt. Teſtis enim ſcirrho, (59.) ſcrotum autem & ejus interior celluloſa tunica gangræna periclitatur. (36.) Si a retenta materia vitium oritur, prima tumet epididymis.

§. 130.

In hoc caſu, & ſi gonorrhœa haud ita pridem coërcita fuit, illa quandoque revocari poteſt. (124.) Si vero res non feliciter ceſſit, proſpicienda duo ſunt, ne tumor pus alat, & ne vitium contrarium oriatur, & duritia ſcirrhuſque maneat. Si itaque inflammatio vehemens eſt, mox ſanguis ex brachio mittendus, (62.) & omnia adhibenda, quæ (63. ad 68.) præcepimus.

§. 131.

Extrinſecus inflammationi opitulantur cataplaſmata, quæ vero minime humida eſſe oportet. Panis candidi interior pars, adjecta herba hyoſcyami & pauco croco, coqui poteſt ex aqua fluviali, donec habeant ſpiſſi cataplaſmatis temperaturam; & poteſt addi parum olei cujuſdam mollientis, verbaſci, liliorum alborum, altheæ, hyoſcyami. Etiam farinæ ſeminis lini, fabarum, addita pauca farina ſeminis cumini, ex aqua coquuntur, donec craſſitudinem cataplaſmatis minime madentis habeant, quibus parum olei additur. Si durus teſticulus emollientia poſtulat, ſcrotum vero inflammatum eſt, hoc, priuſquam cataplaſmata injiciuntur, lavari poteſt vino auſtero, vel aqua calcis vivæ, ex quibus decocta ſunt roborantia & diſcutientia vegetabilia. (76. 79.)

§. 132.

Quod ſi, omnibus his fruſtra adhibitis, pus oritur, illudque increſcit, aliter ſuccurri ei non poteſt, quam, ſi inciſo tumore (98. 99.) emittitur & ulcus purgatur. Si diſſipata inflammatione tumor durus manet, diu ſuperhabenda ſunt mollientia, & ex his, niſi cutis emplaſtri impatiens ſit, emplaſtrum, quod æquas portiones diachyli compoſiti & diaphoretici Mynſichti habet. Neceſſarium autem eſt, ut ſcroto vinctura ſubjiciatur, quæ illud & teſticulos ſuſpenſos tenet: ſuſpenſorium vocant.

§. 133.

Si vero teſticulus totus vitiatus eſt, iſque ſervari non poteſt, neceſſe eſt, ut excidatur. Prius tamen ſpermaticis vaſis vinciendo proſpiciendum. (Vid. infra de Sarcocele.)

§. 134.

Si inflammatio ſcrotum tenet, illa celerius ſerpit (36. 129.) & in gangrænam degenerat, qua non raro totum ſcrotum corrumpitur. Huic vitio occurrendum eſt roborantibus. (76. 79. 131.) Si jam nigrities illud occupavit, protinus omne, quod corruptum eſt, excidendum. Videndum tamen, ne ex inciſa arteria profuſio ſanguinis oriatur. Quare ſæpe præſtat cruſtas ſcalpello concidere & medicamentis reſolvere. Digerentibus igitur & pus moventibus adjici poſſunt ſeptica, & ex his unguentum VVÜRTZII, eaque obſervanda, quæ de gangræna infra docebimus. Non raro accidit, ut omne ſcrotum abſcedat, quod adhibitis digerentibus & balſamicis renaſcitur.

§. 135.

Solent etiam TONSILLAE UVAQUE inflammari. Si malum vehementer adoleſcit, ab initio neceſſaria ſunt. (62. 63. 64.) Aqua gargarizandum eſt, in qua decocta ſunt reprimentia. Radix ſigilli Salomonis, biſtortæ, tormentillæ, herba pyrolæ, prunellæ, hyſſopi, ſalviæ, origani, flores roſarum, ſambuci, balauſtiorum, malicorium. His adjiciendum eſt nitrum, lapis prunellæ, roob dianucum vel diamoron.

§. 136.

Si vero inflammatio ad ſuppurationem ſpectat, (84. 85.) ex aqua vel lacte coqui poſſunt mollientia. Radix altheæ, malvæ, herba parietariæ, mercurialis, malvæ, flores malvæ, verbaſci, ſemen fœnu græci, lini. Ex utroque genere decoctum componi poteſt & varia proportione miſceri, prout res poſtulat.

§. 137.

Si vero faucium ardor ægrum male habet, illum levant cydoniorum pſylliique ſemina, ſi adjecta paulatim aqua plantaginis teruntur, & ſic cremor paratur, eoque fauces illinuntur. Melli, quod roſam excepit, admiſceri poteſt roob diamoron & nitrum, eoque perungi fauces. Hoc penicillo fit, aut ſpecillo, quod linteo carpto involutum in medicamentum demittitur; quo etiam tenacior pituita, ſi fauces obſidet, extergenda. Præſtat enim, ſi inflammationis metus eſt, penicilli uſus, quia, ſi liquores per ſiphonem expreſſi majori vi in

fauces immittuntur , hæ non parum offenduntur . Hæc etiam uvæ per cochlear commode illinuntur . Pituitam melius reſolvit eſſentia pimpinellæ albæ , ſi pauciores guttulæ fruſtulo ſacchari exceptæ in ore continentur , quod remedium vero non niſi in minus valida inflammatione , opportunum , in majori alienum eſt . Cum his collum velandum eſt . Sal calidus & ſambuci flores cum ſaccellis ſuperponi extrinſecus poſſunt . Ubi autem inflammatio periculoſior interiora occupat , illaque extrorſum evocanda videtur , utiliora ſunt emplaſtra & cataplaſmata emollientia . Non parum confert , ſi caput ſublimius habetur .

§. 138.

Vehemens inflammatio in ANGINA terret , ſi ea fauces difficultate ſpirandi ſtrangulat . Hæc tamen aliquando deſiderat , ut ſanguis ex ipſa parte , quæ laborat , vel ex proxima mittatur . Hoc vero auxilium non prius arripiendum , quam ſi nullum aliud apparet . Super faucibus itaque & tonſillis concidenda cutis ſcalpello eſt , idque altius , quo multum ſanguinis exeat . Prius tamen ſanguinis non parum detrahendum eſt ex inciſa alia vena . Celerius inflammatæ fauces exhauriuntur , ſi ſanguis ex jugulari mittitur , id quod magis commodum eſt , quam ſi inciduntur venæ ſub lingua . (Vid. infra de ſanguinis miſſione .) (62. 68.) Si periturus eſt æger , is temeraria via , ſecta nimirum trachea , adjuvandus . (vid. infra de bronchotomia .)

§. 139.

Ubi tonſillæ pus alunt , tumorque maturuit , is vero pure ſubſtante non rumpitur , incidendus eſt . Ad id aptum eſt anceps ſcalpellus linteo carpto ad mucronem uſque obvolutus , vel inſtrumentum , quod φαρυγγότομον appellant , cujus etiam varii modi ſunt *a* . Ulcus purgat mel cum roſa , cui tantillum eſſentiæ ſuccini & pimpinellæ admiſceri poteſt . Etiam utilis eſt pimpinella cum ſaccharo . Ex male curata inflammatione non raro tonſillæ ſcirrhoſæ fiunt . Si earum major tumor eſt , iſque premit Euſtachii tubam , ægri gravius audiunt .

a Vid. VVIDEMANNI Diſſert. de Tonſillis . GARENGEOT des Inſtr. T. I. p. 371.

PARONYCHIA.

§. 140.

Propriam animadverſionem etiam poſtulat illud abſceſſus genus, quod in extremis digitis oritur & veteribus παρωνύχια vel reduvia *a*, recentioribus barbaro nomine panaritium dicitur. Adfert magnam inflammationem, acerbiſſimum dolorem, gravioremque febrem, non raro gangrænæ metum.

a Reduvia proprie ſignificat, ſi cutis e latere & ad radicem unguis ſolvitur.

§. 141.

Naſcitur vitium, ſi humor aliqua parte in digiti extremo coiit & quieſcit, qui vel ſanguis eſt, vel illud oleum, quo interius tendines inunguntur. Nam in paronychia non ſemper pus, ſed ſæpe ichor tenuis acris reperitur. Non raro ex punctura cum acu aut feſtuca fit. Sæpe tamen non tam a cute, quam ab interioribus partibus incipit. Cui rei occaſio datur, ſi digitus calida mollitus & æſtuans repente in frigidam demittitur. Obſervatio docuit, ad id etiam valere lixivium ex cineribus, quod ad purganda coquinaria & alia vaſa adhibetur.

§. 142.

Hoc inflammationis genus ſummum dolorem habet, quia locus quem infeſtat, nervis abundat. Illud ſæpe ſine notabili tumore, numquam ſine majori inflammationis impetu eſt.

§. 143.

Variam autem ſedem habet malum. 1. Aliquando enim tumor coiit in tunica adipoſa, ſub cute, quæ hac parte & multum ſenſum habet, & exercitatis durior eſt; quod genus optimum eſſe ſolet. 2. Fere pejus eſt, ſi humor ſub ungue hæret. 3. Longe difficilius, ſi humor ſub perioſtio eſt. 4. Peſſimum autem, ſi is hæret in vagina, qua tendines muſculorum digitos moventium, ſublimis & profundi, comprehenduntur. Neque enim alia importunior acutiorque inflammatio ea eſt, quam hæc ultima paronychiæ ſpecies movet. Alia etiam ſedes eſſe poteſt, ſi materia ſub vagina illa perioſtio inhæret.

§. 144.

Primum autem hujus mali genus tumorem habet elatiorem, cum aliquo rubore dolorem vero tolerabiliorem. In altero & tertio genere locus nec tumet, nec rubet, & colorem cutis haud excedit, dolor autem ſubeſt atrocior, qui vehementius creſcit, ægro omnem ſomnum eripit, & ſummam febris intenſionem adfert, ex qua etiam delirium naſcitur. Ex quarto autem genere tumor oritur, qui cum ſummo periculo totum brachium occupat, ut etiam magis intumeſcat manus, quam digitus, illeque locus, ubi prima mali ſedes fuit. Mox a principio in hoc genere æger dolorem ſentit eo loco, ubi ex condylo interno humeri, ulna & ligamento interoſſeo educitur muſculus flexor digitorum ſublimis ſeu perforatus.

§. 145.

Expeditiſſima curatio eſt illius, quod ſub cute eſt. Si ſub ungue vitium hæret, is abſcedit. Si vero mala materia oſſi inſidet, hoc vitium contrahit & totum vitiatum plerumque eximendum eſt. Quarto generi, niſi quam primum ſuccurratur, proximus eſt gangrænæ metus, quæ in totum brachium tendere ſolet.

§. 146.

Raro hæc inflammatio, & non niſi ab initio, diſcutitur, ubi nondum penitus inſedit. Ad id vero maxime poſſunt aqua, quantum tolerari poteſt, fervida, in quam digitus demittitur & per multum tempus in ea relinquitur. Alii magis idoneum eſſe volunt ſpiritum vini cum camphora. Imponi etiam poteſt emplaſtrum ſaponatum Barbette, addito croco & camphora, vel cataplaſma ex allio, ſcordio, hyoſcyamo, quibus, ex lacte coctis, adjicitur crocus & theriaca.

§. 147.

Quod vero his non ſolvitur, evocandum eſt. In primo genere humor in pus verti poteſt, id quod efficiunt cataplaſmata mollientia & diachylon compoſitum. Tandem cutis ſupra pus exciditur, & plaga hoc exempto purgatur, atque ad cicatricem perducitur. Ad hanc curationem apta ſunt, quæ locis nervoſis conveniunt, eſſentia balſamica Stahlii, cum balſamo Arcæi. (vid. de Vulneribus.)

§. 148.

Ubi autem tumor ſub ungue coiit, & hic incidendus eſt, quo is poſſit effundi. Unguis abſcedit, quo in caſu ſuper eum imponitur cera, ut is, qui renaſcitur, contra injurias cuſtodiatur.

§. 149.

In tertio paronychiæ genere neceſſe eſt ad evocandum humorem etiam crudum feſtinare. Inciditur vero locus hoc modo: Digitus tabulæ, ſeu alii corpori duro, imponitur, ita, ut noxa chirurgo obverſa ſit: ſcalpellus in locum, qui maxime dolet, ad os uſque demittitur, & uſque ad extremum digitum plaga inciditur paucuſque humor exprimitur. Si autem tumor prope articulum aperiendus eſt, incidi debet e latere, cum tendini flexoris parcendum ſit. Sectionem recte factam eſſe, intelligitur, ſi dolor conquieſcit. Adverſus plagæ inflammationem auxilium eſt in ipſo ſanguinis curſu, quem haud ſupprimere oportet, ſed pati fluere, donec ſponte conquieſcat. Si parum fluxit, mitti debet ex talo, vel altero brachio. Vulnus impletur linamentis, vel ſiccis, vel ex aqua vulneraria, quæ paucum theriacæ habet, expreſſis. Multum nocent linamenta, ſi nimium premunt. Hæc ſectio etiam in eo caſu, ubi inter vaginam & perioſtium tumor coiit, locum habere videtur.

§. 150.

Ubi perioſtio injuria acceſſit, os vitiatur. Ex eo vero rarius ſquama ſecedit, dum id, quod vitiatum eſt, aridum fit, vel hoc adhibitis medicamentis pedetentim ſecedit, crebrius autem incidit, ut totum officulum, quia caries ad illud totum tranſiit, eximendum ſit. Quamdiu vitiatum nondum ejectum eſt, neceſſe eſt, ut plaga pateat. (vid. infra de offium morbis.)

§. 151.

Ultimum paronychiæ genus requirit, ut vagina tendinum digitos flectentium, in qua materia hæret, incidatur. Niſi enim hoc fiat, illa nocenter increbreſcit ac in vaginam diffunditur; qua re & vagina nervoſa & ipſe tendo, qui premitur, multum intenditur. (44. 83.) Hæc vero res magnam

inflammationem, &, nisi efficacior curatio adhibeatur, gangræ-nam brachio adfert.

§. 152.

Protinus igitur scalpello recto digiti extremum, ipseque, qui ibi minimus est, tumor aperiri debet; post in plagam demitti specillum sulcatum, & super id vagina incidi, donec perveniatur ad purulenti humoris sedem; &, si res postulat, ad carpum, illudque ligamentum, quod hujus officulis innexum, annulare vulgo dicitur. Quia vero, si vitium jam adolevit, sæpe humor sub illo ligamento hæret, huic parcendum est, quia, si id secatur, tendines quos comprehendit, evolvuntur. Igitur sub ligamento in vaginam compellere oportet specillum, & in altera parte supra ligamentum istud paulo inclinatum cuti apprimere, quo hæc contra specilli principium incidatur, & exitus materiæ detur. Sæpe enim super musculo pronatore quadrato, ubi copiosa adeps est, multum puris hæret, quod omne evocandum est. Quo specillum melius eo usque compellatur, ægri manus ac digiti, quantum res permittit, debent inflecti. Si evocata materia fuit, ulcus purgandum est. Ne oræ celerius coeant, commode sub ligamento linum, vel habenula, trajicitur, cui medicamenta, purgando ulceri idonea, illinuntur.

§. 153.

Si hæc omnia non proficiunt, nec se remittit inflammatio, expeditissimum est supra carpi ligamentum, ipsum musculum, ubi is in tendinem degenerat, præcidere; quod auxilium magis commodum videtur, quam ligamenti annularis sectio, quod, nisi rodente materia violatum sit, integrum servandum est. Si vero illud dissectum fuit, oportet ægrum semper digitos inflexos habere, donec illud iterum fuit glutinatum. Quæcumque etiam curatio adhibeatur, minor, vel nullus usus illius digiti qui laboravit, relinquitur; cujus etiam sæpe parum supereſt in tota manu, quam rigidam manere necesse est.

§. 154.

Inciſa vagina ſinere oportet ſanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur. Si vero is cum impetu periculoſius ruit, non medicamentis ſupprimendus eſt, ſed arteriæ vinciendæ ſunt. (Vid. de Vulnerum hæmorrhagia.)

§. 155.

His autem ſauciatis compreſſiſque nervoſis partibus ſæpe caro ſupercreſcit, quæ medicamentis leniter exedentibus & adurentibus tolli poteſt. Commodiſſimum vero eſt, forfice caruncula excidere, vulnus ampliare, & ſic id quod contractum erat, laxare; plagæ vero eam curationem adhibere, quæ locis nervoſis idonea eſt. Deligatur manus faſcia, quæ duodeviginti capita habet.

Vide GLANDORPIUM de Paronychia. GARENGEOT Operat. T. III. C. VIII. p. 283.

ERYSIPELAS.

§. 156.

Nec omittenda eryſipelatis curatio. Eſt illud quaſi ſpurium inflammationis quoddam genus, quod in cute naſcitur, ſi humor per hanc exire ſolitus in minoribus fiſtulis retinetur, & tumorem cum febre excitat.

§. 157.

Notæ eryſipelatis ſunt: tumor æqualis, fere ſine altitudine latus, ex albo & livido ſplendens, ſubrubicundus, aut rubore & pallore miſtus; aliquando, ſi eo corpora tentantur, quæ mali habitus ſunt, ex rubro ſubniger. Membrum, quod eryſipelas recepit, non tam dolet, quam prurit. Accedit febricula, quæ cum ſat magno horrore incipit, ſudore & urina, ex qua multa craſſa deſidunt, ſolvitur. Fit præcipue eryſipelas in pedibus & cruribus, aliquando etiam in capite, cervice, facie, palpebris, aliiſque ſedibus. Non raro ſupervenit vulneribus & ulceribus. Oritur etiam ex μεταστάσει, ſi febris, vel alîus morbi materia, in aliquem locum incumbit. (46.) Locum mutat, & ſaneſcente eo quem prius occupaverat, in id quod integrum eſt, tranſit. (73.)

§. 158.

Et hoc vitium aliquod discrimen habet. Nam sæpe minor pruritus, qui ex quiescente & acri humore in cuti fit, veram inflammationem movet, & dicitur ἐρυσίπελας φλεγμονώδες. Si vero inflatio major est, quam rubor, tumor mollis, febris non magna, ἐρυσίπελας οἰδηματῶδες vocatur. Σκιῤῥῶδες autem, si tumor majorem duritiem habet. Incidere subinde ultimum solet ex mala curatione.

§. 159.

Erysipelas excitat animi gravior commotio, præcipue terror & ira, immoderata exercitatio, frictio, ignis vel solis ardor, & omne, quod exspirationem in cute coërcere potest. Ad id corpora, quæ mali habitus sunt, opportuniora esse compertum est. Subinde illud ex eadem causa revertitur.

§. 160.

Sedes ejus est in cute & hujus minimis fistulis, per quas tenuissimus halitus sudorque effertur. Si enim ille in his, ex variis causis, ex quibus obstructiones fieri supra retulimus, (35. 37. ad 47.) subsistit hæretque, oritur tumor, incitantur vitales motus, cieturque febris. Humor autem, qui ex oleo tunicæ adiposæ & recrementis omnium corporis succorum ortus videtur, motu & calore acrior fit, urens, ac tandem putris. Oleum enim rancidum, & optimam lympham salsam fieri, & sic ex variis sibique contrariis causis putre, salsum ac volatile in corpore ceteroquin recte valente oriri, compertum est. (vid. de Gangræna.) Quare hic humor numquam, ut sanguis, inflammatione coquitur, & in pus bonæ notæ vertitur; sed, si haud difflatur, in saniem mutatur, quæ cutim rodit & mala ulcera parit.

§. 161.

Si erysipelas sine inflammatione est, minus periculum habet. Pejus tamen, quod caput, palpebras, faciem infestat. Periculosum esse potest, quod cum mala febre oritur & in phlegmonem transit *a*. (conf. 60.)

a Vid. Illustr. HOFFM. Med. Rat. System. T. IV. P. I. Sect. I. Cap. XIII.

§. 162.

Oportet itaque eryſipelas diſcutere . Dari debent ægro , ſi valentior febris eſt , medicamenta , quæ æſtum minuunt , (64.) & ex his præcipue pulveres abſorbentes , bezoardici cum pauco nitro . Præter hæc etiam diluentia , ptiſana . Ubi morbus ſe inclinavit , ſorbitiones calidæ , liquores bezoardici , alexipharmici opportuni ſunt . Valde neceſſaria eſt abſtinentia & quies . Nocet frigus , magis vero æſtus . Si ſudor venit , debet æger ſe ſub ſtragulis continere , ut is ſe per totum corpus diffundat .

§. 163.

Si vero ad medicamenta veniendum , quæ exterius imponuntur , & uſus & ratio docuerunt , adverſus eryſipelas in iis auxilium eſſe , quæ tenuem , acrem , in cutis fiſtulis hærentem humorem recte diſcutiunt , dum ſolidas partes paululum adſtringunt , & tetrum illum halitum bibunt atque abſorbent . Proſunt itaque pulveres ſicci , farina ſecalis fabarum , lupinorum , quibus admiſcentur radix glycyrrhizæ , cortex medius ſambuci , flores ſambuci , adjecta etiam pauca camphora .

§. 164.

Ubi autem eryſipelas cum magna inflatione, ſeu φλεγμονώδες eſt , corpus vero molle , laxum , humidum & obeſum , requiruntur efficaciora roborantia . Iis igitur admiſceri poſſunt bolus Armena, ceruſſa , plumbum uſtum . Ad id idonea eſt compoſitio Mynſichti . Pulveres ſubinde , & poſt ſextam circiter horam , mutari debent , quos nec frigidos , nec valde calentes eſſe oportet.

§. 165.

Vitium vero , quod cum mala febre eſt , (161.) hanc curationem haud admittit . Tolerari debet , cum ſatius ſit, ſummam cutem corrumpi & exulcerari , quam id quod nocet , impoſitis reprimentibus , in interiores partes verti . Febre enim diſcuſſa, etiam huic ſuccurritur.

§. 166.

Ad eryſipelas referri poſſe videtur rarum illud morbi genus, quod veteribus Ζωστὴρ, ZONA, vel ἔρπης dictum eſt. Nam ab umbilico ad genua uſque cutis per puſtulas lividas exaſperatur, rubet & multum roditur. Habet etiam febrem, eamque ſubinde gravem, cum delirio aliiſque ſymptomatis, & periculum adfert, præcipue, ſi imprudentia curantis irritatur. Nec huic vis, impoſitis externis, adhibenda, ſed febris curanda eſt, qua quieſcente, etiam hoc eryſipelas ſanatur.

Vide SCRIBONIUM LARGUM Comp. 52. p. 44. & Comment. RHODII p. 122. PLINIUM H. N. Lib. XXVI. Cap. XI. T. I. p. 409. & Exempla in IOH. LANGII L. I. Ep. 32. TULPII Obſ. Lib. III. Cap. 44. HOFFMANNO c. l.

§. 167.

In omni eryſipelate male plerumque mittitur ſanguis, niſi illud plethora magnaque febris & juncta inflammatio poſtulare videantur. Nec aliis niſi lotionibus mollientibus, alvus ſolvenda. Nec multus ſudor eliciendus eſt. Quare aliena ſunt omnia calida, externus etiam calor, &, ſi quæ imponuntur, nimium concalefacta ſunt, quibus ardor atque pruritus augentur, inflammatio incitatur. At etiam frigus vitandum, quod, ſi locum laborantem ferit, metum adfert, ne mala materia repreſſa in partem magis neceſſariam incumbat. Alienus etiam cibus eſt, qui intus facile corrumpitur, jurulentus & calefaciens, (64. ad 67.) Nocere tamen aliquando poteſt nimia abſtinentia. (70.) Emplaſtra pinguia, humida, ſi ſuperdantur, ulcera faciunt, quæ non facile ſaneſcunt, quia acris illius humoris (160.) exhalationem impediunt. Nec proficit Spiritus vini cum camphora, quo fiſtulæ nimium arctantur.

§. 168.

Si, diſcuſſa febre omnique inflammatione, tumor durus manet, id quod ſæpius obſervatum eſt, ſi eryſipelas ſpiritu ardente curatum fuit, durities molliri poteſt emplaſtro de meliloto, nec non emplaſtro defenſivo viridi; vel miſcendus eſt par modus emplaſtri ultimi, vel diachyli ſimplicis, & emplaſtri diaphoretici. Ulcera enim, niſi duritia per hæc mollientia evicta fuerit, vix glutinantur. (vid. de Ulceribus.) Nec

hæc curationem recipiunt, niſi adhibeatur quies, & injiciatur faſcia moderate adſtringens. In cruribus ad id commodiſſima ſunt tibialia, quæ per ligamen adſtringuntur.

GANGRÆNA ET SPHACELUS.

§. 169.

Inflammatio, ſi fatalem exitum habet, tendit in γαγγραίναν. Dicitur autem quælibet pars ſolida mollis hac laborare, ſi in ea vitalis humorum circuitus tolli cœpit, & mors *a* atque putredo *b* imminent. (55.) Ubi vero membrum plane & ad os uſque ſine ſenſu ac motu eſt, atque emortuum, illud σφάκελος tenet. (57.)

a Pars corporis vivere dicitur, quamdiu humores in ſuis vaſis actione cordis & ſolidarum [31] moventur & vitalem circuitum conficiunt. Si hic motus penitus ceſſat, pars emortua eſt.

b Putreſcunt corpora, tum vegetabilia, tum animalia, ſi motu inteſtino & accedente calore externo convertuntur in liquamen fœtens, quod admoto igne ſalem dat volatilem valde attenuatum & oleum rancidum. Ex his ſale & oleo attenuatis & inter ſe mixtis oritur ſal volatilis. Terræ inhæret & manet aliud oleum craſſum piceum. Humores enim corporis, ex his præcipue ſanguis ex vena miſſus, calore in putre liquamen fœtidiſſimum acerrimum convertuntur; majori vero calore, ſi minor humoris quieſcentis modus eſt, ſiccantur & coguntur in materiam ſolidam. Id quod etiam ovi albo, humori animali minime acri, accidere in vulgus notum eſt. In corpore vivo putreſcunt humores ex variis & ſibi contrariis cauſis. Hoc incidit 1) a quiete. Si ſanguis hæret in tunica adipoſa, & ſub cute in phlegmone, ἐκχυμώσει, aneuriſmate ſpurio, in vexatis. Si his hæret in cavo quodam, ſub calva, in pectore, abdomine &c. Sic etiam putreſcunt pus in abſceſſu, &, ſi hic ruptus fuit, in aliis locis, axungia in articulis, medulla in oſſibus, id quod in ἐξοστώσει maligna, carie & παιδαρθροκάκῃ deprehenditur, lympha in hydrope, ſerum, quod per cutim exire ſolitum eſt, perſpiratione cohibita in eryſipelate, [160] anaſarca. 2) Putredo oritur a languido nimis motu, qui lentam corruptionem parit, v. g. in ſcorbuto a vita ſedentaria orto, in gangræna ſenum, infirmorum. 3) A valentiori motu atque æſtu, quo humores ſimilem in modum attenuantur, ſolvuntur, volatiles fiunt & acres. Hoc obſervatur in febribus acutis, valentiori corporis motu, aere fervido. Quamvis enim ab initio in febre acuta humores cogantur, [40] mox tamen illud coagulum, per διάθεσιν φλογιστικὴν ortum, motu inteſtino ſolvitur, & oritur attenuatio ſumma, atque, ſi hoc

liquamen non vi vitæ ejicitur, putredo. 4) A cohibita excretione ſeri, urinæ, fæcum. 5) A defectu novi chyli blandioriſque ſucci, qui ſanguini admiſceri debet, in diuturniori inedia, potus defectu, ſi viæ chylum ferentes obſtructæ, e. g. in pueris, quibus indurantur meſenterii glandulæ, oritur rhachitis, παιδαρθροκακία, nec non, ſi ductus thoracicus vulnere laceratus eſt. 6) Inter putredinis in corpore ortæ cauſas eſt, ſi chylus nondum ſubactus & in ſanguinem coactus iterum crudus ex corpore per varia loca expellitur, in cœliaca, diabete, ſudore ac diarrhoea hecticorum. Quod vero ad ea attinet, quæ extrinſecus corpori hanc διάθεσιν adferunt, ut humores celerrime putreſcant, potiora ſunt varia venenorum genera, maxime illud, quod morſu viperarum ſerpentiumque infertur, occulta etiam illa peſtilentium ac malignorum morborum cauſa. Putredinem augent quoque ſales volatiles, ſi intus ſumuntur & extrinſecus admoventur, ſapones cum alcali parati, rancida, & omnia quæ ranceſcunt. Si vero aliqua parte putredo orta fuit, illa, niſi cohibeatur, pervadit proximas ſedes, immo defecta vitali virtute omnes humores, quos tandem prorſus maligno fidere adflat & corrumpit. Id factum eſſe, humorum lixivium, urina, quæ putris, fœtens, ſpumans, acris, obſcura exit, teſtatur, nec non putidiſſimæ & male olentes dejectiones.

§. 170.

Præcipua gangrænæ ſedes in adipe eſt & tunica celluloſa, (36. 56.) quam & omnes, & ſingulos muſculos, & muſculorum fibras, membranas aliaſque partes comprehendere conſtat. Hæc, ſi exeſa eſt & putredine conſumta, haud renaſcitur. Quæ res occaſionem dat, ut, ſi hæc omnis per gangrænam corrupta fuerit, integris manentibus muſculis nullus ſit motus, quamvis ceteroquin hi omne illud habeant, quod motum præſtat.

§. 171.

Cum vero hoc vitium & ſua initia habeat, & in perniciem procedat, &, cum aliter medendum ſit ei, ſi increſcit, aliter, ſi ſubſiſtit, aliter, ſi jam ad ſanitatem revertitur; explicandæ ſunt propriæ notæ, quæ hæc tempora & vel ſpem vel periculum oſtendunt.

§. 172.

Protinus vero ex (55.) propoſitis ſignis ſcire licet, ſi inflammatio in gangrænam tendit. Ubi vero hæc incipit, dolor, æſtus loci inflammati, intenſio ſe remittunt, & æger de bonis ſuis gaudet, qui ſe meliuſculum eſſe credit. Hæc enim, quæ ſuſpecta & periculi plena eſt, levatio non fit ob aliam cauſam, quam, quod vaſa, quæ cum nervis a quieſcente humore tenſa erant, jam rupta ſunt. Dolorem enim fieri, ſi

nervi intenduntur, nemo ignorat. (48.) Hæc etiam ſine bonis ſignis fiunt, mala crudaque eſt urina, æger ardentius ſitit, viribus deficitur.

§. 173.

Ubi autem malum increvit, & gangræna penitus inſedit, inſolitus quidam torpor ac ſtupor membrum tenet, ita ut tactus is locus, etiam acu punctus vel inciſus, paucum, vel nullum dolorem habeat. Tumor, qui durus erat renitenſque, jam mollis eſt atque cedens, ut digiti impreſſi ſedes etiam maneat, cutis vero inflata eſt, turgida, pallida, livida, ſubnigra, puſtuliſque impletur, quæ vario humore, cruento, pallido, flavo, tenui, acri, male olente, plenæ ſunt. Circa locus dolet, & inflammatus eſt, vitium vero alte lateque ſerpit. Puſtulæ enim in eum locum, qui pallet & livet, pallor & livor in id, quod inflammatum eſt, inflammatio in id, quod integrum eſt, tranſit. Tandem in puſtuloſo corruptoque loco ſe cruſta oſtendit, quæ ex quieſcentibus putribuſque humoribus cum ruptis emortuiſque vaſculis ac fibris concreſcit.

§. 174.

Tumor enim mollis fit, quia humor non per arterias ad cutim fertur, ſed ex his ruptis ſub cute in adipem, etiam jam putrem atque exeſum, emittitur, qui humor ipſe valde tenuatus cutim inflat & turgidiorem reddit. Ab eo, qui gradatim in puditiſſimam ſaniem vertitur, etiam color in cute mutatur. Quia etiam humor tenuatus per cutis poros trajicitur, iſque ſub epidermide coit, puſtulæ naſcuntur ſimili humore plenæ.

§. 175.

Si vero, omnibus his adauctis, putredo totum membrum ad os uſque occupat, & omnis etiam caro corrupta eſt, illud ſphacelus tenet. (169.)

§. 176.

Inter hæc vero, &, dum membrum paulatim emoritur, magis decedunt vires, & æger intra verba deſipit, vel, ſi mentis compos eſt, balbutiendo vix ſenſus ſuos explicare poteſt: accedunt inordinati horrores, pulſus debilis & σκωληκίζων, ſeu

vermiculate arteriam attollens *a*. Urina eſt craſſa, nigra fœtidaque, & alvus liquida nigra, ſanguini atro ſimilis, pinguis, cum magna odoris fœditate, quæ ægrum in præcipiti jam eſſe denunciant, qui ſub ſudore frigido & ſæpe nervorum diſtentione moritur.

a Vid. GALENUS de Præſagit. ex pulſibus Lib. II. Cap. 9. T. VIII. p. 270.

§. 177.

Vires autem franguntur, quia ſanguis & omnis humor ita coactus eſt, ut is minores, tum corticis cerebri, tum reliqui corporis, arterias permanare haud poſſit. Supra enim (40.) retuli, in omni valida febre fieri illam ſanguinis διάθεσιν φλογιστικὴν, ſeu humores glutinoſos, tenaces, coactos fieri. Hoc coagulum enim horrorem excitat, prout omnis cruda materia, quæ evacuationi inepta eſt, qua vires irritantur. Hi enim vagi & intempeſtivi horrores diſcernendi ſunt ab illo, qui poſt materiæ in febribus concoctionem eo tempore incidit, quo natura morbi materiam emolitur. Is enim brevi deſinit, corpore protinus recaleſcente *b*. Pulſus autem naturaliter ordinatus eſſe, & arteria recte attolli haud poteſt, quia defectum viribus cor non ſatis contrahitur, & quia lenti coactique ſanguinis parum ex vena cava in cor influit. Ex eadem cauſa cor etiam palpitat.

b De horrore illo mortifero vid. HIPPOCR. Lib. I. Epid. Sect. 3. de ægro IX. Critone, Lind. T. I. p. 680. & aliis locis. De horrore critico Epidem. III. Sect. 3. ægr. XII. c. l. p. 738. de Virgine in Lariſſa, quæ, quum inhorruiſſet, ſudorem multum calidum per totum corpus effudit.

§. 178.

Magna tamen diſcrimina recipit gangræna, cum ex variis cauſis oriatur. Hæc enim, quæ jam exſecutus ſum, ita fiunt, ſi valida corpori vis eſt, magna febris intenſio, &, ſi malum a cute incipit & ſerpendo penetrandoque ad oſſa uſque deſcendit. Poteſt autem incidere, ut inflammatio & gangræna aliqua parte intus moveatur. Quod ſi enim os frangitur, & fragmenta haud recte repoſita ſunt, etiam gravis inflammatio oritur & gangræna, quæ a perioſtio incipit, & plerumque ſequitur vitæ periculum. Hujus vero, ſi id in femore accidit

hominis habitioris atque obesi, nullæ aliæ notæ sunt, quam dolor ac febris. Cutis enim non, nisi sub finem, rubere incipit, ubi jam omnis caro corrupta, & ad ultima ventum est.

§. 179.

Genere etiam vitii & ratione curationis multum distat gangræna, quæ non a vi vitæ aucta, sed a virium defectione in valde infirmis oritur. Hoc vero accidit senibus, nec non iis, quorum succi aliis, longisque morbis, malo victu *a*, nimia venere, corrupti sunt, in quorum vitiosis, invalidis, effœtisque corporibus, ex parvula sæpe causa, ira, terrore, frigore, malum oritur. Incipit vero hoc plerumque ab extremis artubus pedumque digitis. Æger sibi recte valere visus vix quicquam, præter insolitum torporem sentit, & tandem conspicitur livida macula, quæ pedetentim increscit. Hæc sine sensu est, & totum membrum sine notabili tumore & inflammatione; proxima tamen cutis, quæ vitium receptura est, paululum rubet, molliorque existit, quam esse naturaliter solet. Interea vitium tarde serpit & vix intra aliquot hebdomadas ex pede ad tibiam pervenit. Ubi vero loca carnosa occupat, quæ magis putrescere possunt, celerius procedit. Putre ulcus ab initio humidum est, pòst nigrum & aridum, humor vero qui ex eo fertur, mali & cadaverosi odoris. Specillum vel scalpellus sine dolore demittitur. Totum tandem membrum nigrum, aridum fit, carnes duræ, friabiles & infumatis similes; æger vix de dolore conqueritur, sed de debilitate, & crebrius animo linquitur. Nonnumquam tamen superveniens febricula efficit, ut malum celerius serpat, vel, ut consistat moto pure inter illud, quod vivum est, & quod emortuum.

a Secale cornutum, quod apud nos graviſſimas & funeſtas nervorum diſtenſiones adfert, in Galliis lentam attulit gangrænam. Vid. H. A. R. Sc. Anno CIↃ IↃ CCX. p. 80.

§. 180.

Frigore autem si densantur humores in aliqua corporis vivi parte, oriuntur tumores, ab initio albicantes, mox rubentes, non tam cum dolore, quam intolerabili pruritu. Hi tu-

mores ita dolentes dicuntur τὰ χίμεθλα, perniones, in quibus, ſi cutis finditur ac exaſperatur, mala ulcera fiunt. Si vero omnis humor in membro quodam frigore concrevit, & is admiſſo repente calore regelatus motu inteſtino ſolvitur, membrum fit rubicundum, putre, nigrum, & oritur verus ſphacelus. De combuſtis vide infra.

§. 181.

Si major arteria ligata & compreſſa eſt, illudque quod ſanguinis motum per hanc impedit, tolli nequit, perit cum calore omnis movendi poteſtas, membrum paulatim & lenta putredine emoritur. Quod vero emortuum eſt, non intumeſcit, ſed aridum contractumque fit. Si ad membrum aliæ, quamvis minores, arteriæ ſanguinem ferunt, illud non emoritur, ſed tenuius fit, & imbecillum. (Vid. infra de Aneuriſmate.)

§. 182.

Majori vena compreſſa, ligata obſtructaque, membrum extrema ſua parte valde intumeſcit, tumor fit durus, renitens, cutis valde intenta majoribus puſtulis impletur, cruentiori humore plenis, & æger gravitatem membri cum ſummo dolore ſentit. Compreſſis enim ſanguinem ferentibus venis, omnes lymphaticæ venæ diſtenduntur & partem tumidam reddunt, id quod etiam in œdemate accidit, cui hic tumor fere ſimilis eſt. Tandem cutis a ſubjecta tunica adipoſa diducitur & multum inflatur: quare tumor mollior fit, in quo digiti impreſſi ſedes manet; & e cute, ſi inciditur, ſpiritus cum ſono fertur, quem, ex rarefactis & putreſcentibus humoribus naſci, a vero propius eſt.

§. 183.

Quod ſi membrum totum valentius premitur, id quod ab adſtrictiori faſcia, vel a ferulis nimis coarctatis incidere poteſt, oritur intolerabilis pruritus, in parte quæ ſub vinctura eſt; tumor, ei ſimilis de quo mox retuli; & tandem perit dolor omniſque ſenſus, & membrum ea parte qua compreſſum erat, fit nigrum, aridum & quaſi fumo induratum.

§. 184.

Si autem poſt ſcorbutum gangræna acceſſit, illa ab extremis plerumque incipit. Nigrities cutim occupat, quæ fere non ſentitur, ſed ſerpit & altius penetrat, membrum aridum fit, nigrum, haud multum fœtidum. Odorem enim fœdum continent ſales ſanguini in ſcorbuticorum corporibus admixti.

§. 185.

Perniciosiſſima gangræna eſt, quæ oritur ex morſu viperarum, ſerpentium, animaliumque quæ virus habent. Brevi enim, poſtquam vulnus illatum eſt, ſequitur ſyncope & nervorum diſtenſio, ſpiritus difficultas, & in omni corpore id quod album eſſe debet, fit luteum. Tumor magnus fit & magna inflammatio, quæ brevi in gangrænam tranſit, ſumma cum celeritate ſerpit & morte finitur. Si nervoſus locus ictus fuit, celerius rapitur æger.

§. 186.

Quod ſi vero major nervus præciſus, aut ſpinæ medulla a vertebris fractis compreſſa eſt, oritur in membro putredo, quia vitalis humorum motus ſiſtitur. Hæc nullum dolorem adfert, ab interioribus incipit, & ægrum occidit. Pars omnis, ad quam nervi illi qui læſi ſunt, pertinuerunt, ſoluta eſt.

§. 187.

Sed ex his propoſitis ſignis & ſupra dictis (55.) ſcire licet, quæ ſint, quibus gangræna excitatur. Diſſimiles vero cauſæ ſunt, quæ etiam diſſimilem curationem requirunt. Nam multum diſtat illud gangrænæ genus, quod valida vi excitatur, & ubi magnus febris impetus eſt graviorque & acerbior dolor, ab illo quod langueſcentibus viribus, ex vitioſis humoribus fere ſine doloris ſenſu oritur. Gangræna itaque fit, ubi magna obſtructio eſt, ſeu ubi quædam inflammatis ſuperveniunt, quæ obſtructionem augent. Inter hæc ſunt ea, quæ arterias venaſque premunt. Quare gangræna occupat epiploon atque inteſtinum, ſi hæc qua parte ex abdomine deſcenderunt, & hernia orta fuit. Ob hanc cauſam etiam gangræna ſupervenire ſolet vulneribus colliſis, nec non aliis partium nervoſarum, (44) ſi fibræ haud laxantur, vel vulnera amplian-

tur . Etiam paraphimoſis , niſi tollatur , gangrænam genitali membro adfert . Concitatior etiam ſanguinis motus auget obſtructionem in inflammatis , (40. 43.) ſive is internis, ſive fricatione , exercitatione , immodico æſtu externiſque cieatur . Obſtructio etiam increbreſcit , ſi humores frigore , (180.) & impoſitis frigidis , (39. 41. 55.) nec non nimio æſtu (40.) coguntur .

§. 188.

Gangrænam etiam adfert omnis humor ex vaſis ſuis miſſus & aliqua parte hærens , (169.**) vitioſus humor in hydrope & ſcorbuto , pus in abſceſſu . Virus etiam , quod morſu teloque venenato per totum corpus diffunditur , nec non illud, quod contagio peſtilentium malignarumque febrium in corpus importat , humores ita corrumpit , ut brevi putreſcant . (169.**) Quæ vero accidunt , ſi major arteria , (181.) vena , (182.) nervus , ſpinæque medulla (186.) læſa eſt , jam retuli .

§. 189.

Nulla gangræna leviter terrere debet , niſi illa ex re quadam enata ſit , quam tollere facile eſt . Semper enim in ſphacelum mortemque tendit . Majorem vero ſpem majuſque periculum oſtendunt ea , quæ ſupra de inflammatis relata ſunt . (60.) Periculoſiſſima omnium eſt ea, quæ intus incipit, (178.) & quæ ex humorum aliquo vitio (184. 185.) defectaque vitali virtute (179.) oritur , vel , cui etiam , ſi aliunde orta fuerit , aliquid horum acceſſit . Nam ii quos hydrops , aut tabes , aut ſcorbutus , male habet , gangræna multum periclitantur. In ea, quæ ex inflammatione valentiori naſcitur, (172. 173.) quo vehementius agitantur arteriæ, quo celerius procedit vitium , quo plura accedunt ſymptomata , eo majus ſubeſt periculum. Ex inciſis etiam puſtulis (173.) ſcire licet, quid ſperandum metuendumque ſit. Si enim humor effertur limpidus & pallidus , ſpes eſt ; ſi vero is cruentus , flaveſcens, malus eſt ; peſſimus vero , ſi lividus , ſubniger , & in quo magna fœditas eſt . Difficilem , plerumque nullam , curationem recipit gangræna , quæ læſa ſpinæ medulla , nec non diſſectis majoribus ner-

vis, arteriis veniſque orta fuit. Mortis etiam indicium eſt, ſi circa ulcus omnia arida fiunt & nigra. (Confer. 176.)

§. 190.

Sphacelus vero aliquando loca carnoſa occupat, v. g. nates, femora. Hoc ſi incidit, & ſi non nimium alte & ad os uſque vitium deſcendit, nec a cauſa mala ortum fuit, quandoque valentioribus auxiliis curari & mortuum a vivo reſolvi poteſt. Ubi vero totum membrum emortuum eſt, hoc nullam curationem recipit. Supereſt miſerum, ſed unicum auxilium, illud, ut cetera pars corporis tuta ſit, abſcindere. Ubi jam ſphacelus majora vaſa tenet, is longe celerius procedit.

§. 191.

Quod ſi igitur magna vehemenſque inflammatio ex magna obſtructione orta, in gangrænam ſpectat, (55. 172. 173.) ab initio eadem fere curatio adhibenda eſt, quæ ſupra (61. 62. 63. 64. 69.) præcepta eſt. Sanguis etiam iterum mittendus, ſi pulſus magnus, æqualis, celer atque durus; urina rubra, ſpumea, fœtida; lingua arida, fiſſa eſt; juvenilis præterea ætas: quæ omnia ſignificant, corpus nimias habere vires. Alvus ducenda lotionibus paulo valentioribus, quæ fiunt, ſi cum mollientibus ſena cremorque tartari ex lactis ſero coquuntur, & iterum ac ſæpius in alvum immittuntur. Idonea etiam ſunt apozemata ἀντιφλογιστικὰ. (63.) Ratione vero & obſervatione compertum eſt, corpora quæ ſanguine redundant, optime ferre ſanguinis miſſionem, eamque repetitam; iis vero, quæ phlegmate abundant, alvi ductionem utiliorem eſſe. Nec alia medicamenta ſumi debent, quam, quæ calorem temperant. (64. 69.) Eſt tamen & heic aliquod diſcrimen. Sanguine redundantibus optima ſunt acida, corporibus ſiccis nitrum cum abſorbentibus, & iis qui multum phlegma habent, decocta ex reſolventibus, herba ruta, ſcordii, veronicæ, ſalviæ, ſummitatibus centaurii minoris, floribus lavendulæ, roſarum rubrarum, radicis ſaſſaparillæ, ſcorzoneræ, quibus herba acetoſæ admiſceri poteſt. Victus etiam non alius ſit, quam, quem ſupra præcepi. (67.)

§. 192.

Extrinſecus ſuperimponenda ſunt, quæ diſcutiunt, exſpirationem juvant, (79. 80.) & quæ impediunt, quo minus putre penitius deſcendat, & venis ſorptum ſanguini admiſceatur. Quare aliena ſunt reprimentia, (76.) ſed opportuna fomenta, quæ putredini reſiſtunt, & molliendo humorem corruptum evocant. Eſt vero & illa obſervatio jam ſupra propoſita (80.) valde neceſſaria. Major enim emollientium neceſſitas eſt, ſi corpus adſtrictum, locus nervoſus, & major partis intenſio eſt; quare etiam in his cataplaſmata aliis fomentis fere opportuniora ſunt. Ubi vero tumor mollis & ceteroquin corpus plenius & humidum, ibi & ſpiritus & ſales epithematibus admiſceri debent.

§. 193.

De omni genere medicamentorum, quæ in gangræna extolluntur, hæc tenenda ſunt: Herbæ amaræ, &, quæ inter eas primæ ſunt, herba abſinthii, rutæ, ſcordii, alliariæ, abrotani, cardui benedicti, centaurii minoris, ſalviæ, matricariæ, menthæ: ſi iis in fomentis calor accedit, illud efficiunt, ut locus qui gangræna laborare cœpit, exſpiret, qua re prohibetur, ne humor quieſcens tam celeriter putreſcat, & ne vitium altius ſerpat. Herbæ vero mollientes & lini farina poſſunt quidem putredinem augere, aſt juvant ſeparationem putris atque mortui, & prohibent, quo minus cutis aliæque partes corruptique humores in duram & omnia ſtrangulantem cruſtam concreſcant. Præterea iis etiam humores ab interioribus evocantur. Nihil efficacius putre continet, quam ſal & alcohol. Sales vero, ſi eorum nimium fomentis adjicitur, reddunt humores ſpiſſatos rigenteſque; id quod præcipue efficiunt vitriolum, alumen, ſal communis, & ex vegetabilibus gallæ. Optimus eſt ſal ammoniacus, qui melius per vitiatum locum penetrat. Corruptionem, ſi celerius cum ſummo fœtore increſcit, coërcet efficacius nitrum. Ad id vero maxime valet acetum acrius, quod etiam putrorem ultra ſerpere non ſinit, humores vero non ita nocenter cogit ſpiſſatque. Nec vinum alienum eſt, ſi cum amaris coquitur, eique acetum & ammoniacus ſal adjicitur.

§. 194.

Alcohol, ſeu ſic dictos ſpiritus chemica arte paratos, carnes etiam a putrore vindicare, omnes norunt. Si vero ſoli, iique efficaciores, gangræna laborantibus imponuntur, nocent adhuc vivis & integris partibus, quia vaſcula contrahunt, adeoque rigida reddunt, ut illa facile rumpantur. Hoc vero ſi factum eſt, putreſcentium ſanies celerius in cruſtam concreſcit (173.) duram, quæ, niſi molliatur tollaturque, vitalem humorum motum in parte adhuc viva tollit, vaſorum ora præcludit, ſicque omnem reſolutionem ac ſuppurationem cohibet. Diluere itaque & ex aqua coctis miſcere oportet ardentes ſpiritus. Gummi, & inter cetera aloë myrrhaque etiam contra putredinem valent, ſi aceto ſolvuntur & aliis adduntur. Aſt motum etiam eo concitant: quare non tam diſcuſſioni apta videntur, quam, ſi cruſta jam emortua a vivo reſolvenda, vel major motus ciendus eſt. Lixivia acriora & ſaponem in gangræna, ex valentiori motu orta, hujuſque initiis, aliena eſſe exiſtimo. Sine gravi noxa adhiberi non poſſunt terebinthina aliaque balſama, quæ ad condienda cadavera, non vero ad vitalem humorum motum tuendum inſtaurandumque accommodata ſunt, quippe quæ omnem exſpirationem penitus coërcent.

§. 195.

Chirurgus itaque, qui horum medicamentorum facultates exploratas habet & ægri etiam naturam, novitque, humidum magis, an ſiccum corpus ſit, an validi nervi, an infirmi, an vires integræ, an fractæ, qui etiam non ignorat, unde morbus cœperit, gangrænæ naſcenti occurſurus eſt. Nec ei difficile erit, ex vario remediorum genere fomenta componere, quæ tamen mutari ſubinde neceſſe eſt. Nam quædam remedia increſcentibus morbis, alia inclinatis conveniunt; & ſæpe a variis mutationibus quæ incidere ſolent, novum conſilium petendum, novaque curandi ratio ducenda eſt. Prudentem igitur chirurgum oportet non tanti putare compoſitiones, a ſummis etiam auctoribus propoſitas, quas illi, prout magis quid quiſque ſibi perſuaſit, & prout cuivis curationes ceſſerunt, quaſi

ſolas venditaverunt ; ſed præſidia petere , tum ab iis quæ experientia in ipſis curationibus docuit , tum a ratione & a medicamentorum facultatibus exploratis . Proſunt tamen frequentius fomenta , ſi herbæ illæ amaræ ex æquis portionibus aquæ atque aceti , vel ex vino coquuntur , illiſque & ſal ammoniacus , &, ſi locus valde humidus eſt , ſpiritus quidam additur , vel ſi ſcordium , abſinthium , ruta in vaſe clauſo & ſic dicta cucurbita ex ſpiritu ardente coquuntur , & expreſſo liquori acetum & ſal ammoniacus additur .

§. 196.

Calida vero hæc omnia admoveri oportet ; maxime enim prodeſt calor , nocet omne frigus . Quo tempore etiam fomenta mutanda , vel , ſi inaruerunt , iterum madefacienda ſunt , avertendus aëris afflatus , (47.) illudque obſervandum eſt , quod (38.) præceptum eſt . Quo fomentis calor diutius maneat , illis eminus adponi poteſt concalefactoria tegula , non nimis tamen his membrum onerandum eſt . Quia etiam cutis , ſi putreſcendo intenditur , medicamenta , quo minus deſcendant , prohibet ; ea prius , quam hæc admoventur , concidenda eſt . (80.)

§. 197.

His vero adhibitis non raro increſcens gangræna continetur . Si vero illa conſtitit & tumor ſe ad naturalem duritiem coloremque inclinat , (66.) ægro danda ſunt reſolventia , ſorbitiones ex herba ſcordii , ſalviæ , veronicæ , radice cichorii , ſaſſaparillæ , nec non analeptica , & aliquid meracioris vini . Quæ, quibus temporibus , & quantum eorum dari poſſit , ex ratione vel adauctæ vel levatæ ſolutæque febris apparebit .

§. 198.

Quod ſi vero gangræna eo proceſſit , ut ſuper putri ſerpenteque ulcere arida & intenſioni cuidam proxima , vel corrupta fœtidaque cruſta ſit , medentis conſilium ad illud dirigi debet , ut hæc , moto inter id quod vivum , & quod mortuum eſt , pure , reſolvatur . Cum vero pus moveri nequeat , ſi locus ſine omni inflammatione eſt , hanc non prorſus cohiberi , ſed potius ad ſuppurationem dirigi expedit . Nocere igitur & in hoc caſu poſſunt ſanguinis miſſiones , alvi ductiones , & alia ,

quæ omnem febrem tollunt, vitalemque vim enervant. Viribus potius, datis analepticis, ſuccurrendum & aliqua febricula accendenda vel toleranda eſt.

§. 199.

Protinus vero, quo corrupto humori exitus detur, & medicamenta melius penetrare poſſint, ad corpus ſanum uſque concidenda etiam cruſta eſt. Plagæ faciendæ ſunt, non ſolum rectæ & majores, ſed & aliæ tranſverſæ. Incidendæ enim ſunt tranſverſe aponeuroſes (44. 83.) v. g. muſculi bicipitis in brachio, muſculorum rectorum abdominis, faſcia lata femoris, quo harum nervoſarum membranarum intenſio tollatur & plagæ ſatis pateant. Summopere vero cavendum eſt, ne præcidantur majores venæ, arteriæ atque nervi, qui ſub adipe conduntur.

§. 200.

Extrinſecus aliena ſunt reprimentia & ſiccantia: omne enim auxilium petendum eſt ab emollientibus, & ab iis, quibus putrida curantur. Imponantur itaque cruſtæ inciſæ cataplaſmata ex mollientibus, (91.) additis etiam amaris, (193.) quæ ex lacte coquuntur. Si cruſta valde putrida eſt, id quod ex odoris fœditate dignoſcitur, acetum vel ſpiritus cataplaſmatibus adjici poteſt. In hoc caſu vero commodiſſimum eſt, cruſtam concidere, & prius, quam cataplaſma injicitur, eam calido aceto vel ſpiritu fovere, hiſque etiam ſalem ammoniacum addere. Semper enim medicamentis utendum, quæ corruptionem coërcent, aſt vero præcipue iis, quæ mitius hoc efficiunt, ne ſpiſſatis humoribus materia valentius retineatur & ſuppuratio cohibeatur. (193. 194.)

§. 201.

Gangrænam vero ſtare, & pus inter id quod emortuum & vivum eſt, moveri, ſignificat cruſta, quæ depreſſior fit ac contractior; oræ autem ulceris circa cruſtam, quæ intumeſcunt, rubent & pure madent. Tunc autem confert, cruſtam iterum concidere & per diductas lateque patentes plagas demittere linimenta, puri ſubter movendo & ulceri purgando idonea. Ad illud aptiſſimum eſt unguentum baſilicum, cui unguentum Ægyptiacum, vel aliud Felicis Würtzii admiſceri pot-

eſt . Mercurius etiam aqua forti ſolutus & aqua plantaginis dilutus , ſeu liquor Belloſtii utilis eſt , in quem penicillum vel ſpecillum linamento involutum , demittendum , & ſuper cruſtram illumque locum , qui inter integrum vitiatumque eſt , teneri poteſt . Linteolum etiam his madefieri poteſt , & ſuper id quod emortuum , injici , ſuper linteolum vero cataplaſma imponi . Non facile ad ea veniendum , quæ vehementius erodunt atque adurunt : his enim & illud quod vivum eſt , aduritur , & huic nova cruſta inducitur , quam reſolvi æque neceſſe eſt . Nec confert , cruſtam excidere , vel vi a vivo diducere : cruenta enim ſectione nova ſubinde inflammatio cietur . Si tamen interea , dum cruſta mollitur atque reſolvitur , quæ partes emortuæ dependent , illæ forfice poſſunt præcidi . Nec ſpiritus aut balſama proſunt , quæ eſcharam ſiccant . Cuilibet vero uſus oſtendet , cur hoc vel illo auxiliorum genere potius utendum ſit , & quamdiu in aliqua curatione perſeverandum . Ex mutationibus enim quæ incidunt , medendi vias trahere oportet . Inimicum eſt frigus : quare , ſi illud lædere poteſt , in eo conclavi in quo curatur æger , ignis continuus eſſe debet . Aſt immodicus æſtus corpus & febri , & corruptioni magis obnoxium efficit : quare non parum expedit , aëra & temperatum eſſe , & purum .

§. 202.

Quod ſi vero jam ulcus magis ad ſuppurationem ſpectat , ipſaque cruſta vacillare videtur , nulla alia medicamenta imponenda ſunt , quam quæ illam molliendo reſolvunt . Sunt autem digerentia : unguentum ex melle , terebinthina quæ vitello ovi excipiuntur , ſeu digeſtivum : & ex aliis cognitis compoſitionibus , unguentum baſilicum & unguentum aureum . Superdari etiam poteſt recens acetoſæ herba , butyro non ſalito ſubacta , nec non farinæ , atque emollientia ex lacte cocta , donec cataplaſmatis temperaturam habeant . Si his tandem cruſta reſoluta fuerit , ulcus purgandum glutinandumque eſt . (Vid. infra de Vulnere colliſo .)

§. 203.

Maximum interea præſidium a victus ratione petendum eſt, & omni cura enitendum, ut ægri vireş alantur ſuſtineanturque: quare omnia quæ eas minuere atque infringere poſſunt, ſtudioſe vitanda ſunt. Victus vero non alius eſſe debet, quam qui ex graviſſimo morbo convaleſcentibus neceſſarius eſt. Æger nec ſupervacua materia onerandus, nec fame perdendus eſt. Si vires ſuperſunt, eo tempore quo ulcus glutinandum eſt, leniora dari poſſunt catharctica; id quod fere neceſſarium, ſi illud valde humidum eſt.

§. 204.

At, ſi ex ſenectute aliave imbecillitate, gangræna enata eſt, omnia quæ in aliis caſibus detrahendo juvant, peſtifera ſunt. Nam in ea (179.) ſanguinem mittere, alvum ducere, & vires jam invalidas convellere, hominem jugulare eſt. Danda ſunt ægro, quæ boni ſucci ſunt, & alendo corpori idonea, jura ferventia, aromate, mace vel nuce myriſtica condita, jura gelata, vinum dulce, idque fervens, aromate, cinnamomo, caryophyllis conditum; ex medicamentis autem cardiaca, balſama vitæ, ſal volatilis oleoſus Sylvii, & præ ceteris cinamomum ejuſque oleum. Naribus etiam admoveantur, quæ grato odore vires reficiunt.

§. 205.

Adverſus hanc potiſſimum gangrænam ex imbecillitate ortam ſummopere recentiores extollunt corticem Peruvianum cum analepticis dandum. Hoc enim ſolo quandoque deſperatam gangrænam expugnatam coërcitamque fuiſſe pluribus exemplis probant *a*.

a De eo peculiarem Tractatum ſcripſit DUGLASSIUS. Vid. Cel. VATERI Diſſ. de efficacia admiranda Chinchinæ ad gangrænam ſiſtendam, Witteb. Anno MDCCXXXIV. & Conf. *The Medical Eſſays* Vol. II. Artic. XXXIV. p. 383. Vol. III. Obſ. V. p. 35. & Art. VI. p. 43. Vol. IV. Obſ. X. p. 47. Dari poteſt quarta quaque hora cortex ad drachmæ dimidium cum duplo confectionis alkermes, vel cum ſyrupo caryophyllorum. Æger quidam poſt uncias duodecim corticis devoratas convaluiſſe dicitur l. c. Vol. III. p. 42.

§. 206.

Extrinſecus autem ad vitiatum locum convertendus incitanduſque ſanguinis impetus eſt. Membrum itaque crebrius perfricandum, ei aptandæ imprimendæque cucurbitulæ, imponendæ cantharides ſunt. Super vitiatum vero locum ſuperhaberi poteſt emplaſtrum molliens, quod acriori ſtillatitio oleo conſpergi poteſt. Proficiunt enim præ ceteris olea caryophyllorum & cinnamomi ſpiritu vini excipienda, quæ loco qui inter vitiatum & integrum eſt, & ipſi etiam cruſtæ, prius conciſæ, illinuntur, & poſt cataplaſma emolliens ſuperdatur.

Vid. illuſtr. HOFFMANNI Diſſert. de Sphacelo ex cauſſa interna feliciter curato, Halæ, CIↃ IↃ CCXVII.

§. 207.

Si acre & penetrabile frigus membra adurit, (180.) illud humores omnes cogit, eorumque figuram mutat, fibras vero adſtringit coarctatque, quibus tandem omnis vitalis motus ſiſtitur. Ubi vero extremæ partes ſic inalgeſcunt & congelantur, major ſanguinis vis fertur ad cerebrum, in quo vaſa diſtenduntur rumpunturque, unde ſopor, & tandem lethalis apoplexia oriri poteſt.

§. 208.

Protinus opitulari debet chirurgus membris frigore rigentibus, illaque in vivum calorem revocare. Hoc vero fit admotis quibuſdam, quæ paulo majorem calorem in ſe habent. Uſus enim docuit, ſi gelu præſtricti humores magno calore repente ſolvuntur, eos rarefactos rumpere vaſa, & ſic membro immedicabilem noxam mortemque adferre. Calor paulo major, quam in glaciali frigore, rigentibus membris eſt in omni, etiam frigidiſſima, aqua, modo hæc nondum conglaciata ſit, nec non in nive; quare membra gelata utiliter in frigidam demittuntur, vel nive aliiſque gelidis operiuntur, quæ contractos denſatoſque humores pedetentim & ita ſolvunt, ut motu vitali iterum cieri poſſint. Nec multo igne percalefactum cubiculum ſit, in quo æger curatur. Expedit etiam membris, poſtquam regelata ſunt, frictionem adhibere, & ſic cutim intenſione infirmatam durare. Intus ſumat æger vinum meracius fervens, vel cereviſiam valentiorem ferventem, quæ potiones aromate

condiri debent. His, quæ vires recreant & reſtituunt, addi poſſunt alexipharmaca, quorum ſalubris effectus eſt, ſi ſudorem per omne corpus diffundunt. Hujus rei cauſa etiam æger continere ſe debet & ſtragulis contegere.

§. 209.

PERNIONES autem fiunt, ſi frigus non ita valenter infeſtavit membra, & vitium in cute conſiſtit. Modico dolore, intolerabili pruritu & ardore vexantur ægri; id quod etiam accidit, ſi quædam membra quæ olim gelu riguerunt, iterum ſubito frigore excipiuntur. Hæc etiam graviter plerumque afficiuntur, ſi tempeſtates mutantur, illæque non æquales ſunt, ſed multum variant. In his enim non ſanguis gelu denſatur, ſed alius humor, qui minoribus fiſtulis continetur, lympha, &, quod per cutim excernitur, ſerum. Inde, ſi malum paulo altius inſedit, puſtulæ oriuntur, & pòſt exulceratio, quæ difficilius ſaneſcit.

§. 210.

Averti poteſt hoc malum, ſi membro, quod olim gelu infeſtatum fuit, eo tempore quo hybernum frigus impendet, illinitur oleum petræ, vel oleum terebinthinæ, cui aliquid olei adjici poteſt, quod ex ſemine raparum exprimitur. Simile oleum etiam chartæ illitum ſuper locum commode imponitur. Si autem frigus jam illud aduſſit, & puſtulæ ortæ fuerint, εὐπόριστον eſt, ſi rapæ congelatæ conteruntur & imponuntur. Rapæ etiam temperari poſſunt oleo lini, vel alio molliente, vel butyro non ſalito, quæ igne liqueſcant, donec habeant linimenti temperaturam. Ulcera ſi fiunt, illa curantur, ut mox de ambuſtis dicemus.

§. 211.

Si tanta frigoris vis fuit, ut membrum ſervari non poſſit, illud præcidi oportet. Non omittenda obſervatio eſt, aliquando maximum & penetrabile gelu etiam oſſibus vitium attuliſſe, maxime, ubi illa juxta articulos rariora ſunt. Difficilius hæc ſaneſcere dicuntur, niſi etiam ex oſſe illud, quod gelu aduſtum eſt, tollatur.

Illud crebrius obſervatum fuit in Suecia poſt reditum exercitus ex Norvegia, reſque ibi anno hujus ſæculi decimo octavo minus feliciter geſtas.

Magnus enim numerus militum frigore periit, plures alii truncos artus habuerunt. Vid. Laur. ROBERG Diſſert. Chirurg. de Pernionibus, Upſaliæ, Anno CIↃ IↃ CCXXII. Addita eſt tabula, qua oſſa frigore aduſta vitiataque expreſſa ſunt.

§. 212.

Gangrænæ, quæ a compreſſis dilaceratis arteriis, (181.) venis, (182.) nerviſque (186.) enata fuit, vel nullam, vel non aliam curationem recipit, quam, ſi id, quo vitales humorum motus impediuntur, tollitur. Si vero gangræna membrum occupat, quod ferulis adſtrictioribuſque faſciis compreſſum & fere aridum factum eſt, (183.) illud aliquando, niſi penitus emortuum fuerit, ſaneſcit, ſi digerente unguento ſuperinungitur & ſimul manibus leniter pertractatur, poſt vero adhibita eadem perunctione crebrius diuque perfricatur *a*. Si membrum ex hac occaſione jam ſphacelo occupatum eſt, non ita ad chirurgiam illam arduam qua membrum præciditur, feſtinandum, quia ſæpe id quod emortuum eſt, ab integro ſponte ſolvitur. Os etiam quod detectum fuit & vitiatum, ultro plerumque a parte ſana recedit.

a Vid. ſingulare hujus rei exemplum in C. A. R. Sc. MDCCII. p. 270.

§. 213.

Si ſcorbutus adeo invaluit, ut membra gangræna laborent, parum ad ſalutem proficiunt medicamenta, niſi adhibeatur victus conveniens, ad cujus rationem cura medentis potiſſimum transferenda eſt. Eſt tamen in hoc morbo etiam quædam diverſitas. Si enim hominem, qui ſcorbuto æger eſt, febricula extorret, quæ ſitim accendit & animam fœtidam reddit, ſi ulcera etiam impura nigraque ſunt, horumque caro corrupta eſt atque mali odoris, ſi urinam craſſam mittit atque fœtidam, conducunt juſcula pullorum cohortalium, cum quibus miſcetur acidus ſuccus citrei mali, vel herbarum recentium acetoſæ & acetoſellæ. Præſtari etiam copioſior ptiſana debet, (64.) cui ſimilis ſuccus horæorum vel hydromel adjectum eſt. Alvus etiam, ſi per vires id licet, tamarindorum decocto (63.) crebrius ducenda. Ubi autem ſcorbutus ſine febre eſt, ulcus vero ſordidum & pallidum, cochleariæ recentis, vel naſturtii & fumariæ, trifolii fibrini, & aliarum herbarum, qui-

bus a ſcorbuto nomen eſt, decocta opportuniora ſunt. Nihil vero ſalubrius, nihilque magis neceſſarium eſt, quam aëris mutatio: nam peſſimum eſt ægro cælum, quod ægrum fecit. Extrinſecus fomentis & cataplaſmatis etiam addi poſſunt illæ herbæ, & adhibenda auxilia, quæ ad locum affectum humores evocant. Fomenta melius ex vino coquuntur. De gangræna ex morſu venenato (185.) vid. infra de vulneribus venenatis.

§. 214.

Quod ſi ſphacelus ſedes occupat carnoſas, (190.) membrum autem præcidi nequit, aliquando vitiatum tolli poteſt, ſi major vis adhibetur. Heic vero nihil intereſt, an ſatis tutum præſidium ſit, quod unicum eſt. Major autem ſpes eſſe ſolet, ſi vitium a non ita mala cauſa ortum fuit. Concidere itaque oportet id, quod inter integrum atque vitiatum eſt, & ipſam etiam cruſtam ad vivum uſque, per plagas vero demittere medicamentum, quod putrem carnem vehementius erodit atque exeſt. Inter hæc extollitur acre lixivium, quod paratur ex calce viva & cineribus clavellatis inter ſe in loco ſubterraneo liquatis. Etiam adhiberi poteſt ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva, liquor Belloſtii, (201.) butyrum Antimonii. Veteres admoto ferramento locum ſemel iterumque aduſſerunt, qua efficaciori chirurgia id quod vitiatum eſt, aridum fit. Si ſphacelus conſtitit, ulcus purgandum, nutriendum, & ad ſanitatem perducendum eſt.

ADUSTA.

§. 215.

Cum non magnum diſcrimen ſit inter aduſta & inflammata, & cum ſimilis etiam curatio iis adhibeatur, ſequi videtur, ut de his dicamus. Corpus vivum vero adurunt ignis, fulmen, pulvis pyrius ſi ignem concepit, metallum quodvis candens & liquatum, calx ſi illa aqua accenditur, omne fluidum fervidum atque liquatum, aqua, oleum, butyrum, ſevum, cera, pix & ſimilia. Omnia hæc corpora, tum fluida, tum

ſolida , quo majorem ignis vim habent , & quo magis ſolida ſunt ac denſa ; fluida vero , quo magis tenacia ac craſſa , eo vehementius atque celerius corpus adurunt . Multum etiam intereſt , ſi membrum igni & corporibus quæ igneſcunt , propius fuit admotum , & ſi injuriæ illi vel diu , vel parum fuit expoſitum .

§. 216.

Aſt & aduſtorum magna diverſitas eſt . Si enim levior noxa eſt , pars rubet , non tam dolet , quam vehementer prurit , nec epidermis abſcedit , quamvis fricatio adhibeatur . Quæ ſic aduſta ſunt , ab inflammatis non differunt , & ea ſimilis curatio ad ſanitatem perducit .

§. 217.

Plus mali eſt , ſi in membro tumor eſt , intolerabilis ardenſque dolor , cutis vero exaſperata , puſtuliſque majoribus impleta . Hæc ſpecies difficilius , & non , niſi pure moto , ſaneſcit .

§. 218.

Vehementior noxa eſt , ſi & cutis & adeps aridæ ſunt , ſiccæ , & æger earum intenſionem ſentit , ſi puſtulæ ſubnigræ ſunt , & ſub his ulcus nigrum vel lividum , cutis fere ſine ſenſu eſt . Hæc eam curationem deſiderant , quæ in gangræna neceſſaria eſt . Vitiatum enim ab integro reſolvendum eſt .

§. 219.

Membrum , ſi igne ita peruſtum fuit , ut ei , ſi etiam ad os uſque ſcalpellus demittitur , nullus ſenſus ſit , ſphacelo laborat .

§. 220.

Inter hæc tamen aliquod etiam diſcrimen eſt . Si noxa infertur candente liquatoque metallo , vel igne atque fulmine , omnia denſantur & cruſta fit arida , contracta intentaque . Si vero illud fit aqua , vel alio fervido liquore , ulcus magis humidum fit , exulceratio mucoſa .

§. 221.

Loca nervoſa, membranæ, nervique majores, ſi aduruntur, propter ſummum dolorem majus periculum habent. In glandulis, multum humorem habentibus, mala ulcera fiunt. Pueri, ſenes, & quibus malus corporis habitus eſt, difficilius ad ſanitatem perveniunt. Si oculus, & præcipue tunica cornea, adurentibus læſa fuit, lumen amittitur. Si totum corpus, quamvis non ita vehementer, ambuſtum eſt, illud multum periclitatur, quia omnis perſpiratio tollitur. Ubi adeps comburentibus exeſa eſt, illa haud renaſcitur, (170.) & cicatrix concava fit atque fœda.

§. 222.

Adverſus primam ſpeciem, (216.) & ſi parum aduſta & integra cutis ſaltem rubet pruritque, expedit, protinus membrum igni eminus admovere, vel in fervidam demittere; quæ res efficit, ut humores qui concurrere cœperunt, ſolvantur. Proficiunt etiam reprimentia, (76. 77.) acetum acerrimum, atramentum & vitriolum aqua ſolutum, nec non acetum, ex quo lithargyrium decoctum fuit, item ſal cum aceto, vel vino auſtero, vel etiam ſpiritu vini. Fere optimum eſt, ſi vulneraria aqua admovetur & linteolum ea madens imponitur. Si liquor talis deeſt, ſpiritus ardens cum multa aqua miſceri & ſuperhaberi poteſt. Spiritus enim ardentes valentiores denſant contrahuntque cutim, hujuſque vaſcula. (194.) Si jam cutis puſtulis minutis plena eſt, imponi poſſunt cataplaſmata emollientia, ex aqua cocta, quibus parum ſpiritus ardentis adſpergi poteſt. Si malum levius eſt & in parte exigua, illud vix intus ſumenda medicamenta deſiderat. (62. ad 70.)

§. 223.

Ubi vero majores pejoreſque puſtulæ ſunt, vel cutis arida contractaque, (217.) pus moveri neceſſe eſt. Ad id valent unguenta. Inter notas compoſitiones eſt unguentum nutritum, quod ex aceto fit, quod lithargyrium excepit, cui additur oleum. Eſt etiam alia compoſitio, quæ nomen ab auctore, Barbette, habet. Cepæ etiam, ſi cum butyro non ſalito friguntur, vel, ſi illæ miſcentur cum ſale & ſapone Veneto, atque hæc oleo quodam, ad id idoneo, v. g. raparum, lilio-

rum alborum , & adipe excoquuntur , imponi queunt . Super unguenta vero , vitiato loco illita , vel mediante linteolo impoſita , dari poſſunt cataplaſmata , quæ emolliunt . Si omnia putrida fiunt, & majoris corruptionis metus eſt, adjici poſſunt, quæ corruptis medentur . (193. ad 196. 200.) His omnibus enim efficiendum eſt, ut pus moveatur, vitiatum emortuumque a ſano reſolvatur, & ut dolor leniatur .

§. 224.

Quod ſi vero ignis magna & penetrabilis vis penitius deſcendit , (218.) neceſſe eſt , ut cruſta cadat , & ulcus purum fiat , ad quod eadem auxilia adhiberi poſſunt , quæ (198. ad 201.) præcepta ſunt .

§. 225.

Ubi ulcera purgata ſaneſcunt , neceſſaria ſunt , quæ carnem alunt & ulcus implent, aliena vero , quæ ſiccant & reprimunt . Enitendum enim eſt , decoris cauſa , maxime in facie , ut cicatrix , quantum fieri poteſt , excreſcat , ut læſum membrum ſanitatem , qualis eſſe poteſt , recipiat . Ulcus vero nutriunt balſama , & præ aliis myrrha cum albo ovi liquata .

§. 226.

Si digiti ambuſti fuere , illi aliquando , propter communem exulcerationem , niſi congrua adhibeatur faſcia , coaleſcunt . Non alia vero faſcia idonea eſt , quam , quæ figuram chirothecæ habet ; vix illa habena , quæ crebrioribus circumductionibus digitos comprehendit : hæc enim ſine gravi exulceratarum partium offenſione haud injicitur . Si concreti ſunt digiti , oportet eos ſcalpello diducere . Crebrius etiam eos mala cicatrix curvos reddit ; id quod vel tendinum , vel cutis vitium eſt , in quo caſu tentanda ſunt mollientia . Confert itaque , quantum id dolor permittit , digitos movere atque extendere , & eos , etiam curatos , crebrius in tepidam aquam vel oleum demittere , illoſque oleo , vel unguento , multum perfricare . Eadem curatio etiam cicatricibus concavis , nec non articulis , adhibenda eſt , ſi iis ex ſimili noxa rigor manſit .

§. 227.

Si ad ambuſta vehemens inflammatio accedit, circa ipſum ulcus imponi poſſunt reprimentia, (76. 78.) & diſcutientia. (79. 80. 81.)

§. 228.

Oculum ſi materia quædam ignea læſit, in illum demitti debet cremor ex ſemine cydoniorum paratus, quod cum aqua roſarum terendum eſt. (137.) Si corneæ puſtulæ inſident, hæ incidendæ ſunt vel acu, vel ferramento ad id aptato. *Fig. VI.* Si accedit gravis inflammatio, alia auxilia requiruntur. (Vid. de Ophthalmia.) Ulceribus, ſi in cornea manent, prodeſt unguentum de tutia.

AMPUTATIO MEMBRORUM.

§. 229.

Membrum, quod totum vitiatum eſt, & ſervari non poteſt, reſecandum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Si os immedicabili carie, vel παιδικρθροκάκη exeſum eſt; Si major arteria, vel vena, diſſecta fuit; Si poſt ſubitam cauſam, ictum graviorem, os penitus colliſum: magna inflammatio & gangræna metuenda eſt. Sæpe præſtat, ad hanc chirurgiam protinus confugere, quam illam infractis viribus ſuſcipere.

§. 230.

At enim hæc chirurgia non prius experienda eſt, quam, ſi tantum mali ſubeſt, ut medicamentis vinci non poſſit. Neque tamen illa omni tempore, neque in omni vitio experienda eſt. Nam ſi gangræna, vel malignum ulcus, & offis vitia adeo invaluerunt, ut omnes in corpore ſucci jam corrupti ſint; ſi æger jam imbecillus factus eſt, (176.) vel, ſi ex longo morbo eum tabes male habet: nec hæc chirurgia eum ad ſalutem perducere poteſt, ſed mortem maturat. Quandoque tamen ſatius videtur, anceps remedium experiri, quam nullum.

§. 231.

Si vero membrum præcidendum eſt, ſemper aliquid ex ſana parte excidi oportet. Nonnulli veterum, qui vaſa haud comprimere noverant, & qui metuerunt, ne æger ſanguinis profuſione ſub ipſo opere moreretur, aliquid ex ægra parte reliquerunt, & hanc pòſt factam præciſionem vehementius aduſſerunt; id quod vero & periculoſum eſt, & crudele.

Vid. de varia methodo membra amputandi Comm. A. R. Sc. MDCCXXXII. p. 285.

§. 232.

Digitus tollitur, ſi is ſcalpro exciſorio ſubmittitur, & hic malleo ligneo percutitur. Vel præciditur forcipe *a*, vel, id quod optimum eſt, ſcalpello, quo articulus exciditur. Excidendi ratio hæc eſt. Alius homo cutim a digito, quantum poteſt, reducit: nam expedit, hanc ſub ejuſmodi curatione laxam eſſe, ut poſt ſectionem os nudatum quam maxime ea contegi queat. Incidenda ſunt ſcalpello omnia, ad os uſque, ſic, ut haud contra os ſanum ejuſque cartilaginoſum capitulum id fiat, ſed potius aliquid ex oſſe, quod demendum eſt, excidatur. Sectio incipit a ſupremo digito, qui prius inflectendus eſt, ubi vero ſcalpellum ad medium uſque articulum venit, digitus ſub ipſa ſectione extenditur, &, id quod ſupereſt, præciditur.

a GARENGEOT *des Inſtrumens* T. II. p. 237.

§. 233.

Si digitus totus demendus eſt, cutis & reliqua, quæ inter metacarpi oſſa ſunt, findi prius debent. Cutis, quantum fieri poteſt, ſervanda, quare ſectio propinquior fiat digito vitiato, quam ei, qui ſervandus eſt. Contra quorumdam digitorum articulos poſita ſunt officula, quibus nomen a ſeſami ſemine eſt. Illa etiam excidenda, non relinquenda ſunt. Quia præciſi muſculorum tendines vaginis ſuis, quibus comprehenduntur, conſtringuntur, (143.) quæ res magnam movere poteſt inflammationem; commodiſſimum eſt, vaginam ſecti tendinis forfice paululum findere.

§. 234.

Non ita periculoſe fluit ſanguis, in cujus curſu adverſus inflammationem auxilium eſt. Si tamen profuſionem timet chirurgus, ſatis ad ſanguinem ſupprimendum valet alcohol vini. Arteriæ injectis pannis e latere comprimendæ ſunt, ut ora præcluſa habeant. Si neceſſitas poſtulat, illæ apprehendendæ & deligandæ ſunt. Nocent alia, quibus vulgo ſanguis ſiſtitur. (Vid. de vulnerum hæmorrhagia.)

§. 235.

Supra frontem oſſis integri cutis inducitur, ut ea quam maxime undique contegatur; reliquum linamentis, ſeu pulvillis, contegitur, ſuperque hos ponitur pannus multiplex paulo denſior, ſuperdatis ſpleniis, quæ vulnus in ſpeciem græcæ litteræ X. decuſſant. Super hæc autem injicitur faſcia, quæ latitudinem digiti habet. Ea incipit a carpo, adſcendit ad vulnus, idque decuſſatim contegit, & impoſita linamenta atque ſplenia deligat. Sub finem faſcia per brachium ad humerum adſcendit. Amplectitur enim ſplenium, quod contra arteriam brachialem imponitur; quo nimius ſanguinis aditus ad vulnus ipſaque inflammatio avertitur. Brachium mitella excipiendum eſt, quæ anguſtis capitibus collo injicitur, ut brachium ita commode ex cervice ſuſpenſum ſit.

§. 236.

Si manus reſecanda eſt, ſecatur ulna & radius ad duos latos digitos ab articulo, numquam metacarpus, vel carpus. Si gangræna jam ultra manum proceſſit, præcidi poteſt medium brachium.

§. 237.

Ante omnia neceſſe eſt, ut apparatus, qui ad hanc chirurgiam requiritur, ordine diſpoſitus in promptu ſit. Sunt vero neceſſaria: 1) Faſcia tortilis, quæ componitur α) ex habena glomerata, quæ arteriæ brachiali objicitur, β) ex ſplenio, quod & brachium & iſtam habenam comprehendit, γ) funiculo, vel faſcia contorta, quæ bis circa brachium illudque ſplenium remiſſior volvitur, & poſt nodum accipit, δ) charta glutinata denſiori, (*Pappe*) vel duriori corio, ſuper quod intorquetur ε) bacillum. Quia hoc vincturæ genus non arte-

riam ſolam premit, ſed totum membrum valentius conſtringit, a PETITO *a* machina inventa fuit, quæ nunc torcular appellari conſuevit, quod vero poſt ab aliis varia ratione immutatum & emendatum fuit.

a Vid. Comm. A. R. Sc. MDCCXVIII. p. 252. In ea machina deſiderari poſſe videtur ſtabilitas. Ea enim membro impoſita fere vacillat, & leviter commota penitus inclinatur, id quod non ſine periculo foret. Eam immutavit MORANDUS. Vid. GARENGEOT *des Inſtr.* T. II. Cap. XI. p. 351. Hæc vero machina nimium pondus habet. Vide alias figuras in Celeb. HEISTERI Inſtit. Chirurg. P. I. L. I. Cap. II. Tab. V. fig. VI. & Tab. VI. fig. I. His ſuperaddo aliam, (*Fig. VII.*) quam apud nos Chirurgus rerum ſuarum intelligens atque peritus, Mich. Arn. HAGEMEYERUS, conſtruxit, quæ reliquis fere aptior, & ad comprimendas arterias accommodatior viſa fuit.

§. 238.

Præter illam faſciam, vel machinam, (237.) requiritur 2) lorum, vel alia faſcia, quæ arctius ea parte circumdatur, qua carnes præcidendæ ſunt. Nam juxta ejus oram cutis, una linea, in orbem ducta totumque membrum circumeunte, inciditur. 3) Culter, ſive ſcalpellus major falcatus *b*: 4) ſcalpellus anceps, vel alius rectus, quo carnes & membranæ quæ inter duo oſſa ſunt, inciduntur *c*. 5 Linteum ex una parte ſciſſum, quo, dum ſerrula trahitur, præciſæ carnes contegantur. 6) Serrula. 7) Forceps tenacior, qua arteriæ vinciendæ apprehendi & adduci poſſunt. Gallis *Valet à Patin d*. 8) Acus incurvæ fila cerata trahentes pro iiſdem vinciendis *e*.

b Quia hoc majus ferramentum ægrum terrere poteſt, ubi carnes non ita multæ ſunt, prout in brachio, in ejus locum ſubſtitui poteſt culter raſorius, vel ſcalpellus rectus paulo major, qualis delineatur ab HEISTERO c. l. T. XIII. fig. I.

c GARENGEOT c. l. p. 195. repudiat ſcalpellum anceps, quod eo facile findi poſſint ora præciſorum vaſorum.

d Vid. GARENGEOT T. II. p. 221.

e Veteres uſi ſunt ferramentis candentibus, quibus arterias aduſſerunt. Nec opus eſt glebis ex vitriolo, quæ linamentis obvolutæ ſectis arteriis objiciuntur, nec pulveribus, nec liquoribus, ad ſiſtendum ſanguinem valentioribus. Si arteriæ recte vinciuntur, & illarum prævincta ora paulo valentius, ſuper ea fultis linamentis comprimuntur, major ſecuritas eſt, & vulnus alienis non offenditur.

§. 239.

Ubi vero truncatum brachium deligandum eſt, neceſſaria ſunt: 1) duo pulvilli, quibus oſſium frons, quam ſerrula exaſperavit, contegenda eſt. 2) Tres panniculi minores denſi, qui imponi debent arteriis filo vinctis. 3) Linamentorum manipulus, vel glomus pulchriori, aſt nimis operoſa arte, conſtructus, (*un gateau*) v. Fig. III. 4) Pannus ex linteo ſimplici quadratus, cujus anguli lineis inter ſe tranſverſis decuſſatim inciſi ſunt. (*Maltheſer-Creutz*) 5) Panniculus ex linteo complicato, denſus, quadratus, qui non major eſſe debet, quam frons membri truncati, quæ eo contegitur. 6) Splenia tria oblonga, quæ ſuper illud decuſſatim injiciuntur. 7) Habena in unum caput glomerata. 8) Mitella, qua brachium ex cervice ſuſpendendum eſt. (235.)

§. 240.

His recte diſpoſitis, oportet ægri animum, quantum poteſt, a ſolicitudine abducere, &, ſi quis ejus metus eſt, probabili ſermone lenire, eique paucum meracioris vini dare, pòſt eum in ſedili humiliore ita collocare, ut a miniſtris, quorum plures adeſſe debent, poſſit contineri & immobilis præſtari. Arteriæ brachiali, cujus ictus in ſuperiori humero ejuſque parte interna percipiuntur, objicitur habena glomerata, (237. α) quam, ut & humerum, comprehendit ſplenium. (β) Hoc ſplenium amplectitur funiculus, (γ) qui medius primum injicitur externæ humeri parti, & pòſt duabus manibus in utramque partem ducitur, ſicque ſupra humerum volvitur. Ubi vero capita iterum ſuper externum humerum venerunt, ea nodum accipiunt; nodus tamen non penitus ex adverſo arteriæ eſſe debet, ſed paulo e latere. Intra ſplenium & funiculum vero e regione arteriæ immittitur corium, vel charta conglutinata denſior, (δ) ſuperque hanc trajicitur bacillum, (ε) quod a miniſtro contorquetur & manu tenetur: vel loco hujus faſciæ tortilis adcommodatur torcular. (237.) Alius miniſter cutim, quantum poteſt, reducit, brachiumque tenet, & chirurgus ſuper eam partem quam incidere vult, injicit lorum vel faſciam, (238, 2) qua cutis paulo valentius adſtringitur. Inter hæc brachium moderate extendendum eſt. Chirurgus, qui bra-

chii interiori parti obverſus ſtat, primum ſcalpello recto vel falcato, (238, 3) circumſecat cutim & adipem, ſectione in orbem ducta, jubetque, ut is qui brachium tenet, cutim magis, & quantum poteſt, reducat. Poſt, iterata ſectione *a*, proxime a cute in membro relicta, ſecat omnem carnem ad os uſque, & ab hoc, mediante ſcalpello, ſubſecando rodendoque perioſtium verſus, id quod vitiatum atque tollendum eſt, reducit, oſque nudat. Supereſt inter utrumque os caro, quam etiam ſcalpello ancipiti, vel recto, (238, 4) diſſecari oſſaque etiam hac interiori parte nudari oportet.

a Iterata hac ſectione illud efficitur, ut laxa maneat cutis, qua frons præciſi membri majorem partem contegitur, cujus ideo curatio longe expeditior eſſe ſolet.

§. 241.

His peractis, in vulnus demittitur linteum, (238, 5) ea parte, qua illud ſciſſum eſt, quo carnes operiuntur. Pòſt oſſa ſerrula (238, 6) ita præciduntur, ut hæc primum ducatur ſuper radium, qui plenior eſt, pòſt vero una ſuper utrumque os, ut utrumque eodem tempore conſectum ſit. Ubi ſectio ad finem properat, membrum quod famulus tenet, paululum inclinari debet.

§. 242.

Præciſo ſic brachio, tollitur & linteum, (238, 5) & lorum, vel faſcia. (238, 2) Faſcia tortilis, vel torcular, (237) parum relaxantur, ut ſanguis ex arteriis erumpat, & oſtendat, quæ vinciendæ ſint. Linum ceratum per acum (238, 8) admodum curvatam juxta arteriam ita ad imas carnes demittitur, ut illud non ſolum arteriam, ſed etiam aliquid ex carne comprehendat, ſicque valentius hæreat, &, dum adſtringitur, arteriam haud abrumpat. Linum bis trajicitur, quod ſic quadrangulam quaſi figuram repræſentat, & omnem arteriam comprehendit. Lini enim capita in nodum connectuntur & adſtringuntur. Cavendum, ne, dum acus trajectatur, arteria intus plagam accipiat; quare illa ſic demittenda, ut ejus pars excavata arteriæ obverſa ſit, non vero gibba. Arteriam recte devinctam eſſe cognoſcitur, ſi, laxata faſcia tortili, ex ea nullus ſanguis prorumpit.

§. 243.

Quo arteriæ melius devinciri poſſint, nonnulli eas illa tenaciori forcipe (238, 7) prehendunt atque adducunt. Haud vero expedit, filum in nodum implexum ſuper forcipem adductæ nudæque arteriæ injicere, eamque ſolam ſine comprehenſis carnibus deligare. Si enim filum valentius adſtringitur, abrumpi poteſt arteria; ſi laxior vinctura fuerit, metus eſt, ne impetus moti ſanguinis eam reſolvat & filum diducat.

§. 244.

Si quæ arteria recte devinciri non poteſt, & ſanguis ex ea periculoſius fluit, ultimum auxilium eſt, eam paulo valentius comprimere. Imponenda itaque & ſuper arteriam fulcienda ſunt quam plurima linamenta pannique, & omnia famulorum ſtationum vices permutantium manibus ita apprimenda, ut omni temporis momento æqualis preſſio fiat. Confert vero, linamenta inordinata eſſe, non in pulvillos (19) digeſta & complicata; quæ etiam ita adaptanda ſunt, ut arteriam e latere potiſſimum premant. Præcluduntur enim arteriarum ora, ipſo ſanguine in his quieſcente coacto atque durato, ex quo vulneribus quaſi opercula fiunt. *a*

a Vid. Comm. A. R. Sc. MDCCXXXI., p. 122. PETITUS, Chirurgus celebris, eo loco machinam delineavit, quo arteriam cruralem in præciſo femore, quæ, quod jam vitriolo exeſa eſſet, iterum vinciri non poterat, ita compreſſit, ut hac ſola impetus ruentis ſanguinis fuerit cohibitus ægerque ſervatus. Hæc machina non ſolum frontem ſecti femoris, ſed ſuperius ſub inguine etiam arteriam cruralem comprimit, & loco faſciæ tortilis adhiberi poteſt. Vid. fig. VII. VIII. Confer de ſanguine, ſola compreſſione ſiſtendo, eumdem Auctorem l. c. Anno MDCCXXXII. p. 535. MDCCXXXV. p. 591.

§. 245.

Tandem, quo brachium deligari poſſit, illud paululum inclinandum flectendumque; cutis vero adducenda eſt, quo ea carnes contegantur. Super arterias ita prævinctas injiciuntur minores panniculi, (239, 2) qui ex alcohol exprimi poſſunt. Super oſſium frontem pulvilli ſicci. (c. l. 1.) His imponuntur

linamenta ſicca *a*, (c. l. 3.) & hæc omnia involvuntur panno quadrato, (c. l. 4.) *b* qui ita adduci debet, ut omnia recte contineat, ipſumque membrum arcte comprehendat *c*. Huic ſuperimponitur panniculus quadratus, (239, 5) & tandem huic tria illa ſplenia oblonga. (c. l. 6.) Faſcia autem ita injicitur, ut caput ejus primo bis comprehendat infimam partem membri truncati *d*, pòſt in cochleam ſerpat, & ſurſum feratur ſuper oleocranum. Faſcia hac, quæ ſic aliquoties ſuper frontem præciſi oſſis & oleocranum fertur, vulnus decuſſatim obvolvitur & impoſita linamenta valentius apprimuntur. Tandem illa per ſimam deſcendit, & per aſciam iterum ſurſum tendit atque revertitur ad humerum, in quo ſplenium arteriæ brachiali oppoſitum comprehendit.

a Plerumque linamenta conſpergunt pulvere ad ſupprimendum ſanguinem valentiori, quod ſupervacuum videtur. Neceſſarium eſſe poteſt, ubi femur ſectum fuit, quia multus ſanguis etiam ex minoribus arteriis ruit. (Vid. de Vulnerum hæmorrhagia.)

b Sunt, qui loco hujus panni utuntur emplaſtro, eodem modo figurato, vel veſica, quam madidam admovent.

c Accepimus, CHESELDENUM, celebrem inter Britannos Chirurgum, loco hujus panni ſuperinducere mitellam textilem, ſeu acu contextam, (*eine geſtrickte Schlaf-Mütze.*)

d Sic enim non ſolum melius & e latere premuntur arteriæ, ſed etiam prohibetur, quo minus adeps adeo inflari poſſit; id quod ſubinde accidere ſolet.

§. 246.

Membrum ſic deligatum, per aliquot horas a miniſtro impoſita manu comprimitur. Illud etiam ita collocandum eſt, ut erectum ſit, haud vero dependeat. Si profuſionem ſanguinis timet chirurgus, relinqui poteſt faſcia tortilis, (237) aſt relaxata; quæ, ſi res poſtulat, mox iterum a famulo adſtringi poteſt. Æger curandus eſt, ut graviter vulneratus, &, ſi pro modo vulneris parum ſanguinis fluxiſſe videtur, vena incidenda eſt. (62, 68.)

§. 247.

Deligatum ſic membrum, niſi ſanguis cum impetu ruens, inflammatio, vel aliud quid, hoc exigant; in diem tertium, quartumve continendum eſt. Ubi vero faſcia ſolvi debet, proſpiciendum eſt, ne ſanguis iterum fluat. Igitur oportet in promptu habere ipſique prius membro accommodare faſciam

tortilem, vel torcular. (237.) Propter eumdem metum linamenta, quæ ſupprimendi ſanguinis cauſa injecta fuerunt, ibi relinquenda ſunt, numquam vi diducenda. Cetera ita facienda, ut infra de vulnere docebitur. Ab inferiore exaſperatoque oſſe plerumque aliquid ſolvitur. In junioribus, quibus oſſa multo ſucco abundant, & ſi illa a carnibus ſatis conteguntur, aliquando vulnus ita ſaneſcit, ut nulla ab oſſe teſta ſecedat. Oſſibus omnia fere medicamenta, humida pinguiaque, aliena eſſe infra oſtendam. Iis admoveri poſſunt olibanum, maſtix, elemi, quæ contrita & molli pulvillo excepta imponuntur; pòſt vero alia medicamenta curandis carnibus apta ſupra dantur. Nec in hac curatione illa longiori faſcia opus eſt, (245.) ſed breviori, qua membrum involvitur.

§. 248.

Si pes præcidendus eſt, ſunt aliæ quædam obſervationes neceſſariæ. Faſcia tortilis, ſeu, quod heic magis opportunum eſt, torcular (237.) admovetur popliti, vel etiam ſupremo femori, ſub inguine, ubi arteria cruralis deorſum fertur. Dum popliti accommodatur, membrum inclinatum flexumque eſſe oportet: quo tempore vero carnes oſſaque præciduntur, neceſſe eſt, illud extendi. Chirurgus ſtat inter utramque ægri tibiam. Nam ſic fibula melius ſerra finditur. Incidenda ſcalpello falcato caro eſt ſub tubere oſſis tibiæ. Si enim præciduntur muſculorum ſartorii, gracilis, ſeminervoſi, ſemimembranoſi, tendines, magna movetur inflammatio, dolor & ſuppuratio, quæ curari vulnus prohibent. Si autem os inferius præciditur, periculum eſt, ne ſecetur arteria, quæ per tibiæ poſteriorem partem ad ejus medullam fertur. Ex hac enim quandoque ſanguis periculoſius fluit; qui etiam, quod arteria oſſi inhærens nec contrahitur nec vinciri poteſt, vix conquieſcit. *a* Ubi incidendæ carnes ſunt, mucro ſcalpelli falcati adprimitur angulo interno tibiæ. Serra ita ducitur, ut prius incidatur tibia, poſt vero cum hac etiam ſura *b*, vel fibula. Hæc enim, quæ hac parte tenuior eſt, prius, quam tibia, conſecanda eſt. Arteriarum plures vinciendæ ſunt: quare etiam frons præciſi membri, laxata faſcia tortili, ſedulo detergenda, ut arteriarum ora conſpici queant. Membrum etiam inflectendum,

& pòſt ſimili apparatu (239, 245) deligandum eſt. Faſcia enim ſuper genu vulnuſque ſurſum ac deorſum fertur. Etiam hoc manu comprimendum & membrum elatius, inflexo inguine, collocandum eſt.

a Vid. Obſervat. PETITI in Comment. A. R. Sc. MDCCXXXII. p. 539. qui oſtendit, ſanguinem ex hac arteria profluentem etiam commode coerceri, ſi ei imponantur & ſuper eam fulciantur linamenta.

b Ita dicitur hoc os CELSO Lib. VIII. c. 1.

§. 249.

Nec aliam animadverſionem deſiderat humerus, ſi is tolli debet. Si vitium ad medium humerum uſque proceſſit, arteria ſub ala comprimi poteſt. Præſtat tamen, hoc paulo inferius, loco ſupra dicto, (240.) fieri. Faſcia, quæ longior eſſe debet, ita involvitur, ut ejus caput ſemper per pectus ad alteram alam, ab eaque ad ſcapulas feratur, rurſuſque ad præciſi humeri caput revertatur, & ab hoc ad vulnus tendat, illudque ſæpius per pectus & ſcapulas circumeundo contegat.

§. 250.

Maximum periculum ex ſanguinis profuſione oritur, ſi femur reſecari oportet; neque hoc, niſi in ejus inferiori parte, experiendum eſt, cum accidere poſſit, ut æger ſub ipſo opere moriatur. Faſcia tortilis (237.) admovetur ſupremo femori. (248.) Non ſolum vinciri arteriæ, ſed imponi etiam poſſunt medicamenta, quæ ad ſupprimendum ſanguinem valentiora ſunt, (245 *a*) (Vid. infra de vulnerum hæmorrhagia.) Faſcia, quæ & amplior & longior eſſe debet, circa extremam femoris truncati partem ter voluta in cochleam ſerpit, & ſurſum fertur; pòſt coxas comprehendit, & ab his iterum atque iterum ad vulnus revertitur, illudque eadem ratione (245.) contegit.

§. 251.

Experimento le DRAN, Chirurgi inter Gallos clari, cognitum eſt, humerum totum inciſo articuli ligamento demi poſſe, ſi is totus vitiatus ſerra præcidi nequit. Acus maxima incurva, linum trahens ceratum, duplex triplexque, ſic tortum ut unitas in eo facta ſit, perforat cutim carneſque ſub ala, & ita ab una in oppoſitam partem compellitur, ut quam proxime ſub oſſe inter hoc & vaſa, quæ ſub alis deorſum fe-

runtur ; trajiciatur . Summopere enim cavendum eſt , ne hæc vulnerentur acu . Linum adſtringitur ; id quod recte factum eſſe , ſignificat arteria , ſi illa prorſus & per totum brachium quieſcit . Præciditur pòſt , reducta prius cute , muſculus deltoides , ad latum circiter digitum ab articulo ; & inciſo etiam ligamento, humerus qui parum attollitur, ex articulo emovetur . Supereſt , ut inferius reſecentur carnes ; id quod infra iſtam vincturam fieri neceſſe eſt . Tandem minori acu etiam linum trajicitur & vinciuntur arteriæ ad latum circiter digitum ſupra linum , quod prius injectum fuerat , & quod nunc reſolvitur . In cavitatem glenoideam , quæ , quantum fieri poteſt , relictis carnibus contegitur , & ſupra vulnus conjiciuntur multa linamenta , quibus , & pannis & faſcia ſupra vulnus decuſſante , etiam ſanguis ſiſtitur . Ardua hæc & periculi plena eſt chirurgia , nec temere a quovis inexercitato ſuſcipienda .

Vid. Le DRAN *Obſ. XLIII.* T. I. p. 315. GARENGEOT *des Operations* T. III. p. 454. *Sam.* SHARP *in the Treatiſe on the Operations of Surgery* p. 221. hiſtoriam dedit de homine molis operam dante , cui rota & humerum & omoplatam extorſerat & a corpore diſtraxerat . Is enim ſervatus fuit . Nam ſanguis , cum hominem vires defeciſſent , fere ultro conquievit . Clariſſ. Vir Elias Frid. HEISTERUS teſtatur , brachium mulieris , quod igne totum combuſtum erat , ſine adhibita faſcia , aut ſimili machina , ſed vinctis ea ratione ſub ala vaſis , fuiſſe amputatum . Aſt os non ex articulo exciſum , ſed ſerrula præciſum fuit . Vid. Diſſ. de Nova brachium amputandi ratione , Helmſt. MDCCXXXIX.

§. 252.

Aliam rationem crura amputandi propoſuerunt duo Chirurgi , Petr. Adr. VERDUINUS & SABOURINUS ; quæ vero , quia nec a gravioribus periculis tuta ſatis , nec ſine ſummo dolore eſt, jam fere eviluit .

V. *Nouvelle Methode pour amputer les membres par* P. A. VERDUIN , à Amſt. MDCLXXXXVII. Conf. RUYSCHII Epiſt. XIV. & Judicium I. SALTZMANNI in Diſſ. de novo membra amputandi modo , Argent. MDCCXXII.

§. 253.

Si junioribus membra præciſa fuerunt , iis vel victus detrahendus , vel crebrius ſanguis mittendus eſt .

SCIRRHUS ET CANCER.

§. 254.

Ex inflammatione interdum ſcirrhum oriri, ſupra (58, 59) retuli. Eſt tumor durus, ſine inflammatione, &, ſi non aliud vitium acceſſit, ſine dolore. Sedes frequentiſſima, & fere propria, eſt glandula, vel pars quæ hujus naturam habet. Adeps etiam quandoque ex valenter retenta materia induratur, &, translata verbi ſignificatione, ſcirrho laborare dicitur.

§. 255.

In ſcirrho tumor eſt a valenter retenta materia. Aliquando tamen incidere poteſt, ut aliqua pars tenuata ſit atque minor, quam naturaliter eſſe debet, & tamen dura & ſcirrhoſa, e. g. ſi ſubita evacuatione vaſa collabuntur, & per συνίζησιν concreſcunt; id quod, in viſceribus poſt gravem ſanguinis profuſionem fieri, obſervatione compertum eſt. Durus ceteroquin eſt tumor a coacta ſiccataque materia, aſperior a vaſis tumentibus. Nullus dolor eſt, quia nervi ab eadem materia comprimuntur.

§. 256.

In glandulis fiunt ſcirrhi ab omni cauſa, ex qua in iis obſtructio naſcitur. Si ex varia & ſibi contraria cauſa coguntur humores, (39. ad 42.) ſi vaſa ampliantur, (45.) vel ſi anguſtantur, (37, 44) & ſi ex his occaſionibus orta inflammatio, curatur reprimentibus, frigidis, ſiccantibus, diſcutientibus & humores cogentibus. His enim impoſitis, ex humidis diſſipantur aquoſa & mobilia, adunantur compingunturque craſſa & terreſtria, quæ cum fiſtulis in quibus hærent, concreſcunt. In abſceſſu & vulnere, quod ad ſuppurationem ſpectat, ſcirrhus manet, ſi impoſitis rebus, quæ fiſtularum ora præcludunt, ſuppuratio cohibetur. Ubi enim tumor pus alit, vel vulnus colliſum eſt, omne præſidium ab hac petendum eſſe conſtat. Si pus exire nequit, & illud cum vaſis concreſcit.

§. 257.

Frequentius itaque ſcirrhi in mammis fiunt, quia nullius humoris tam facile coagulum eſt, quam lactis. Lac enim ex omnibus humoribus minime ſubactum & nondum in animalem naturam converſum eſt, ſed crudum, &, ſi ab aſſumptis vegetabilibus ortum habet, aceſcens. Mammæ etiam variis injuriis expoſitæ ſunt. (114.) Non ita prompta, ſatis frequens tamen, coagulatio eſt ſalivæ, ſeminis, muci, aliorumque humorum. Quibus in omnibus totius corporis fluidis vitium eſt, quale eſſe ſolet in iis, qui rhachitide, hypochondriorum morbo, & ſcorbuto laborant, nec non viris, quibus hæmorrhoides ſanguinem fundere ſolitæ ſuppreſſæ ſunt, & feminis, quibus menſtrua non proveniunt, ſæpe vitio intus orto ſcirrhi fiunt. Non parum etiam confert malus victus, ſi pueri, & quibus corpus infirmum eſt, leguminibus, oleribus, ſalſamentis & panificiis aluntur, quæ valentiſſimi generis ſunt & multum acorem faciunt. Si hæc aliaque cibaria ex vaſis æneis, ſtanno non incruſtatis, coquuntur, ſi potioni datur cereviſia tenuis coaceſcens. Et ſi ejuſmodi teneriora infirmaque corpora nullo motu atque exercitatione recaleſcunt, ſed mœrore quotidiano lacerantur conficiunturque. Ob hanc enim cauſam in orphanotrophiis pueris, & in monaſteriis monialibus virginibus, quæ invitæ caſtitatem patiuntur *a*, ſcirrhi frequentiores ſunt.

a Vid. de his FORESTUS Obſ. Lib. XVII. Obſ. 26. p. 129.

§. 258.

Fiunt autem ſcirrhi in interioribus ſedibus viſceribuſque, quorum curatio, ſi quæ datur, a medicis requirenda eſt. Chirurgus ſcirrhos curandos accipit in palpebris, glandula lacrymali, glandulis Meibomii, caruncula quæ in cantho interno ſita eſt, in labris, lingua, parotidibus, maxillaribus, ſublingualibus glandulis, in glandula thyreoidea in qua ſedes ſtrumarum eſt, in mammis, teſtibus, ſub alis, in inguinibus, in utero, & ubique, ubi majores vel minores glandulæ ſunt. Tunica adipoſa & celluloſa in omnibus corporis ſedibus indureſcit.

§. 259.

Si ſcirrhus, qui exteriorem aliquam ſedem occupat, non a ſubita cauſa ortus eſt, ſed per ſe & intus orto vitio, incepit, metus eſt, ne viſcera & interiores partes ſimili vitio laborent. Hic nec medicamentis facile curatur, nec tuto ſecatur. Tumor enim exciſus, poſt inductam etiam cicatricem, vel priori vel alio loco revertitur.

§. 260.

In quibuſdam tamen ſedibus majus periculum eſſe ſolet. In mammis enim, ſi ſcirrhus irritatur, is protinus in cancrum degenerat. Quamvis etiam in muliere, cui ceteroquin integerrimum corpus eſt, tumor nulla imprudentia agitetur; is tamen plerumque concitatur eo tempore, quo per ætatem menſtrua ſiſtuntur. In lingua labriſque etiam major metus eſt, quia hæ partes & multo humore redundant, & aſſiduis fere motibus agitantur.

§. 261.

In aliis vero corporis ſedibus, parotidibus, tonſillis, glandulis maxillaribus, glandulis thyreoideis, ſæpe tumor increſcit atque magis indureſcit, ſine alio morbo, quam, quod propria glandulæ functio lædatur. Nimia tamen magnitudo & deformitatem adfert, & moleſtiam *a*. Si etiam talis ſcirrhus nimium extuberat & occalleſcit, tandem junctas ei partes premit, quæ inflammatæ exulceratæque cum ſcirrho nonnumquam coaleſcunt. Læduntur etiam harum junctarum partium functiones. Si ſcirrhus majores arterias premit, adfert atrophiam; ſi venas, tumores œdematoſos & inflammationem; ſi nervos, ſtuporem atque torporem cum atrophia.

a Vid. magnos ejuſmodi tumores delineatos in VERDUIN *Obſ. Chirurg.*

§. 262.

Quamdiu vero in ſcirrho perfecta vaſorum obſtructio eſt, & vaſa, quæ cum retenta ſiccataque materia in unum quaſi concreta ſunt, integra manent, humores vero boni ſunt & ſine acritudine; ſcirrhus benignus dicitur, qui, ut res quaſi aliena & quæ ſine vita eſt, aliis vitam habentibus adhæreſcit. Si autem ex quacumque cauſa humores, qui in vaſis circa ſcirrhum ſunt, citantur, hæc tandem rumpuntur. Humores

vero, qui ſine noxa quieverant, jam hoc motu & attritu cientur, calore putres fiunt & acres, qui proxima, adhuc ſana, rodendo ſinuant. Et ſic tandem ſcirrhus in malignum verumque cancrum degenerat.

§. 263.

Sunt vero, quæ ſcirrhum irritant, omnia quæ eum nimis agitant. Inter hæc partis adfectæ motio *a*, preſſio & fricatio, omneque fere, quod imponi ſolet, medicamentum, maxime ſi illud acre, rodens, pingue, rancidum, reſinoſum, ſpirituoſum, vel aquoſum & molliens eſt. Omnia calida, quæ intus ſumuntur, victus etiam talis, & quæ inter cibos potuſque valentioris generis malique ſucci ſunt, aromata, ſalſamenta, vinum, vinum aduſtum; præterea vehementiores animi perturbationes, voluptates venereæ & illarum deſideria; quæ, ut & omnia vehementia, ii removere debent, qui ſcirrho laborant & cum hoc ad ſenectutem pervenire cupiunt.

a Nullum exercitationis genus mammarum tumores ſcirrhoſque magis concitare poteſt, quam, quo brachia multum jactantur, quia pectoralis muſculus ſub mamma ſitus eſt.

§. 264.

Scirrhum malignum factum eſſe, ex notis quibuſdam ſcire licet. Ab initio dolor modicus, prurigo major, & circa locum aliqua quaſi puncta ſentiuntur. Dolor indies increſcit fitque pungens, fodiens, pulſans, acris, urens, & ſub finem fere intolerabilis, quo homo diſtinetur & multum excruciatur. Duritia inter hæc & aſperitudo augentur, color ab initio non alius eſt, mox ruber, lividus & nigricans, & venæ quæ etiam livent, circa tumorem multum inflantur, ac quaſi recurvantur. Tandem humor vitioſus *a* velamentum, quo ſcirrhus comprehenditur, & quod a glandulæ tunica ortum videtur, nec non ſupremam cutem exeſt; ex ulcere humor fertur putridus malique odoris & verum factum eſt καρκίνωμα, ſeu cancer apertus.

a In cancro occulto ſæpe in medio tumore reperitur cavum acerrimo & fœtido humore plenum. Vid. DEIDIER *des Tumeurs* Cap. VI. p. 103. & G. HARRIS Diſſert. X. p. 168.

§. 265.

Ubi vero malum eo uſque proceſſit, omnia exaſperantur, ex ulcere fertur ſanies, quæ mali odoris tamque acris eſt, ut ea etiam cutim impoſitaque linamenta arrodat *a*. In omni enim cancro humor ex putri, qualis in ſphacelo emortuus eſſe ſolet, & rodente, qualis ex malis ulceribus exit, quaſi compoſitus eſt; quare vitium, quod & putrefaciendo & rodendo ulterius ſerpit, inſanabile eſt. Hoc humore etiam illud inferius velamentum, quo tumor comprehenditur, exeditur, vaſcula quæ lympham ferunt, indurantur, cum quibus hoc vitium altius in infra ſitas carnes deſcendit & quaſi altiores radices agit *b*. Ob hanc cauſam, ſi vitium mammas infeſtat, glandulæ quæ ſub alis ſunt, intumeſcunt, &, quia vaſa premunt, brachio etiam tumorem doloremque acerbiſſimum cum ſtupore adferunt. Ora ulceris & proxima cutis tumida & dura ſcabraque fit & colorem habet ex rubro ſubnigrum, ulcus continuatur & odoris fœditas indies augetur. Putris etiam caro increſcit, quæ multum tumet eminetque. Acutiſſimus acerbiſſimuſque dolor ægrum die nocteque fatigat. Febricula lenis oritur, quæ etiam, cum quievit, tamen repetit, ægrumque extorret, corpus extenuat & ad ſummam maciem perducit. Ad ultimum homo, qui per multum ſæpe tempus miſerum ſpiritum trahit, omni ſentiendi facultate amiſſa, crebrius animo linquitur, quandoque convellitur, tandemque extinguitur. Subinde etiam hominem ſanguinis profuſio interimit, ſi is, ex qua arteria, venaque paulo majori, & ab acri humore eroſa, cum impetu ruit & ſupprimi nequit.

a Teterrimus, quem corruptus humor exſpirat, odor naribus eorum, qui ægri curam habent, adeo inhæret, ut quandoque nulla re elui & diſpelli poſſit. Vid. G. HARRIS l. c. Hic in exemplum adducit medicum, cui, poſt uxoris ex cancro exulcerato obitum, virulentus odor ſemper in naribus ita manſit, ut tandem etiam is confectus obierit. Nec minus animadverſione dignum eſt, quod de chirurgo proponit, qui, cum occultum cancrum extirpaſſet, pellucidum humorem, quo veſicula in mamma plena erat, deguſtare auſus eſt; ſapor vero hujus acerrimi fœtidiſſimique humoris adeo linguæ inhæſit, ut tandem & is ex inſuperabili nauſea tabidus factus fuerit & extinctus.

b Hoc pluribus demonſtrat GENDRON *des Cancers*.

§. 266.

Quid vero de his omnibus ſperandum metuendumque ſit, ſcire non difficile eſt. Scirrhus qui recens eſt & nondum occalluit, & qui non a mala cauſa ortus, non nimis magnus & ſcaber eſt, & ubi vaſa nondum intumuerunt, qui etiam mobilis & ſine dolore in corpore integro eſt, aliquando medicamentis vincitur. Scirrhus benignus, ſi ei nulla vis adhibetur, iſque nec medicatione, nec aliis, (262. 263.) concitatur, ſæpe ad vitæ finem ſine noxa tolerari poteſt. (Confer. 261.) Scirrhus benignus, qui nec medicamentis vinci, nec tolerari poteſt, nec non omnis malignus, ſcalpelli operam deſiderant; nec tamen ii tuto ſemper ſecantur. Si enim metus eſt, ne nervus, ne arteria major, ne vena incidatur; ſi tumor altiores egit radices, iſque ſubjectis partibus valentius adhæret; ſi a vitio, quod intus in corpore eſt, ortum habet; vel, ſi corpus in quo hæret, mali habitus eſt, & viribus a ſenio aliave cauſa defectum; & ubi cancer mammas infeſtat, ſi jam glandula ſub ala intumuit: *a* nec ſectio prodeſt, & ii qui ferro malum tollere tentant, plerumque celerius hominem occidunt. Si etiam curatio ab initio ſatis feliciter ceſſiſſe videtur, malum tamen revertitur. Ubi ſemel ſcalpellum fruſtra admotum fuit, in ejus uſu numquam certa fiducia eſt. In omni ſcirrho & cancro ſerum auxilium ſupervacuum eſt.

a Feminæ, quæ mammarum ſcirrho, vel cancro laborant, ſi iis catamenia non recte procedunt, vel, ſi purulenta ex genitalibus cum menſtruis feruntur, ſæpe uterum habent, quem ſcirrhus, vel carcinoma, infeſtat; id quod etiam dolor, quem hac regione ſentiunt, ſignificat.

§. 267.

Ergo, ubi ſpes eſt, (266.) ſcirrhum qui externas corporis ſedes infeſtat, tolli poſſe, ſuper tumorem danda ſunt, quæ aliquantum molliunt, retentam materiam mobilem reddunt, aſt ſimul putredini reſiſtunt. Sedulo enim & in his curationibus tenendum eſt, quod ſupra, de glandularum tumoribus reſolvendis (113.) præcepi. Inter emollientia prima ſunt emplaſtra ex gummi parata & ex cognitis compoſitionibus malacticum & diachylon, tum ſimplex, tum compoſitum, adjecto diaphoretico Mynſichti nec non gummi galbanum, ſagapenum,

opopanax, quæ gummi vitello ovi excipi & ſuperdari poſſunt. Expedit vero, hæc ſatis craſſa alutæ illinere, & cum hac ſuperdare; emplaſtra vero manibus in magnitudinem tumoris dilatare & imponere, ſubinde etiam calefactoriam tegulam ſuper habere. Nec, ſi vitium recens eſt, aliena ſunt cataplaſmata, (131.) quæ tamen minime madere oportet. Ex his fere commodiſſimum eſt, quod paratur ex caricis pinguibus, conquaſſatis, uſtulatiſque, donec temperaturam pulticulæ habeant. Proſunt vapores ex aceto bene calido, ſi in illud igniti ſilices conjiciuntur, & ſuper vaporem locus collocatur. Levis etiam frictio, maxime ſi alia quæ admota fuerunt, tumorem jam aliquantum immutaverunt, multum proficere ſolet. Plures extollunt emplaſtrum Vigonis cum mercurio, de quo ſupra (125.) dixi. Fere commodius eſt, unguentum Neapolitanum tumori illinere, vel imponere plumbeam laminam, quam argentum vivum permanavit. Argentum vivum prodeſſe poteſt, ſi vitium ex venereo morbo enatum eſt; raro proficit in mammis, ſi ex alia cauſa induratæ ſunt. Neceſſe vero eſt, ſi eo uti velimus, ut ſubinde detur catharcticum, ne mercurius ad ſalivæ glandulas convertatur & oriatur ptyaliſmus. Nam & hoc curationis genere, quod plures ſcirrho adhibuerunt, hunc rariſſime tolli, obſervatione cognitum eſt. Intus dari debent diſcutientia ex rad. ſarſaparillæ, bardanæ, chinæ, graminis, & ex illis, quæ nomine radicum aperientium proſtant. Nocent catharctica, quæ corpus nimium ſiccant; reſolventia, quæ humores nimium citant.

§. 268.

Ubi vero hæc tumorem nihil mutaverunt, iſque nec deſiit, nec mollior factus fuit, ad ſcalpelli curationem veniendum eſt. Medio tumor una linea, vel duabus tranſverſis, uſque ad tunicam qua ſcirrhus incluſus eſt, inciditur, diducta parumper cute. Tumor vel forcipe HELVETII *a*, vel duabus linis tranſverſim acu trajectis, vel, id quod fere optimum eſt, digitis, adducitur, & ab integro corpore digito ſeparatur, totuſque cum velamento ſuo ejicitur. Si enim ſic glubendo eximitur, radices, ſeu durati nervi, vaſaque lymphatica melius extrahuntur, nec adeo metuenda eſt ſanguinis profuſio. San-

guis enim ex ſectis vaſis majori cum impetu ruit, quam ex ruptis ac dilaceratis. Siccis linamentis vulnus implendum eſt, ſupraque imponendi panni injiciendaque faſcia. Nec protinus ſanguis, niſi majori impetu ruat, ſupprimendus eſt, in cujus curſu adverſus inflammationem auxilium eſſe ſupra retuli. Raro valentioribus opus eſt, quibus ſanguis ſiſtitur. (vid. de vulnerum hæmorrhagia) Si quando autem tunica eximi non potuit, illa concidenda eſt & inſpergenda ſuperdandaque adurentia, & alia ſunt, quæ pus movent. (vid. de ulceribus & fiſtulis.) Si enim ejus aliquid ſuper ulcus relinquitur, omne id in pus verti debet, ne putris caro excreſcat vitiumque revertatur.

a Vid. Ejus Epiſt. ad REGIS de natura & curatione cancri p. 153.

§. 269.

Alia vero curatio eſt, ſi ſcirrhus malignus factus eſt, (260, 262 ad 265) & cancer, vel occultus, vel apertus, mammam occupat. Nam hæc vitia etiam raro ferro ſanantur, maxime, ſi aliquid eorum in corpore eſt, quæ hæc, ut ſupra expoſui, (266.) ſanari prohibent. Si ulcus adhuc ſub cute, (264.) tumor autem durus, aſt mobilis, is quandoque eadem ratione ex carne & cute, digitis, vel ſcalpelli manubrio, diduci, vel juxta radices excidi & inviolata tunica ejici poteſt. (268.) Si vero ſuperior cutis jam ſui coloris non eſt, ſed alienata, inferius autem tumor mobilis, is æque a carne & aliis ei junctis ſeparari poteſt; ita tamen, ut, quantum ex cute vitiatum eſt, etiam forfice vel ſcalpello præcidatur.

§. 270.

Ubi vero cancer totam mammam infeſtat, illa tota præcidenda & a muſculo pectorali ita ſeparanda eſt, ut potius hujus aliquid excidatur, quam, ut aliquid vitiati omittatur. Dum vero præciditur mamma, ſcalpelli acies ab inferioribus verſus ſuperiora procedere debet. Sanguis paulo valentioribus, prævinctis etiam preſſiſque arteriis, ſupprimitur, vulnuſque curatur. Sub ipſa curatione, & poſt ſuperatam inflammationem, intus danda ſunt medicamenta, ad ſanguinem alioſque corpo-

ris ſuccos purgandos idonea, & inter hæc, leniora cathartica. Nec homo alium cibum, quam modicum & ſalubrem, capiat, vitatis omnibus acribus. Potui danda eſt ptiſana ex ſarſaparilla, aliiſque, quæ ſanguinem purgant. In quo victu & abſtinentia, etiam poſt curationem, per longum tempus perſeverandum eſt, cum numquam metus non ſit, ne vitium recrudeſcat.

Multum proficere victum ex ſolo lacte paneque candido, exemplis probavit DEIDIER l. c.

§. 271.

In labris ſi cancri fiunt, hi protinus ita excidendi ſunt, ut ſemper aliquid ex ſana parte tollatur. Quia vero hoc ſine labrorum mutilatione fieri nequit, oræ adducendæ inter ſe, ſuendæque ſunt, trajectis & ibi relictis acubus. (vid. inferius de labrorum vulneribus.)

§. 272.

Ubi autem vitium in quavis ſede penitius deſcendit, & vel certa deſperatio, vel gravior metus eſt, hominem ſectione ſalvum præſtari non poſſe, eſt prudentis chirurgi, hunc quem ſervare nequit, non attingere. Novum igitur petendum conſilium eſt, & adhibenda ſunt lenia auxilia, quæ quaſi blandiuntur morbumque trahunt. Primum itaque ad victus rationem curatio transferenda eſt, & ab ea ordinandum, ut æger omnia vitet, quæ, quod aliena ſint, ſupra propoſui. (257, 263.) Carnes etiam, quæ nimis ſuccoſæ aut pingues ſunt, v. g. ſuillæ, nocent. Si ſanguis in corpore abundat, is ſubinde ſubtrahendus & alvus etiam, ſed non niſi lenioribus, rhabarbaro, tamarindis, cremore tartari, mercurio dulci, pilulis Becheri, numquam valentioribus, ducenda eſt *a*. Vitanda enim ſummopere omnia ſunt, quæ humores citant. Potioni ptiſana (270.) idonea eſt. In proxima parte fonticulus excitari poteſt.

a Quantum noceant purgantia, vid. in DEIDIER c. l. p. 116.

§. 273.

Quamdiu vitium adhuc ſub cute deliteſcit, fere omnia, quæ imponuntur, aliena ſunt. Locus contra frigus omnemque injuriam, quæ exterius accidere poteſt, cuſtodiendus. Et fere optimum eſt, illum plumbea lamina, aſt tenuata minimeque gravi contegere. Si dolor nimis acerbus eſt, quandoque ſuperhaberi poſſunt hyoſcyami herba & papaveris flores, qui cera excipiuntur, vel emplaſtrum ſaturninum Mynſichti. Pinguia enim & reſinoſa inimica ſunt.

§. 274.

Ubi autem ulcus adapertum eſt, pauca etiam medicamenta inveniuntur, quæ ſine noxa imponi poſſunt. Nam, ſi vis adhibetur, malum irritatur & increſcit. Itaque contentus eſſe debet medicus lenioribus, quæ ulcus purgant, & prohibent, ne id nimium ſerpat, vel ſupercreſcat. Ad id fere idonea eſt aqua phagadenica dilutior, quæ putrem carnem ſatis continet, nec ulcus nimium ſerpere patitur. Si vero major corruptio cum fœtore eſt, ei adjici poteſt parum eſſentiæ ſuccini, quam tamen minime acrem & ſine ſale compoſitam eſſe oportet, vel admiſceri poteſt aqua vulneraria. Subinde etiam linamenta ſicca imponenda ſunt, quæ tetros humores quaſi bibunt, illaque ſedulo mutanda. Si dolor urget, cremori, qui ex cydoniorum ſemine cum aqua plantaginis paratur, adjici poteſt plumbum uſtum, & ulceri illini. Idonea etiam compoſitio eſt, quæ habet acetum, quod argenti ſpumam excepit, & oleum roſarum, quale vulgo linimentum nutritum appellant. Ex emplaſtris, quibus hæc continentur, fere optimum eſt Mynſichti. Ulcus quando deligatur, avertendus eſt omni ſtudio aëris afflatus, quo illud graviter afficitur.

OPHTHALMIA.

§. 275.

Variis & ingentibus caſibus oculi patent, quorum plures ad inflammationes pertinent, vel ex iis naſcuntur. Si enim oculorum tunicæ inflammantur, morbus ophthalmia, vel lippitudo dicitur, cujus & varia genera, variæ etiam cauſæ, atque tempora ſunt, in quorum omnium cognitione curationis ſumma eſt. Ophtalmiæ enim plura communia ſunt cum inflammatione, quare etiam ab hujus potiſſimum cognitione medendi ratio trahenda eſt. Præter hæc diſcrimen eſt, ſi exteriores tunicæ *a* laborant, vel ſi aliæ, quæ intus in oculo ſunt, inflammantur.

a Non omnino conſentiunt auctores de harum externarum tunicarum numero & denominatione. Plures tunicæ adnatæ, vel conjunctivæ, vel albugineæ, nomine omnes comprehendunt. PORTERFIELD *in Medical Eſſays Vol. III. Obſ. XII. p.* 161. tunicam albugineam in duas dividit, quarum alteram, internam, deducit a perioſtio orbitæ, per quod, ut notum eſt, dura cerebri membrana oculi tunicis jungitur, alteram ab illa membrana, qua interius palpebræ conteguntur. His ſuperaddit aponeuroſin vel epidermidem, (*Aponeuroſe or Surpeau*) quæ his omnibus, & corneæ, innata eſſe dicitur, id quod ex puſtulis ſæpe in cornea ortis probat. Nullam mentionem facit illius, quæ a muſculorum tendinibus orſa ſub adnata ſita eſt. Exiſtimaverim, commode has tunicas dividi poſſe in intimam, quæ aponeurotica & albuginea dici poteſt, & a muſculorum tendinibus venit, in adnatam, quæ partim a perioſtio orbitæ, partim a tunica palpebras interius contegente, educitur, ſuperque hanc fertur, nec non in epidermidem, ſeu extimam tenerrimam, qua omnes, & etiam cornea, conteguntur. Inter has membranas tenerrimum & celluloſum contextum eſſe, & inter eas etiam arterias venaſque omnis generis diſcurrere, oſtendit quævis inflammatio, ipſaque chemoſis. Non ſemel in tunica cornea, maxime ſi illa exulcerata fuit, cernere potui arterias minores rubicundo ſanguine confertiſſimas. Operæ pretium videtur, has partes paulo accuratius diſtinguere.

§. 276.

Τάραξις dicitur, ſi tunica adnata parum rubet, ſine tumore ac dolore; quod genus ſæpe a rebus oritur, quæ extrinſecus oculum lædunt, ſolis æſtu, fumo, pulvere *a*. Si vero non ſolum tunica adnata, ſed etiam aponeurotica, ſeu albuginea, quæ a muſculis oculum moventibus venit, valde in-

flammata eſt , & hæ tunicæ adeo intumeſcunt , ut ſuper corneam ferantur : χήμωσις nomen eſt *b* . Eſt vero hæc magna cum inflammatione , acerbo dolore ac nocturna vigilia ; caput etiam multum dolet , calet , & in eo gravitas ſentitur . Et hoc vitium quandoque oriri ſolet a ſubita externaque cauſa ; non raro vero poſt febres alioſque morbos , ſi horum materia in oculum convertitur & hanc periculoſiorem inflammationem movet .

a Inflammationis initium dicitur GALENO in Lib. VI. Epid. Hippocr. Comm. V. Textu III. T. IX. p. 515. Vid. PAULUS AEGINETA Lib. III. c. 22.

b Conf. PAULUS AEGINETA l. c.

§. 277.

Lippitudo , proprie ſic dicta , ſeu ophthalmia humida , eſt , ſi ex oculo inflammato copioſior lacryma pellucida , calida & acris profluit , quæ & corneam exulcerat , & quandoque genas per quas defluit , rodit . Caput calet , dolor qui a temporibus ad oculos pervenit , magnus eſt , cum gravi prurigine , oculus omnis lucis impatientiſſimus . Nonnumquam etiam palpebris & partibus , quæ circa oculum ſunt , ſupervenire ſolet tumor , qualis fere in eryſipelate eſſe ſolet , & ſæpe omnis cutis exaſperatur exulceraturque . Tunc pituita lacrymæ miſcetur , illaque craſſior fit & palpebræ inter ſe glutinantur . Tandem omnia ſiccantur & exterius palpebris inhæret cruſta arida , quæ tandem contracta ex cute decidit .

§. 278.

Ξυροφθαλμία , ſeu arida lippitudo *c* , dicitur , *ſi oculi neque tument , neque fluunt , ſed rubent tantum , & cum dolore quodam fere levi ac prurigine graves ſunt , & palpebræ citra duritiam ullam noctu prægravi pituita inhæreſcunt* . Frequens eſſe ſolet iis , qui æſtate anni flagrantiſſima vel apricantur , vel per pulverulentas vias iter faciunt .

c Sunt verba CELSI Lib. VI. C. VI. §. 29. conf. PAULUS L. III. C. 22. AETIUS L. VII. Cap. 75. & 77. p. 136. Edit. Ald. Gr.

§. 279.

Σκληροφθαλμία eſt , ubi oculus & palpebræ duriores ſunt , nec ſine moleſtia moventur aperiunturque . Dolent etiam ac ru-

bent ; nullus vero pituitæ curſus eſt , ſed angulis & palpebrarum cartilaginibus inhæreſcunt gramiæ , ſeu λήμαι parvæ , ſiccæ & aridæ . Nec palpebræ inverti poſſunt . Sæpe hæc ophthalmia oritur in ardentibus febribus ; aliquando , ſi oculo multa ſpirituoſa fuere impoſita , & ſi lacrymalis glandula ſcirrho laborat *a* .

a Vid. AETIUS c. l. Cap. 74. & 77.

§. 280.

Ψωροφθαλμία dicitur , ſi oculi ſcabri ſunt , quod maxime in angulis & palpebris eſſe conſuevit . Anguli cum multa prurigine rubent . Humor enim exit paucus , ſalſus , acer , qui omnia exaſperat . Enaſcitur , ſi ex variis cauſis lacrymæ calidæ acres factæ ſunt .

b AETIUS c. l. C. 76. 77.

§. 281.

Ubi autem inflammatio etiam interiores oculi membranas , & præcipue choroideam , occupat , phlegmone nomen eſt . Hoc malum pejus eſt ; caput calet , & dolor eſt fere intolerabilis cum febre , nocturna vigilia & delirio . Hæc ingens inflammatio , maxime ſi a ſubita cauſa orta fuerit , ſæpe tanto impetu erumpit , ut oculos e ſua ſede propellat : id quod , quia oculi procidunt , πρόπτωσιν *c* Græci appellant .

c CELSUS L. VI. C. 6. n. 8. PAULO vero L. III. c. 23. p. 36. dicitur Ἐκπισμὸς , qui πρόπτωσιν retulit ad ſtaphylomatis genera .

§. 282.

Eſt etiam magnum diſcrimen inter ophthalmiam acutam , quæ cum inflammatione eſt , & , quæ ad ſummum per unum alterumve menſem durat , plerumque vero celerius finitur , & inter lippitudinem longam . Prior enim plerumque oritur , ſi mala materia ex corpore in oculum vertitur & in hoc inflammationem movet , vel ſi ex aliis , etiam ſubito enatis , cauſis hoc accidit . In chronica vero numquam ſicceſcunt oculi , ſed ſemper humore tenui madent , qui ex levibus momentis inflammationes excitat , & ſæpe totam vitam hominis infeſtat .

§. 283.

Præter hæc, ſi in totius corporis humidis aliquod vitium eſt, aliquando diuturna lippitudo enaſcitur. Eſt enim frequens ophthalmia iis, quibus corpus ſcorbuto vitiatum eſt, nec non, quos venerea lues infeſtavit *a*. Nonnumquam ophthalmia plures invadit & epidemica eſt, aliquando periodica, quæ certo tempore revertitur.

a Certis obſervationibus compertum eſt, ophthalmiam ex gonorrhoea virulenta, repente cohibita, ortam fuiſſe, ubi pituita copioſior, craſſior, flavens, humori purulento fere ſimilis, qualis per urethram ferri conſuevit, majori impetu erupit & ex oculo effluxit. Idem teſtatur St. YVES P. II. L. IV. Art. X. p. 187.

§. 284.

Ex ſupra dictis clarum eſt, oculos inflammari, ſi ruber ſanguis in minores arterias, quæ aliis tenerioribus ac pellucidis humoribus accommodatæ ſunt, transfunditur. (34.) Id vero etiam ex variis & ſibi contrariis cauſis incidere ſolet. Extrinſecus interdum ictus oculum ſic lædit, ut ejus membranæ, quæ tenues ſunt & nervoſæ, inflammentur. Ei quoque, nec non junctis partibus, vulnera inferuntur, quandoque caſu, quandoque manu chirurgi. Si etiam calvaria fracta eſt, & ejus exterior interiorve membrana læſa & inflammata fuit, etiam in oculo inflammatio ſe oſtendit, quia adnata a perioſtio orbitæ incipit; hoc autem cum membrana dura æque, ac perioſtio externo, committitur. Etiam omnia acriora, ignis, externus & adventitius calor, fumus, oculum offendere & inflammationem movere ſolent. Pueri, quibus nares humentes non emunguntur, ſæpe turpiter lippire ſolent. Quandoque ſub partu obſtetricia manus oculum graviter afficere poteſt.

§. 285.

Sunt vero aliæ quædam cauſæ, quæ oculis ophthalmiam adferunt. Ex his potiores ſunt, ſi catarrhi & ſudationes repente fuere cohibitæ, &, ſi ad caput calens frigus adſpiravit. Vel, ſi tempeſtates non æquales ſunt, ſed multum ac repente variant, & his inſenſibilis exſpiratio coërcetur. Si ſcabies, porrigo, ſeu ſquamulæ, quæ inter pilos ſurgunt, nec non vari, aliaque cutis vitia, ex toto medicatione prohibentur, non raro mala materia in oculos vertitur & movetur lippitudo,

Interdum etiam per ulcera exeſæ ſunt glandulæ Meibomii ; id quod iis accidere ſolet , qui ex variolarum morbo convaluerunt . Si enim oculi variolis infeſtantur , palpebræ vero , inter ſe per purulentum humorem glutinatæ , diducuntur & , medentium imprudentia , impoſitis variis medicamentis agitantur , manent ulcera , & chronica lippitudo , quæ in quibuſdam nulla ope ſanari poteſt ; utque ſic , quod per ſe exiguum eſt , majus imprudentia curantis fiat . Huic valetudini etiam obnoxii ſunt pleniores & ſanguine abundantes , quibus hæmorrhoides fluere ſolitæ & menſtrua ſuppreſſa ſunt , quibus alvus non reſpondet , & quibus in capite vel gravior dolor , vel longa imbecillitas eſt . Ubi oculus , vel crebrius , vel diutius , hac valetudine vexatus fuit , illa , ſi etiam admotis auxiliis ceſſit , ſæpe ex levi occaſione revertitur , quia oculorum membranæ multum infirmatæ ſunt .

a Crebra animadverſione cognitum eſt , oculos quos variolæ infeſtant , optime cuſtodiri , ſi palpebræ inter ſe glutinantur . Sic enim lux & aer avertuntur , quæ nervoſarum oculi membranarum inflammationem maxime concitare atque accendere ſolent . Non ſolum itaque ſupervacua , ſed etiam nocentiſſima curatio eſt , ſi variis rebus palpebræ ſuperinunguntur , vel vaporibus foventur & fibræ laxantur , vel , ſi , diductis palpebris , multa medicamina in oculi angulos inferuntur , ut natis variolis medicamenta inducantur . Vix umquam hæc profuere , quæ , quod oculum agitant , variolas longe nocentiores reddunt . Nam hæ , ſi nulla adhibita medicatione tolerantur , finita ſuppuratione , ſine noxa decidunt . Si enim variolæ malignæ ſunt & rodenti humore plenæ , nec quidquam eſſe puto , quod noxam avertere poſſit .

§. 286.

Levior lippitudo & tunicæ exterioris inflammatio in phlegmonem (281.) verti poteſt , ſi oculo ſuperdantur medicamenta , quæ refrigerant *b* , reprimunt , nec non ſpirituoſa , quæ & teneriores humores cogunt & nervoſas tunicas graviter offendunt .

b Vidi phlegmonem , & ex hac intus ruptum ac foras procedentem oculum , cum Empeiricus levi ophthalmia laboranti oculo candidi panis interiorem partem ex gelidiſſima aqua ſubactam per aliquot dies ſuperimpoſuiſſet .

§. 287.

Orta vero lippitudine , ex certis indiciis ſcire licet , quid eventurum ſit , quorum quædam omni lippitudini communia ſunt , quædam vero propria . Inter communia nemo ignorat ,

omnem inflammationem, quæ altius deſcendit & interiores oculi membranas occupat; id quod in phlegmone fieri ſupra (281.) retuli periculoſiorem eſſe, quam illa eſt, quæ in exterioribus conſiſtit, & cui non magnus dolor accedit. Major autem metus eſt, & cæcitatis periculum, ſi ophthalmia magnam febrem adfert, vel, ſi hac ſuperveniente ophthalmia exaſperatur. Plerumque enim febre *a*, nec non alvi profluvio *b*, ophthalmia ſolvitur. Dejectiones autem, quæ medicamentis nimium valentibus petuntur, pernicioſæ ſunt & corneæ membranæ mucoſam exulcerationem adferunt. Si lippitudinem præcedit cephalæa, aut, ſi hæc ſuperveniens pertinaciter inhæret, ſæpe lumen amittitur *c*. Si unus oculus ophthalmia infeſtatus eſt, is magis dolet, quam, ſi uterque laborat. Non raro tamen, ſi unus a cauſa etiam ſubita male adfectus eſt, & alter inflammatione corripitur. Citius ſaneſcunt oculi adultorum, & quibus bonus corporis habitus eſt, quam infantum, ſenum, & alio morbo conflictantium.

a HIPPOCR. Coac. Prænot. §. 130. T. I. Edit. Lind. p. 541. Conf. DURETUM in Coacas L. II. p. 129.
b HIPPOCRATES Sect. VI. Aphor. XV. περὶ κρίσιων ſub finem Ed. c. p. 447. in Coacis p. 542. Conf. DURETUM p. 130.
c In Coacis Edit. Lind. p. 542. DURETUS c. l. p. 130.

§. 288.

Inter ea vero, quæ certo lippitudinis generi propria ſunt, de phlegmone (281.) & chemoſi (276.) compertum eſt, ex iis ſæpe luminis cæcitatem oriri. Phlegmone quandoque orto hypopio finitur, &, niſi maturius auxilium cum quadam temeritate rapiatur, oculus ſuppurat atque rumpitur, (vide de hypopio.) Ξηροφθαλμία (278.) fere ſine periculo eſt, Σκληροφθαλμία (279.) in gangrænam, ſuffuſionem & amauroſin tendit, ac nonnumquam perpetuam caliginem adfert.

§. 289.

In humida ophthalmia (277.) calida, tenuis, ſalſa lacryma rodit corneam, quare magnum periculum ulcerum eſt; ubi vero pituita lacrymæ miſceri cœpit, nec longæ valetudinis, nec exulcerationis magnus metus eſt, certa autem fere fiducia, ſi craſſa pituita molliſque eſſe incipit, eaque media, palpebræ inter ſe coaleſcunt, nec non, ſi palpebræ, & his juncta cu-

tis, multum intumeſcunt, exterius cruſta oculo ſuper increſcente. (277.) Non ſine ſummo periculo eſt ophthalmia venerea & ſcorbutica, (283.) præcipue, ſi in orbita os aliquod vitiatum eſt. Chronica lippitudo, (282, 285.) ſi invaluit, difficulter eradicatur.

§. 290.

Diverſam curationem deſiderant hæ valetudines, prout ex variis occaſionibus ortæ ſunt. Quædam autem in omni lippitudine fere neceſſaria & communia ſunt. Quicumque enim ophthalmia laborat, eum oportet in obſcuro eſſe, ut ab omni luce omnique oculorum uſu abſtineat. Alienum eſt, oculos lippientes deligari, tanto magis, ſi pituitæ, vel tenuioris & acrioris, vel craſſioris, curſus oculum infeſtat. Periculum enim eſt, ne palpebræ inter ſe cicatrice glutinentur, vel oculo inhæreſcant. Acrior etiam humor, ſi non effluere poteſt, corneam magis rodit & exulcerat. Ubi vero, poſt adhibitam variam chirurgiam, magis e re videtur, oculum devinciri, etiam hoc ſano oculo fieri neceſſarium eſt, quia is qui laborat, hujus motu ſenſuque concitatur. Aëris ventorumque afflatus, qui omnibus inflammatis officit, etiam oculos quos inflammatio occupat, concitare ſolet. In omni, tum acuta, tum chronica lippitudine vitanda omni modo cauſa, quæ lacrymas excitat; & acria medicamenta non alio magis nomine his nocent, quam, quod lacrymas movent. Infantum igitur frequens ploratus ſæpe impedit, quo minus oculi ſic affecti ſaneſcant, in quibus omnium harum valetudinum difficillima curatio eſt. Nec enim ſatis eſt, ſolam oculorum valetudinem intueri, ſed etiam totius corporis habitum, & ad eum, tum omnem curationem, tum victum etiam, a quo magnum præſidium petendum eſt, dirigere. In acuta & humida ophthalmia, & quæ cum eryſipelate palpebrarum eſt, ſi febris acceſſit, non parum proficiet medicus, ſi febre ad remedium uti noverit, quo crudi, tenues, acres rodenteſque humores digeruntur, cocti fiunt, craſſi atque molles. Alvus, ſi adſtricta eſt, ſemper valetudinem auget, numquam autem valentioribus (287.) illa, ſed leviſſimis (63.) ducenda, vel potius lenienda eſt.

§. 291.

Si vero ad ſingulas ſpecies veniendum eſt, Taraxis (276.) ſæpe ſponte & celerius deſinit, modo æger a luce & omnibus quæ oculum concitare poſſunt, abſtineat. Si vitium a cauſa intus orta enatum eſt, confert, quod ex frequentiſſimis collyriis eſt. Hoc habet parum vitrioli calcinati & tutiæ præparatæ, quæ per ſe teruntur, iterumque miſcentur, adjecta pòſt aqua fœniculi, vel roſarum. Si malum tempeſtatum vitio, & repreſſo ſudore, vel ex catarrho ortum fuit, ei recte ſuccurritur, ſi æger horis matutinis inſudat. Cavendum tamen, ne hoc, datis calidis medicamentis, & in cruditate, tentetur.

§. 292.

Extrinſecus ſi oculum ictus valentior læſit, mox ſanguis ex brachio mittendus & avertendus eſt humorum ad oculum coitus. Ad quod etiam idoneum eſt, imponere medicamenta modice reprimentia. Oportet ovi album & aquam roſarum vel fœniculi in vas defundere & adjicere parum tutię pręparatę atque ſacchari Saturni, idque mediante rudicula, vel ſpathula, peragitare atque miſcere. Ubi facta unitas eſt, demitti in id debet panniculus, qui hunc humorem excipiat, iſque ſuper oculum poni. Panniculus, cum inaruit, iterum madefaciendus eſt. Hæc res refrigerando inflammationem coërcet, & aliena eſt, ſi illa jam oculum prorſus tenet, quia eam in phlegmonem mutare poteſt. (286.) In hoc caſu magis opportunum eſt, ſi herbæ abſinthii, hyſſopi, rutæ, majoranæ, ex vino auſtero rubro coquuntur, & ſpongia vel penicillo, quod ex tali decocto exprimitur, oculus fovetur. Nec aliena eſt aqua vulneraria, quam minimum ſpiritus habere oportet, cum aqua fœniculi mixta, nec non, ſi calidæ aquæ octava, vel decima circiter, pars ſpiritus ardentis admiſcetur & oculo imponitur. Omnia ſpirituoſa valde aliena ſunt, oculumque durum ac ſcirrhoſum reddunt. Ubi autem oculus induruiſſe videtur, adjicienda ſunt pauca emollientia. Vitandum vero, ne his fomentis intus pus moveatur. Noctu ſuperdari poteſt pomum coctum, vel putre, calidum, cui minimum camphoræ cum ſaccharo contritæ adjicitur.

§. 293.

Si paucus ſanguis in tunica adnata ſuffuſus eſt, nihil commodius eſt, quam locum vel lacte muliebri, vel ſanguine calido columbæ, inungere, qui ex evulſa vivo animali penna commode exprimitur.

CELSUS Lib. VI. C. VI. §. 39. PAULUS Lib. III. C. XXII. p. 33.

§. 294.

Si fumus, vel aliud acre, oculos læſit, utendum etiam calido lacte eſt, quo oculus, adhibito caliculo, ſeu vaſculo ad id idoneo, (*le Baſſin oculaire*) *a* elui poteſt. Lacti parum croci commode admiſcetur, vel plumula in cremorem ſeminis cydoniorum (228.) demittitur, qui hac mediante ſuper oculos inducitur. His medicamentis optime leniuntur intus in oculo latentia acria. Alii pauciora camphoræ grana cum amygdalis contrita aqua excipiunt & in oculum demittunt. Vapore emollientium herbarum oculus fovendus, noctu vero ſuperdandum pomum coctum.

a GARENGEOT *des Inſtr. Tit. XIV. Art. IV. p.* 432.

§. 295.

Plus negotii eſt, ſi lippitudo humida oculum tenet, (277.) quæ tamen etiam magnum diſcrimen recipit. Si enim vitium recens, ejuſque major impetus eſt cum febre, & lacrymæ eunt ſalſæ calidæque, cum his vero palpebræ intumeſcunt; illud quod (287, 290.) propoſui, tenendum, & febre ad remedium utendum eſt. Vix enim alio remedio opus eſt, quam quiete & abſtinentia. Tenuata enim febricula, &, dum inflammatio, orto in palpebris tumore, externas partes occupat, & ipſa cutis, natis in ea puſtulis, exaſperatur; pituitam mollem fieri deprehendimus, cujus, quo copioſior curſus eſt, & quo magis ea craſſa, palpebræ glutinantur, eo plus detrahitur inflammationi. (289.) Si in hoc caſu aliquid, præter abſtinentiam & alia, quæ intus adverſus febris impetum dari ſolent, tentandum eſt, foveri ab initio poteſt oculus vapore herbarum mollientium, quo ad externas partes evocetur inflammatio. Noſcet vero quam maxime nimius humor. Nec palpebræ, ſi

coaluerunt, diducendæ, nec quidquam in oculum demittendum eſt.

§. 296.

Majus periculum eſſe ſolet in ea lippitudine humida, quæ non, ut prior, vetuſtate matura fit, & quam nulla febricula adjuvat. Humor enim, qui non ita copioſus, ſed acrior effertur, cujus vero curſus diutius perſeverat, rodit corneam. In hac igitur mala ulcera fiunt, ex quibus oculi per totam vitam caligant. Si huic vitio medendum eſt, neceſſe eſt, ut, quanta fieri poteſt diligentia, avertatur mali humoris aditus ad oculum. Corporibus itaque valentioribus, & quibus ſanguis abundat, plenæque venæ tument, vena protinus in talo incidenda eſt. Vel, ſi vires & alia quædam id non patiuntur, copia tamen ſanguinis ægrum male habet, tergo aliiſque ſedibus cucurbitulæ, conciſa prius ſcalpello cute, imponendæ ſunt. Vel cucurbitulæ integræ cuti aptandæ imprimendæque ſunt, ut diu inhæreant. Utile etiam eſt, ſi pedes crebrius in calidam demittuntur, iiſque frictio adhibetur, & ſi alvus ducitur lenioribus, ſatis tamen valentibus, medicamentis. Ubi vero aliquod in corpore vitium eſt, ubi ſcabies repreſſa fuit, porrigo prohibita, aut, ubi ulcus cacoetheum & chronicnm curatum fuit, danda ſunt medicamenta, quibus intus humida purgantur, & quæ faciunt, ut cutis vitia revertantur. Ob id etiam expedit, cutem quæ adfecta olim fuit, panno aſperiore fricare. Vitandum vero, ne his nimium citentur humores, quæ res etiam humorem in oculo calidum nocentemque reddit.

§. 297.

Maximum vero adverſus hanc lippitudinem auxilium eſt in cantharidibus, ſi illæ emplaſtro excipiuntur & cuti imponuntur. Parum vero proficiunt, ſi minora emplaſtra nuchæ injiciuntur, puſtulæ vero inciſæ mox effuſo humore ſiccantur. Longe magis opportuna emplaſtro ſedes eſt inter ſcapulas, cui loco illud, & quidem majus ac valentius, imponitur. Paulo enim aſperiori dolore, quo cutis ſic vellitur, malæ materiæ curſus ab oculo avertitur. Ulcera etiam, quæ ſic aduſta cuticula fiunt, haud protinus ſiccare, ſed impoſitis pinguibus

mollientibuſque diu, & quandoque per menſem, tolerare, puſque, quantum poteſt, movere oportet. Si etiam hæc ulcera nihilominus arida fiunt, expeditiſſimum eſt, linimento paucos cantharides adjicere & illud loco inducere. Si his malum levatum, non vero oculo ex toto ſanitas reſtituta eſt, expedit quandoque, iterum ad hoc auxilium venire, priori etiam ulcere nondum percurato, cantharides ſuræ injicere, & in hac quoque pus commovere.

§. 298.

Solet tamen nonnumquam evenire, ut nec his auxiliis lippitudo cedat, ſed ut pituitæ rodentis curſus nihilominus maneat, quæ res paulo acriorem curationem requirit. Veniendum enim eſt ad illam palpebrarum ξύσιν; quod chirurgiæ genus HIPPOCRATES *a* propoſuit; noſtris vero temporibus, per plura ſecula intermiſſum, Jo: Thomas de VVOOLHOUSEN revocavit *b*. Raduntur cruentanturque palpebræ faſciculo glumarum, quæ ex ſpica ſecalis evelluntur. Dorſum enim glumæ ſpinam habet exterius copioſiſſimis & minutiſſimis ſpiculis aſperatam. Harum glumarum faſciculus filo conſtringitur, & eo raditur interior palpebrarum in exteriora verſarum tunica. Sanguis, qui ſic ex ſauciatis vaſculis elicitur, & qui plerumque mox aëre cogitur, tepida aqua eluendus; & pòſt oculus diligentius vapore aquæ calidæ, ex qua ſpongia exprimitur, fovendus eſt. Si noctu oculum obligare velit chirurgus, neceſſe eſt, ut aliquid demittatur inter palpebras, ne illæ cum oculo glutinentur. Ad id fere idonea ſunt hormini ſemina, quippe quæ læviora inter diductas palpebras inſeruntur, ſupraque impoſito cocto, vel putrido pomo oculus devincitur. Hæc palpebrarum ξύσις ſæpe, & tamdiu, interpoſitis tamen ſemper aliquot diebus, repetenda eſt, donec ſe remittat inflammatio & pituita craſſa, atque mollis eſſe incipiat. Hoc proxime futurum eſſe ſignificat ſanguis ex raſis palpebris fluens, ſi is non tam repente in tenax coagulum vertitur.

a In Libello de Viſu, edit. Lind. T. II. p. 353.

b Vide BURCARDI DAV. MAUCHARTII ὀφθαλμόξυσιν nov-antiquam, ſeu Woolhuſiano-Hippocraticam, Tubingæ, CIↃ IↃ CCXXVI.

& meam Diſſ. de Scarifatione oculorum, Lipſiæ, CIↃ IↃ CCXXVIII. nec non Programma, quo Anno CIↃ IↃ CCXXXV. ſectionem publicam cadaveris indixi, & in quo hanc chirurgiam ab aliorum contemptu vindicavi, & quale ei pretium ſtatuendum ſit, expertus oſtendi.

§. 299.

Interdum, diſcuſſa inflammatione, in albo oculi relinquuntur venæ ſanguine turgidæ & quaſi varicoſæ, quæ, quia ad corneam etiam perveniunt, ei officiunt; immo, ſi in hac mala ulcera ſunt, hæc quaſi alunt & majora reddunt. Hoc potiſſimum accidit, ſi oculo ſuper data fuere refrigerantia atque reprimentia. (286, 292.) Commodiſſimum eſt, his venulis acum, vel hamulum acutum paulum mucrone intus recurvato ſubjicere, illaſque adductas minori ſcalpello præcidere, ſanguinem vero pati fluere, donec conquieſcit, interea vero oculo adhibere ſpongiam ex aqua calida expreſſam. Hoc chirurgiæ genus nonnulli φλεβοτομίαν oculi appellant.

§. 300.

Quod ſi hæc perodioſa lippitudo his tandem expugnata fuit & omnis pituitæ curſus conſtitit, reliquias diſcutiunt collyria quæ ſupra (291.) propoſui, ſeu aliud quod fit ex lapide, ſic dicto, divino, cujus pauciora grana aqua roſarum excipiuntur. Opportunum etiam eſt malicorium & herba abſinthii, ſi ex vino auſtero coquuntur & ex horum decocto calido expreſſa ſpongia oculo ſubinde admovetur. De ulcerum curatione infra dicendum.

§. 301.

Ξυροφθαλμία laborantibus oculis ſuccurritur etiam vapore ex herba meliloti, malvæ, floribus verbaſci, chamomillæ, ſemine lini, additis abſinthio ac ruta, qui vapores non alia ratione, ac mox (300.) retuli, admoventur. Intus dari debent lenia, & quæ humida diluunt; ptiſana, cui cornu cervi raſpatum adjici poteſt, juſcula, lac, amygdalæ ac papaveris ſemen cum aqua contuſum, aquæ minerales Selteranæ, vel ſolæ, vel cum lacte.

§. 302.

Adverſus σκληροφθαλμίαν (279 , 288.) vix idonea auxilia inveniuntur , quam & cantharides & ξύσις (298.) valde exaſperant . Hæc timeri poteſt , ſi cum febre ardente eſt , vel cum glandulæ lacrymalis ſcirrho. Si enim (297.) primum incidit , metus eſt gangrænæ ; ſi poſterius , carcinomatis . Ex utroque vero vitio lumen amittitur & oculus emoritur , immo quandoque hic morbus mortem maturat . Si febris eſt & major inflammatio , ei intus datis congruis ſuccurrendum eſt , &, ſi malum vehementius urget, multus ſanguis ex arteria in temporibus inciſa mitti poteſt, ſupra oculum vero imponenda mollientia ac reſolventia.

§. 303.

Ubi autem glandula lacrymalis induruit , & fere ſcirrhoſa eſt , propterque id , quod nullus humor ad oculum fertur , is dolet atque caligat , ei ſuccurrendum eſt lenioribus mollientibuſque remediis. His opportunum videtur, quod veteribus crebrius in uſu fuit , œſypum , ſeu ſordes , lanis pecudum adhærentes *a* . Confert etiam radix liliorum alborum & herba acetoſellæ cum butyro , ſine ſale , frixa & impoſita . Intus ea danda ſunt , quæ mox in ξυροφθαλμία commendavi . (301.) Si morbus inveteravit & glandula prorſus induruit, ſupervacua curatio eſt.

a Vid. DIOSCORIDEM Lib. II. Cap. 84. PLIN. Lib. XXIX. C. II. p. 409.

§. 304.

Ψωροφθαλμία (280.) vix aliam curationem deſiderat, quam ξηροφθαλμία . (301.) Adhibenda intus ſunt , quæ leniunt , & humores diluunt , & extrinſecus in oculum demittenda , quæ ſupra (301.) præcepi.

§. 305.

Si φλεγμονὴ oculum tenet , & ſymptomata urgent , mature rapienda cum aliqua temeritate ſunt auxilia . Expedit , protinus ſanguinem ex jugulari vena , & iterum ex talo , mittere , alvum ducere medicamentis idoneis , (63.) ſatis tamen valentibus, lotionibus etiam in alvum immiſſis ; cucurbitulas occipitio atque tergo , conciſa etiam cute , admovere , pedes crebrius

in calidam demittere & fricare, palpebras vero iterum atque iterum & multum ſcarifare, iiſque vero imponere medicamenta diſcutientia, quæ adverſus inflammationem ſunt, & quæ diverſis hujus temporibus accommodari debent. Si corpus plenum laxumque eſt, cantharides etiam utiliter adhibentur. Sedulo oculi contra aëra omnemque lucem cuſtodiendi ſunt. Sæpe tamen his omnibus averti nequit, quo minus oculus, orta ſuppuratione, rumpatur.

§. 306.

Curationem, etiam difficillimam, requirit ophthalmia, ſi illa chronica facta fuit, (283.) maxime ea, quæ poſt variolas manet. (285.) Si aliquod vitium per totum corpus diffuſum eſt, huic ante omnia congruis remediis ſuccurrendum eſt. In omni fere malo proficiunt decocta ſarſaparillæ, chinæ, parreirę bravæ, ſeminis fœniculi. Alvus quoque ducenda eſt paulo valentioribus, ad quod idoneæ ſunt pilulæ de ſuccino Cratonis, vel ſi extracto panchymagogo Crollii mercurius dulcis & reſina jalappę adjiciuntur. In victu adhibendi lenes & glutinoſi cibi, omnia vero acria atque acida, nec non & valentiora, removenda ſunt. In hac valetudine inurenda ſunt humeris, vel nuchæ, ulcera, quæ fonticulos appellamus. Nullum vero auxilium efficacius eſt, quam, ſi per cutim in nucha inciſam lina xylina plura ita torta trajiciuntur, ut in iis unitas ſit. Hæc lina in ulcere relicta bis in die ſic ducuntur, ut ulcus ſubeat pars, quæ ſuperior fuit. Linum enim ſic adductum mordet & exaſperat ulcus magnamque ſuppurationem movet. Setum, vel ſetaceum, vocant chirurgi, de quo, & fonticulo, vide infra. Si his tandem evictum fuit malum, ſub finem utendum eſt collyrio, quod habet pauciora grana lapidis divini & croci metallorum. Ocularius medicus inter Gallos, S. YVES, alio uſus eſt, quod ipſe compoſuit, & aquam ophthalmicam rubram (*Eau rouge*) nominavit, quod ad diſſipandas reliquias opportunum eſſe exiſtimo.

§. 307.

Si glandulæ Meibomii exulceratæ ſunt, & propter id palpebrarum cartilagines rubent, cum levi prurigine graves ſunt, & noctu pituita inhæreſcunt; id quod ſæpe poſt variolarum

morbum fieri deprehenditur, ſupervacua omnis curatio eſt, niſi ulcuſcula ſatis fuerint purgata. Id autem fieri poteſt, ſi his temperata manu admovetur lapis infernalis, vel aliud medicamentum adurens. Ne hæc res oculum offendat, is prius alia re inungendus eſt. Non inutile eſt unguentum Woolhuſii. Hoc componitur ex flore aëris cloto & leviſſimo, quod butyro ſine ſale, vel teneriori axungia, excipitur & cum hac conteritur. Nam & hoc ad curanda ulcera idoneum eſt.

§. 308.

Nec ophthalmiæ, quæ ex ſcorbuto, vel venereo morbo enaſcitur, mederi licet, niſi expugnato vitio, quod in humidis & per totum corpus diffuſum eſt. Animadverſione crebra innotuit, nec ejuſmodi ophthalmiæ auxilium eſſe in ptyaliſmo, qui argento vivo concitatur; ſed, eo concitato, ſæpius accidere, ut oculus inflammatus rumpatur, vel ut acrior humor corneam exedat, & in ea cicatrices, aciem corrumpentes, relinquat. Aliena & hic ξύστις (298.) eſt. Si malum ex coërcita gonorrhœa ortum fuit, illudque recens eſt, omnia adhibenda ſunt, quæ noxiam materiam in inferiora depellere & virulenti humoris profluvium ex genitalibus revocare poſſunt. (124.) Inter hæc etiam ſunt alvi ductiones, frictiones, balnea & fomenta calida & mollientia genitalibus admota. Super oculum dari poteſt linteolum ex aqua vulneraria cum aqua fœniculi & plantaginis remixta expreſſum. Adjuvat etiam collyrium, quod tutiam habet, & quod malam materiam in oculos decurrentem aliquantum tenet. Si humor valde acris eſt & oculum mordet, is cremore ſeminis cydoniorum ſuperinungendus eſt, vel lacte calido eluendus. Nec alia curatio eſt, ſi ophthalmia a ſcorbuto cœpit.

VITIA OCULORUM

EX

INFLAMMATIONE ORTA.

ULCERA CORNEÆ.

§. 309.

Oculos infeſtant alia genera morborum, quæ fere ex inflammationibus nata, his quoque finitis manent, & diverſam curationem deſiderant. Ex humida ophthalmia, (277.) ſi ſalſa calidaque lacryma, vel acrior rodenſque pituita effluit, in cornea ulcuſcula fiunt, quæ etiam ſerpunt & aciem corrumpunt. Solent autem illa frequenter oriri, ſi humentibus oculis ſuper data fuerunt reprimentia, frigida, ſpirituoſa, & adhibita collyria aquoſa, frigida, vel acria. Utrolibet enim modo ſi oculi curantur, vel, ſi illi devinciuntur comprimunturque, ſi non velantur, ſed frigido aëri & largæ luci committuntur, vel ſi etiam purgationibus nimis valentibus alvus ducitur, mala materia acrior fit, quæ corneam adurit atque exeſt. Ulcera in cornea oriri, intelligitur, ſi in ea aliquid de nigro albidum factum eſt.

§. 310.

Corneæ ulcuſcula etiam ſæpe ex puſtulis fiunt, quæ iis fere ſimiles ſunt, quæ igne inferuntur. (228.) Hæ, quas φλυκταίνας vocant, levata epidermide (275 *a*) corneæ, & frequentius hujus extremo, ubi adnata finitur, inſident. Puſtulæ cum apertæ ſunt, reperitur intus exulceratio colore humori ſuo ſimilis *a*. Ubi primum hoc vitium notatum eſt, oportet protinus & inter initia puſtulam acu, vel inſtrumento, (228. *fig. VI.*) aperire, & humorem, qui ſubeſt, emittere, ulcuſcula vero recentia lenibus medicamentis nutrire. Commodiſſimum eſt unguentum, quod paratur ex tutia, quæ crebrius

candefacta in vinum demittitur & extinguitur, pòſt autem teritur, donec tenereſcat, & axungia quapiam excipitur. Adiici poteſt aliquid gummi Arabici.

a Vid. AETIUS L. VII. Cap. 31. p. 121. edit. Aldi.

§. 311.

Ulcerum autem plura genera ſunt, quibus etiam a veteribus varia nomina impoſita fuerunt *b*. Singularem animadverſionem meretur illud, quod ἄργεμον dixerunt. Hoc plerumque ex puſtula fit, (310.) quæ in aliqua parte extremæ corneæ, ubi cum adnata committitur, naſcitur. Ulcuſculum vero in circulo, ubi intus uvea, ſeu rhagoides, ſcleroticæ inhæreſcit, ſerpit *c*. Hoc ulcus, ſi profundius deſcendit & corneam exeſt, lædit fibras motum pupillæ præſtantes, ex quibus, in humore aqueo fluctuantibus, perpetuus tremor oritur.

b Ulcus minime profundum & a mala pituita, epidermidem qua cornea contegitur, rodente ortum, dicitur veteribus ἀχλὺς, ſeu caligo. Vid. AETIUS L. VII. Cap. 27. p. 127. edit. Aldi. in Collect. H. STEPHANI p. 308. conf. GALENO adſcriptum librum, cui *Medicus* titulus eſt, Cap. XVI. qui vero hunc affectum ad cicatrices referre videtur. HIPPOCRATI in Coacis, edit. Lind. T. I. p. 578. τὰ ἀχλυώδεα etiam dicuntur caligines ex intus natis imbecillitatibus ortæ. conf. DURETUM p. 482. Ab hoc ulcere non multum differt τὸ νεφέλιον. Vid. GALENI Definit. T. II. p. 269. edit. Charter. & in *Medico* c. l. nec non AETIUM c. l. Βοθρίον eſt ulcus cavum, purum & rotundum. Κοίλωμα eſt latum, minus profundum. Ἔγκαυμα, vel ἐπίκαυμα, [hæc duo diſtinguit etiam AETIUS] ulcus dictum fuit impurum, ſordidum, & quaſi aduſtum. Vide GALENUM, AETIUM, PAULUM cc. ll.

c Sic deſcribitur a GALENO in Medico c. l. & ab AETIO c. l. Cap. XXVIII. edit. Ald. p. 127. ap. H. STEPHANUM Cap. 26. p. 308. Aliam definitionem habent Auctor Definit. c. l. p. 265. & EROTIANUS in Dict. T. II. Charter. p. 113.

§. 312.

Horum ulcerum curatio ſupervacua eſt, niſi prius inflammatio levata, atque ſalſæ calidæque lacrymæ & acrioris pituitæ curſus cohibitus fuerit. Nullam itaque novam curationem deſiderant, ſed facienda omnia ſunt, ut mala materia, quæ in oculos inclinata eſt, adhibitis communibus præſidiis, avertatur, utque ipſe humor, ſi copioſior, vel acrior, ex oculo defluit, utraque parte fiat moderatior. Ad id vero valent ſanguinis miſſiones, cucurbitulæ, & ſi pedes crebrius in calida continentur, fricationes, (296.) cantharides, (297.) ſimul da-

tis medicamentis, quæ ſanguinem purgant. (296, 306.) Adverſus hæc ulcera vero non præſentius ullum auxilium eſſe opinor, quam palpebrarum ξύσιν, (298.) quæ, niſi totus corporis habitus vitiatus ſit, (283, 308.) oculo adhibenda iterandaque eſt. Hac enim acris humor ab oculi membranis avertitur & in palpebras evocatur. Nec minus neceſſaria eſt phlebotomia oculi, ſi turgida vaſa ex adnata ad ulcera pertinent. (299.)

§. 313.

Ubi vero his diſſipata eſt inflammatio & oculi ſicceſcere incipiunt, fere ſponte ad ſanitatem perveniunt ulcera. Multum tamen illa adjuvantur, ſi unguentum Woolhouſii (307.) in oculum conjicitur *a*.

a Præſtare certe arbitror, ſi collyria, ſeu medicamenta oculis idonea, unguento, non vero aqua, excipiuntur. Nemo enim ignorat, humida ac frigida omnibus inflammatis peſtifera eſſe, tanto magis, ſi ulcera etiam, quæ curari debent, humida ac purulenta ſunt. Ex his intelligitur, quantum noceant illæ aquoſorum collyriorum compoſitiones, quæ ophthalmia laborantibus oculis, nullo obſervato diſcrimine, admoventur. Ubi vero unguentum quodpiam in oculum conjiciendum eſt, id commode fit, ſi eo veſica repletur, illaque lino conſtringitur, pòſt vero ejus inferior pars acu pertunditur. Dum enim veſica medicamento plena oculo admovetur, digitiſque premitur, illud per foramen exprimitur & in oculum conjicitur.

§. 314.

Ad ulcera vero ſordida purganda valent aliæ compoſitiones. Unguentum nobile eſt, quod rubrum vocant, & quod habet ceram albam tenuemque cum butyro ſine ſale liquatam, addito pauco mercurio præcipitato rubro. Vel ulceribus, mediante penicillo, quali pictores utuntur, illini poteſt ſic dictus lapis divinus aqua ſolutus, vel aqua viridis Hartmanni. Neceſſe eſt, ut hoc temperata manu, nec crebrius, fiat, ne nova inflammatio novaque lacryma his acrioribus concitetur.

§. 315.

Eſt ulceris quoddam genus, quod Græci αἰγίδα, vel αἰγιάδα, appellant. Oritur, ſi craſſa multaque pituita cum collyriis in oculum inditis concrevit & corneæ exulceratæ inhæreſcit. Hoc

ulcus ſaneſcere nequit, niſi prius emollitis ac quovis ferramento, vel ſcalpelli manubrio, extritis ſordibus.

a Ἀιγὶς inter corneæ ſordes ab HIPPOCRATE refertur Prædict. L. II. §. 28. T. I. Lind. p. 508. & in Coacis c. I. p. 541. Aliæ HIPPOCRATIS editiones habent c. l. ἀιγίδες, LINDENIUS ſcribit αἰγιάδες. Ἀιγιάδες membranas, vel ſubalbidas cicatrices, in oculis denotant. Vid. Etymologicum Magnum p. 28. & H. STEPHANI Theſ. Gr. L. conf. Diſſ. meam de fiſtula lacrymali. Nam inde ἀιγίλωψ nomen habet, quia oculus purulento humore, qui ex punctis lacrymalibus exit, fœdatur.

§. 316.

Tunicam corneam quandoque non ulcera ſolum infeſtant, ſed illam etiam mali humores emolliunt & turgidam efficiunt, quæ res etiam aciem minuit. In tali caſu unguento de tutia adjici poteſt viperarum axungia. Utiles ſunt ſuffitiones ex olibano, maſtiche & benzoë, quæ tamen oculo, non, niſi eminus poſito, excipiendæ ſunt.

CICATRICES CORNEÆ.

§. 317.

Ex ulceribus neceſſe eſt cicatrices fieri, quæ, ſi in cornea, membrana perlucente, ſunt, aciem hebetiorem reddunt, &, ſi craſſiores fiunt, omnem corrumpunt. Quare opera danda eſt, ut, quæ tolli nequeunt, extenuentur. Compertum vero eſt, minus altas leveſque cicatrices, ſi infantibus obtigerunt, pedetentim, adoleſcente ætate, ſponte extenuari, id quod in adultis, nec operoſa arte, obtineri poteſt. Hæc curatio longa eſſe ſolet & anceps, nec adhiberi poteſt, niſi prius omnis inflammatio conquieverit.

§. 318.

Si cicatrix recens eſt & minime craſſa, illam digerit tollitque medicamentum, quod paratur ex melle. Hoc neceſſe eſt, ut excipiat plurimas formicas, cum quibus, vel ſolis, vel clibani calore coquitur.

§. 319.

Παράλαμψις *a*, vel λεύκωμα *b*, eſt cicatrix craſſa & ſplendens, quæ ex variolis, vel ulceribus cavis, relinquitur. Numquam talis tolli poteſt, aliquando, præcipue in pueris, extenuari. Hoc potiſſimum fieri poteſt, ſi præter craſſitudinem illa intus cava eſt; id quod fit, ubi minores tunicæ ex quibus cornea compoſita eſt, inter ſe receſſerunt. Ubi illud deprehenditur, in locum qui ſubtus cavus eſt, infigitur vel recta, vel incurva minorque acus, vel aliud, quod magis opportunum & huic chirurgiæ accommodatum eſt, inſtrumentum. Fig. IX. Lamella ſic perforata levatur, & quantum ejus fieri poteſt, ab inferioribus diducitur. In oculum vero utiliter demittitur & ſuper cicatricem inducitur mel cum formicis. (318.) Subinde etiam, mediante penicillo, illini poteſt lapis divinus aqua ſolutus, vel aqua Hartmanni, & pòſt mel ſuper dari. Omnia hæc ea moderatione fieri oportet, ne nova concitetur inflammatio. Nec hæc, ſi non ſtatim profuerunt, ſtatim removenda ſunt. Si enim paulum ſaltem juvant, ſpes eſt, profectum tempore expletum iri.

a GALENUS in Lingu. HIPPOCR. Explicat. T. II. p. 99.
b Idem in Def. c. l. p. 269. in Medico p. 592. AETIUS c. l. p. 130. in Coll. STEPHANI p. 315.

UNGUIS.

§. 320.

Ὄνυξ, ſ. Unguis, morbus eſt, cui figura nomen dediſſe videtur. Si enim inter minores, ex quibus cornea compoſita eſt, tunicas pus coiit, illud unguem, vel unguium præſegmina repræſentat *a*. Oritur id plerumque a ſubita cauſa, &, ſi gravior ictus oculum læſit. Eſſe ſolet cum vehementi inflammatione, quæ etiam omnia auxilia requirit, quæ adverſus hanc potiſſimum poſſunt. (305.) Inter hæc utile eſt, ſi etiam arteria in temporibus inciditur, & ſanguis detrahitur. Ad ipſam vero chirurgiam properandum eſt, & pus quamprimum ex ſede qua hæret, evocandum. Illud itaque inſtrumentum, quod

mox in extenuanda cicatrice propoſui, vel acus qua ſuffuſio curatur, demittenda eſt recta per partem elatiorem & quæ intus cava deprehenditur. Ubi ad pus ventum eſt, paulum inflecti debet acus, & pus evocari. Hoc vero ut commode exire poſſit, cubitus pronus neceſſarius eſt. Metus enim eſt, ne ulcus altius & ad interiora ſerpat. Neceſſaria ſunt etiam fomenta, quæ adverſus inflammationem ſunt. Cetera in curatione ſimilia his eſſe debent, quæ in aliis inflammationum, (295. ad 300.) ulcerum, (312. ad 315.) ac cicatricum (318, 319.) generibus præcepi.

a Maxima ambiguitas in his vocabulis eſt, quæ apud varios auctores diverſos intellectus habent. Nec veteres, a quibus omnis auctoritas peti ſolet, inter ſe conſentiunt. CELSUS Lib. VII. Cap. VII. n. 4. Græcorum πτερύγιον, quod membranulam nervoſam, corneæ ſupercreſcentem ſignificat, & cujus chirurgiam deſcribit, *unguem* appellat, quem ſecutus eſt AEGINETAE interpres. Niſi forte legendum ſit *ungula*, id quod VVOOLHOUSIUM ſuſpicatum eſſe invenio. Τῷ enim πτερυγίῳ fere idem color eſt, ac ungulis animalium. PAULUS L. III. Cap. XXII. Edit. Gr. p. 34. in Coll. STEPHANI p. 436. ὑπόπυον ita deſcribit, ut utrumque vitium, & τὸ ὑπόπυον & τὸν ὄνυχα comprehendiſſe videatur. Nec ſatis clara eſt definitio hypopyi in libro, qui GALENO adſcribitur, cujus titulus *Medicus* eſt, Cap. XVI. T. II. p. 592. nec illa, quæ ſub titulo πυώσεως legitur in GALENI Definit. c. l. p. 269. Aſt vero in L. XIV. de methodo medendi Cap. XIX. T. X. p. 343. GALENUS τὸ ὑπόπυον ita deſcribit, ut vix cum ungue, ſeu onyche poſſit confundi. Eo loco enim illud comparat cum ſuffuſione, ſeu cataracta, [μετὰ τὸ ὑποχύσεως,] & docet, fuiſſe ocularium medicum, JUSTUM nomine, qui, ut hypopyo mederetur, caput ſuccuſſit, & pus deorſum præcipitavit. Hoc vero in hypopyo fieri potuit, ubi pus in aqueo humore natans grave, ſi haud adeo multum eſt, in illum locum deſcendere poteſt, qui ſub pupilla eſt, non vero in onyche, ubi pus inter corneæ laminas hæret. GALENUS etiam docet, τὸ ὑπόπυον per chirurgiam, & inciſa cornea, curari poſſe. Nemo autem melius τὸ ὑπόπυον καὶ τὸν ὄνυχα diſtinxiſſe videtur, quam AETIUS, in Edit. Græca L. VII. Cap. 30. p. 127. & in H. STEPHANI Collect. Tetrab. II. Serm. III. C. XXVIII. p. 309. qui utrumque genus ſub nomine πυώσεως comprehendit. Legendus vero textus Græcus eſt, quem addere non dubito, quia Græcus AETII codex præ aliis inventu rarus eſt: Αἱ γινόμεναι ἐν τοῖς ἕλκεσι πυώσεις, διαφόρᾳ προσηγορίας τετυχήκασιν. Ὀνύχια μὲν γὰρ λέγεται ὅταν ἀπὸ βαθυτέρου ἕλκους τὸ πύον ἀπορρύεν, καὶ μεταξὺ τῶν χιτώνων παρεμπεσὸν καὶ σχηματισθὲν τῷ κύκλῳ τῆς ἴριος, ὁμοίαν ἂν ὄνυχος ἀποτομῇ φαντασίαν ἀποτελέσειε. πλείονος δὲ συρέντος πύου. καὶ τὸ ὕμισυ τῆς μέλαινος ἀπολαβόντος. ἢ καὶ ὅτι ὅλη τῇ κερατοειδεῖ διαυγαμένη, ὑπόπυον εἶναι λέγομεν τὸν ὀφθαλμόν. γίγνεται δὲ ταῦτα καὶ χωρὶς ἑλκώσεως κεφαλληγίας προηγησαμένης, ἢ ὀφθαλμίας. συμβαίνει δὲ καὶ φλεγμονῆς προγεγενημένης, διὰ τὸν πλείονα πλήρωσιν τῶν ὑγρῶν. ῥηγνυμένων τινῶν ἀγγείων. καὶ τοῦ ἐξ αὐτῶν προχεομένου αἵματος πυουμένου, Eſt itaque ὄνυξ, ubi pus intra corneæ lamellas hæret. Πτερύγιον membranula eſt ſuper corneam creſcens, quæ, quia quaſi expanſam alam repræſentat,

ita dicta fuit. Ὑπόπυον vero eſt, ſi pus hæret ſub cornea, ubi ſecundum naturam humor aqueus eſt, & plerumque ex ſanguine intus in oculo ex venulis emiſſo, ſi in pus vertitur, oritur. Aliud eſt τὸ ὑπώτιον quod ſignificat ſuffuſionem ſub oculo ortam; &, ſi ſanguis ſub oculis effuſus, lividus fit, eſt ſpecies τῆς ἐκχυμώματος, ad quod hoc etiam retulerunt GALENUS de Compoſ. medicam. ſecund. locos L. V. c. 1. T. XIII. p. 457. & PAULUS Lib. IV. cap. 30. in Cod. Gr. p. 66. in STEPHANI Collect. p. 517. Ejus mentionem fecit HIPPOCRATES de morbis internis T. II. p. 211. Omnes vero Editiones HIPPOCRATIS hoc loco vitiatæ ſunt, ſi eam excipias, quam CHARTERIUS edidit T. VII. p. 647. Hic enim recte ſcribit: τὰ ὑπὸ τὸν ὀφθαλμὸν ὑποώτια ὠχρά. Nam Editio ALDI p. 84. MERCURIALIS in Claſſe III. p. 63. & FOESII Sect. V. p. 98. ſcribunt ὑπόπυα. LINDENIUS vero recte habet τὰ ὑποώτια, aſt omiſit, neſcio cur, verba: ὑπὸ τὸν ὀφθαλμόν. FOESIUS tamen errorem emendaſſe videtur in Oeconomia p. 647.

HYPOPYON.

§. 321.

Hypopyon (320. *a*) ſolet eſſe cum gravi febre, quæ concitata continuat, donec oculus, vel ruptus, vel a chirurgo adapertus, puſque effuſum fuit. Dolor vehemens urget, ex quo etiam vigilia & delirium naſcuntur. Eaſdem cauſas habet, quas oculi phlegmone. (281.) Nam ex hac plerumque hypopyum fieri, ſupra retuli. (288.) Frequens tamen occaſio eſt in chirurgia ſuffuſionis, ſeu cataractæ, ſi minor arteria, vel vena, in choroidea acu diſcinditur laceraturque, ex qua ſanguis exit, qui, ſi ejus major modus eſt, neceſſario in pus vertitur.

§. 322.

Si parum ſanguinis effluxit, iſque tranſparente membrana conſpicitur, non protinus ad ſcalpellum veniendum eſt, ſed expedit ante experiri medicamenta. Is enim plerumque diſcutitur. Ad id vero juvat ſanguinis miſſio, maxime, ſi ejus multum ex vena jugulari detrahitur. Eodem tempore ſuperhabenda ſunt fomenta, quæ ab initio ex reprimentibus, (76, 292.) pòſt ex diſcutientibus, (79, 292.) componi poſſunt. Et in hoc caſu nimius calor & nimium frigus nocere poſſunt.

§. 323.

Si vero his ſanguis diſcuſſus non eſt, &, ſi febris cum dolore increſcit, mature ad efficaciorem curationem deveniendum.

Æger in adverſo ſedili collocandus eſt , loco lucido , lumine averſo , ut contra chirurgus paulo altius ſedeat ; a poſteriore autem parte miniſter caput ejus qui curabitur , contineat & immobile præſtet . Tum admovendum eſt anceps & mucrone longo ac tenuato ſcalpellum , ſeu phlebotomus . Ne vero mucrone , dum cornea inciditur , intus aliquid lædatur , & novum oriatur periculum , mucroni ſubjiciendum emplaſtrum eſt , quo ſcalpellum involvitur , & quod illud altius deſcendere haud ſinit *a* . Demittendum vero ſcalpellum recta eſt loco inferiori , ita , ut nec intus iridis fibræ , quæ ex choroidea ad extremam corneæ oram educuntur , lædantur , & ut etiam liberum maneat corneæ medium , quod e regione pupillæ eſt . Neceſſe poſtea eſt , ut æger ſit prono ac in anteriora flexo capite . Si pus propter craſſitudinem exire commode nequit , plaga , demiſſo per eam ſpecillo , paulum poteſt ampliari . Emiſſo pure , vulneri induci debet unguentum de tutia , cui parum balſami de Mecha adjici poteſt . Plerumque ſatis ad glutinandam plagam eſt ovi album . Ne vero oculus quem devincire oportet , palpebris adhæreſcat , expedit , in fruſtulum tenerioris veſicæ unguentum illinere , & hoc inter palpebras inſerere *b* . Hæc curatio , ſi in tempore ſuſcipitur , & mox omnem dolorem febremque tollit , & oculo aciem reddit . Si ex aliqua cauſa multum ſanguinis in oculum effluxit , nec ſpes eſt , illum diſcuti ac reſorberi poſſe , protinus , & antequam dolor atque inflammatio moventur , ad hanc chirurgiam & ſcalpelli operam confugiendum , & ſanguis evocandus eſt *c* .

a VVOOLHOUSIUS utebatur acu triquetra , cujus mucro inflexus eſt . Vid. figura in Diſſ. mea de fiſtula lacrymali & in celeberrimi HEISTERI Chirurgia T. I. Tab. XVIII. fig. 13. Magis commodum eſt ſcalpellum anceps .

b Neceſſe eſt , ut veſica tenerrima ſit & lævigata , qualis eſſe ſolet ea , quæ inſerviit bractearii , qui aurum in bracteola tenuant .

c Vid. Exemplum in H. A. R. Sc. MDCCIX. p. 16.

PTERYGIUM ET PANNICULUS.

§. 324.

Extrinſecus quædam oculis ſupercreſcunt, quæ, ſi ad corneam veniunt, ei officiunt, aciemque minuunt. Ex horum numero pterygium eſt, membranula tenuis, nervoſa, quæ colore parum a cornea differt, etiam aliquantum perlucida eſt. Incipit plerumque a narium parte & caruncula lacrymali, rarius a parte temporum, creſcendo vero pervenit ad corneam, quam etiam contegit.

§. 325.

Major craſſitudo accedit panniculo, ſeu panno, qui multo craſſior, etiam plura vaſa habet ſanguine rubro conferta. Nomen enim habere videtur, quia fere rubro panniculo ſimilis eſt.

§. 326.

Utrumque vitium ex humoribus enaſcitur, qui ex eroſis oculi membranis exſtillant, & a variis extrinſecus accedentibus cauſis concreſcunt. Frequens enim his occaſio eſt, ſi oculi igne aliiſque acribus afficiuntur, vel, ſi illi lippientes, collyriis frigidis, rodentibus, acribus, pulverulentis curantur.

§. 327.

Hæ membranæ penitius ad oculum hærent, &, ſi inveteraverunt, medicamentis haud diſcutiuntur, ſcalpello difficilius tolluntur. Experienda tamen prius ſunt medicamenta, quæ non alia ſunt, quam, quæ in extenuandis cicatricibus propoſui. (319.) Quod ſi vero hæc vitia his non ceſſerunt, ea ſcalpelli operam poſtulant. Ad hanc vero non temere properandum eſt, cum res in ipſa curatione aliquod tormentum habeat, & raro ad ſanitatem inſtaurandamque oculorum aciem ſatis proficiat. Supervenire etiam ſolet magna inflammatio: quare etiam numquam hæc chirurgia ſatis tuta eſt, niſi ophthalmia omnis prius

fuerit diſcuſſa. Ea etiam vere eſſe debet, aut medio autumno, fractis jam æſtibus, nondum vero ortis frigoribus.

§. 328.

Ubi autem illam curationem experiri ſtatutum eſt, ante, aliquot diebus, chirurgus ſedulo oculum qui curandus eſt, contueri debet, ægrum vero jubere, ut is interea eum huc illuc volvat. Videndum enim eſt, num ſub his motionibus in panniculo vel pterygio qua parte ruga fiat; quæ ſignificat, eo loco id vitium oculo non ita adhærere. Nam ibi in ipſa curatione primum membranulæ apprehendendæ ſunt.

§. 329.

Si vero illud quod ſupercrevit, excidendum eſt, æger ſupinus in lectulo debet collocari & a miniſtris contineri. Acus incurva minor linum ceratum trahens per illam panni & pterygii rugam trajicitur. Poſita acu lini capita apprehenduntur, & per ea membranula erigitur, Oculus immobilis præſtandus eſt inſtrumento, quod ſpeculum oculi vocant, & quod alius miniſter admovere debet. Quia hoc, ſic dictum, ſpeculum impedimento eſſe poteſt, fere melius eſt, ſi miniſter diducit ſuperiorem palpebram, chirurgus vero inferiorem, inter quæ æger monendus, ut ſtabili & irretorto oculo ſit. Levanda pòſt membrana eſt, vel lino, vel mediante hamulo acuto, vel alio compoſito, quem WOOLHOUSIUS ἀραχνοπόδιον, (*Patte d'Araignee*,) vocare conſueverat *a*. Neceſſe vero eſt, ut hoc temperata manu fiat, ne aliquid ex oculo ſecetur. Præſtat enim, aliquid relinquere, quod pòſt medicamentis reſolvi poteſt, quam oculi tunicas lædere, quæ difficilem curationem recipiunt. Cavendum eſt, ne ex angulo caruncula abſcindatur, neve illa, dum vehementius id quod exciditur, ducitur, ſequatur ac decidat. Si enim abſciſſa, vel avulſa eſt, patefit in angulo foramen, per quod poſtea ſemper humor deſcendit, quod vitium ῥυὰς dicitur *b*.

a Vid. HEISTERI Tab. XV. fig. 30.
b Vide CELSUM Lib. VII. Cap. VII. §. 4. TRALLIANUM L. II. C. 7. p. 52.

§. 330.

Exciſo vero panniculo, vel pterygio, ſanguis ſatis multus fluere ſolet, maxime, ſi prior exſectus fuit. Eum vero neutiquam coërcere oportet, ſed interea oculum calida eluere ac fovere. Si vero, id quod plerumque accidit, majoris inflammationis timor eſt, ad illam avertendam omne medentis conſilium dirigi debet, & adhiberi omne auxilium, quod vel maxime adverſus ea poteſt. (292, 305) Nec ξύσις (298.) in majori malo aliena eſt, ſed ad levandam inflammationem valde utilis. Noctu oculus devinciri poteſt, ita tamen, ut aliquid inter eum ſit & palpebras, ne cum his cicatrice concreſcat. Ab initio idonea ſunt grana hormini, (298.) pòſt vero unguentum Woolhouſii. (307.) Quo etiam cornea purior ac pellucidior fiat, conducit collyrium, cui crocus metallorum admiſtus eſt. Nec inutile eſt ſaccharum in ſtanneo vaſe contritum.

ANCYLOBLEPHARUM.

§. 331.

Palpebræ quandoque inter ſe non ſolum pure glutinantur, ſed etiam cicatrice coaleſcunt, ita, ut oculus non poſſit aperiri, quod vitium Græci ἀγκυλοβλέφαρον vocant. Cui etiam illud ſubinde accedit, ut palpebræ cum albo oculi, vel cum cornea cohæreſcant. Oritur, ſi oculi diutius, & ſine intermiſſione, in ophthalmia fuere deligati, vel, ſi ulcera, tum in palpebrarum extremis, tum in illarum interiori tunica, tum in oculo ipſo, negligenter fuere curata.

a) G. BARTISCH in ὀφθαλμοδουλείᾳ P. IX. C. VII. p. 185. adducit hominem, cui hoc ex aduſtione acciderat. Palpebræ per tres annos cohærentes tandem diductæ fuere & alter oculus reſtitutus.

§. 332.

Si palpebræ in ophthalmia humida & eryſipelatode, (277.) nec non in variolis, (285.) ſolo pure inter ſe cohærent, jam ſupra retuli, nocere in iis diducendis nimiam feſtinationem: ſi vero a vulnere, vel ulcere, media cicatrice inter ſe coaleſcunt, oportet eas protinus diducere. Hoc, ſi non nimis valenter ſibi

inhærent, quandoque ſpecillo fieri poteſt, quod inter eas & oculum inſeritur. Experiri etiam oportet filum ſericum unguento de tutia illitum, quod, mediante acu incurva, obtuſa, vel averſa, eadem ratione demittitur. Hoc commode a parte narium fit, cum in majori & interno angulo plerumque relictum foramen ſit, & palpebræ aliquantum inter ſe recedere ſoleant. Educitur illa lino ſequente e parte temporum. Huic filo inferius gleba plumbea innectitur, quæ, ſic appenſa & ſubinde commota, adducit valentius filum, quo tandem palpebræ inter ſe dividuntur *a*.

a) Vide FABRICIUM HILDANUM, obſ. Cent. V. Obſ. VII. p. 502.

§. 333.

Ubi autem hac ratione oculus aperiri non potuit, inſerendum eſt ſpecillum minus ſulcum in longum ductum habens, ſuper quod demittitur ſcalpellum tenuatum parumque falcatum, quo ſic palpebræ ſecantur & dividuntur. Id etiam minori forfice incurva fieri poteſt. Poſt hæc autem medicamentum inducatur idoneum. Optimum eſt unguentum de tutia, cui parum balſami de Mecha adjici poteſt. Ne vero, dum oculus devincitur, palpebræ ſauciatæ cum cornea vel albo oculi cohæreſcant, in oculum demitti debet veſica, (323.) eodem medicamento illita; inter palpebras vero poni poſſunt exigua linamenta, donec illarum exulceratio finita eſt.

§. 334.

Si vero palpebra qua parte cum albo oculi, vel cum cornea cohæret, etiam diduci debet. Fit hoc commode alio minori ſcalpello incurvo, cujus mucro obtuſus eſt & globulo munitus *b*. Hoc, temperata manu, inter oculum & palpebras ita ſubſecatur, ut neque ex palpebra, neque ex oculo, quidquam abſcindatur, atque, ſi neceſſe eſt, aliquid ex albo oculi potius, quam ex palpebra ſuperiori; quippe per quam minores ductus lacrymas ferentes deſcendunt. Si autem palpebra ſuperior cum cornea cohæret, huic ante omnia parcendum eſt. Diducta ſic palpebra, curatio non alia ſequitur, quam,

qualem mox præcepi. Vitandum enim ſemper eſt, ne iterum palpebræ inter ſe glutinentur, neque iterum oculo inhæreſcant.

b Vid. HEISTERI Tab. XV. fig. 25.

VULNERA.

§. 335.

Inter genera, in quibus noxa corpori eſt, ſunt etiam vulnera. Hæc vero ſunt, ubi partes ſolidas, non duras, aliquid ita læſit, ut ex vaſis exeat ſanguis, vel alius ſuccus.

§. 336.

Diſcrimen eſt inter vulnus & ulcus. Vulnus ſemper ad ſanitatem tendit: in ulcere aliquid eſt, quod impedit curationem. In ulcere enim oſcula ſectorum vaſorum ita immutata ſunt, ut ex iis non bonus & ad novæ carnis incrementum idoneus ſuccus efferri poſſit, ſed tenuior, craſſior, vel corrupta ſanies aliuſque humor. Quapropter omne vulnus facile in ulcus degenerat. Et ulcus ſanari nequit, niſi prius ita mutatum fuerit, ut naturam vulneris habeat.

a Vetuſtiſſimis Auctoribus, HOMERO Iliad. L. XI. v. 811. & HIPPOCRATI, τὸ ἕλκος quamvis continui ſolutionem ſignificat, & ſic & vulnus, & ulcus. Recentiores diſtinguunt inter τὸ τρῶμα & τὸ ἕλκος.

§. 337.

Omnes corporis partes, ſi oſſa excipias & cartilagines, vulnera accipiunt.

§. 338.

Hæc inferunt omnia dura, quæ vel in corpus aguntur, vel corpori moto reſiſtunt.

Vulnus tamen etiam imprimere poteſt res non ita dura, v. g. filum tenſum. Etiam vulnera fiunt a graviori nixu, ſi intus in corpore rumpuntur membranæ, vel vaſa, vel etiam, ſi membra ita adducuntur, ut rumpantur vaſa.

§. 339.

Quia ad plurimas corporis partes arteriæ pertinent, sanguinem per eas dividentes, vix non omne vulnus cruentum est.

Esse tamen vulnus sine sanguine potest, v. g. si secta est cornea, si solus nervus, vel tendo, præcisus fuit. Minus cruenta sunt in infantibus.

§. 340.

Si vulnus non recens cruentumque est, sed jam purulentum, habet naturam vel abscessus aperti, vel ulceris.

§. 341.

Et genere & curatione inter se differunt vulnera. Aliud enim est, quod tantum discissum & a telo acuto pungente secanteque fuit illatum; aliud vero, quod etiam collisum & a telo, vel corpore quodam retuso, gravi, vehementius moto, vel multum renitente, fuit impressum. Alia, quæ quidem secando vulnerant, aut simul partes lacerant, v. g. vitrum, ensis retusus, vulnera faciunt, quæ a collisis parum differunt, & eamdem curationem requirunt.

§. 342.

Etiam alia magnaque discrimina recipiunt vulnera. Aliquid enim est in natura partis, quæ vulnerata fuit. Aliud igitur vulnus est in musculo, aliud in glandula, aliud in nervo, aut tendine atque aponeurosi; aliud ubi mucro ad grandes intusque conditas arterias, venas nervosque desedit. Nec parum confert locus: nam aliam animadversionem desiderat vulnus, quod in capite est; aliam, quod in pectore, abdomine, artubus, articulis. Quin etiam modo inter se discrepant: vulnus enim est vel magnum, vel tenue, vel in summa parte, vel altum, & quod penitius & ad interiora penetravit. Aliquando illud, lineæ modo, rectum, quandoque curvum, obliquum & rotundum est. Nonnumquam aliquid ex vulnere excisum, derasum detritumque est, vel ex eo caro aliqua parte abscissa dependet. Sæpe etiam vulneri aliquid infixum est.

§. 343.

Vulnera etiam inter se distant, tum propter tela ac corpora quibus illa fiunt, tum propter ipsam vulnerationem & majorem ac minorem impetum. Ut enim omittam, quæ de di-

ſciſſis & colliſis retuli, (341.) alia ſunt, quæ cæſim, alia, quæ punctim illata ſunt, alia, quæ imprimuntur a glebis plumbeis, baliſta & pulvere pyrio fuſis, alia venenata, & quæ ab animalibus venenatis ac rabidis morſu fiunt.

§. 344.

Vulnus etiam aliud eſt, ſi illud recens eſt ac cruentum, aliud, cui jam vetuſtas, vel mala curatio, acceſſit, & quod his alienatum fuit.

§. 345.

Sunt etiam plura periculoſa, quæ vulneribus ſupervenire conſueverunt, & quibus illa etiam multum inter ſe differunt. Sanguinis profuſio, tumor, eryſipelas, phlegmone, gangræna, œdema, emphyſema, febris, dolor, nervorum diſtentio, imbecillitas, ſyncope, vomitus, dejectio. Nec raro alia noxa accedit, ubi os cum vulnere vel fractum, vel e ſede ſua motum eſt.

§. 346.

Notæ vero vulneris ſimplicis diſciſſi, & quod non aliam partem, quam cutim, adipem carnemque læſit, hæ ſunt: Poſt illatam plagam ab initio nihil alienum conſpicitur: Mox oræ vulneris inter ſe parum recedunt, quia fibræ illa inſita vitali & elaſtica vi (31.) adducuntur, & quia ſanguis ex ſectis vaſis erumpit. Oræ igitur inter ſe diducuntur. Emicat quaſi linea rubella, quæ lateſcit, & tandem ex vulnere patente atque hiante diſiunctiſque oris ſanguis effertur. Sanguis, ſi per aliquod tempus, pro modo vulneris, fluxit, ſponte conquieſcit, quia arteriæ præciſæ in ſe quaſi coëunt, & quia ipſe ſanguis aëre cogitur. Utrumque facit, ut pedetentim arteriarum venarumque oſcula præcludantur. Ob id etiam ſub finem non craſſior rubenſque ſanguis, ſed humor magis tenuis, dilutus, ſubalbidus exit.

§. 347.

Altero, vel tertio die, pro modo vulneris, citius tardiuſque, ſupervenire ſolet inflammatio. Accedit febricula, quæ a levi horrore incipit, poſt quem calor erumpit. Oræ vulneris intumeſcunt, cum majori pruritu, dolore ac calore. Ubi ſe remittit & inflammatio, & febris, oræ vulneris madeſcere incipiunt, & ſe oſtendit ſuppuratio. Soluta & inflammatione,

& febre, pus exit, & modo, & magnitudini vulneris conveniens.

§. 348.

At enim in illo humore, qui ex vulnere effertur, & qui puris nomine venit, maxima differentia eſt. Ab initio, & quamdiu oſcula diſſectorum vaſorum adhuc per inflammationem contractiora ſunt, illud tenue eſt, & non multum a ſanie recedit. Sanies mala etiam ex vulnere provenit, ſi quædam in eo ſunt, quæ humores exitu prohibent, vel, quæ illud irritant, nec non, ſi ei adſtrictior faſcia injecta fuit. Ubi autem ora vaſculorum his liberata ſicque aperta ſunt, effertur pus. Illud bonum eſt, ſi craſſum, albidum, lævc, æquale & modo vulneris conveniens, nihil olet. Saneſcente tandem vulnere, illud iterum tenuius & minus copioſum eſt.

§. 349.

Ex his autem diſcitur, & inflammationem, & febrem, ad omne vulnus neceſſariam eſſe, quibus concretus humor, qui glutinari vulnus prohibet, in pus vertitur. (38, 49.) Certus tamen modus utriuſque eſſe debet.

§. 350.

Quia vero in colliſo vulnere major modus concreti humoris eſt, & quia ſæpe in eo ſolidæ partes hærent, quæ penitus conquaſſatæ ſunt ac emortuæ, utrumque vero in pus verti, & a vivis integriſque partibus ſeparari debet, ideo etiam major inflammatio majorque ſuppuratio in tali vulnere neceſſaria eſt.

§. 351.

Hoc puris genus per inflammationem fit ex quieſcentibus, corruptis, fluidis, emortuiſque ſolidis. Ubi vero vulnus purgatum, vel, ubi illud prorſus recens eſt, id exſudat humorem, quo per totum corpus diviſo, omnes partes aluntur, & qui ex ſanguine atque lympha conſtare videtur. Et hunc ſuccum etiam ad pus referre plerumque ſolent chirurgi, cujus tamen alius ortus aliaque natura eſt. Ex eo enim carnes increſcunt, quibus vulnus impletur.

§. 352.

Cicatrix quaſi novum eſt, quod oritur, ſi epidermis cum tunica adipoſa concreſcit. Obſervatione enim compertum eſt, cutim, ſi qua parte ſublata fuit, haud renaſci. Ex his intelligitur, cur cicatrix nullum, vel paucum ſenſum habeat, & cur per eam nulla fiat exſpiratio.

§. 353.

Sunt præterea alia quædam, quæ ad vulnerum notitiam pertinent. Si ex vulnere ſanguis, præcipue rubens, majori impetu, & ita erumpit, ut is quaſi per ſiphonem expreſſus alternis vicibus emicet, arteriam majorem vulneratam eſſe intelligitur. Nam ex vena etiam majori is æquali motu profluit. Minor arteria, ſi tota præciſa eſt, in ſe quaſi coit & a carnibus comprimitur, ex majori autem, niſi auxilium præſens magna cum feſtinatione adhibeatur, una cum vita ſanguis effluit. Quos vero ſanguinis profuſio ex majori arteria interimit, illi ante mortem animo linquuntur, ſuperveniente nervorum diſtentione extinguuntur. Si autem major arteria venaque, v. g. brachialis, vel cruralis, vulnerata eſt, æger in tuto non eſt, quamvis ſanguis ſupprimi potuerit. Membrum enim gangræna periclitatur, ſi in illud per eam ſolam arteriam, quæ vulnerata eſt, ſanguis diffundi debet: quare, ſi locus opportunus eſt, membrum præcidi oportet. (181, 182, 229. *a*)

§. 354.

Alia vero ratio eſt, ſi arteria non tota præciſa, ſed aliqua parte inciſa eſt. Si ea exigua parte fiſſa eſt, atque ex plaga ſanguis exit, oritur aneuriſma ſpurium. Si plaga autem major eſt, ſanguis cum majori periculo fluit, qui non facile ſupprimitur, niſi arteria tota diſſecta in ſe ipſam coire potuerit. Melius etiam, quæ tota præciſa eſt, comprimitur.

§. 355.

Si major nervus præciſus fuit, in membro tollitur & ſentiendi, & movendi poteſtas, illudque, vel gangræna, vel atrophia, periclitatur, vel ad minimum in eo magna manet debilitas. (186.) Nervus vero, ſi is ex toto abſciſſus non eſt, ſed tamen vulneratus, aut, ſi eum ſcalpellus attigit, vulneri vehementior dolor, inflammatio, gangræna, nervorum per totum

corpus diſtentio ſupervenire ſolent . Idem fere accidit , ſi tendo , aponeuroſis , membrana & alia pars , quæ nervoſa , vulnerata eſt , præcipue , ſi in ultimis plaga non late patet , ſed exigua eſt.

§. 356.

Ubi glandulæ vulnera accipiunt, oriri ſolet major inflammatio atque dolor , cum etiam ad glandulas plures nervi pertineant . Vulnus aſſiduo humore madeſcit , qui illud ſordidum reddit & in ulcus vertit.

§. 357.

Articulis vulneratis non ſolum major inflammatio accidere ſolet, ſed etiam aliquid, quod iis proprium eſt, cernitur . Effluit enim ſubinde copioſus humor , ſeu ἰχὼρ craſſior , glutinoſior , ſubalbidus, quem CELSUS *a* μελίκηραν, PARACELSUS *b* barbaro nomine ſynoviam vocavit.

a) CELSUS Lib. V. Cap. 26. §. 20. Legunt alii μελικηρίαν. Aliud enim eſt μελικηρὶς , quod vocabulum ſignificat tumorem , cui liquidior humor , melli fere ſimilis , tunica ſua incluſus ſubeſt . Vide CELSUM Lib. VII. cap. 6. Eſt vero etiam μελικηρὶς CELSO L. V. cap. 28. §. 13. ulceris quoddam genus , quod ita dictum fuit a favi ſimilitudine , & quod etiam inter capitis morbos deſcribitur & ἀπὸ τῦ κυρίε diſtinguitur ab AETIO Lib. VI. Cap. 60. p. 116. edit. Græcæ . Sic enim legitur in omnibus vetuſtiſſimis Editionibus CELSI . LINDENIUS vero textum mutaſſe videtur , qui legit κυρίον.

b In Chirurgia minori Lib. I. cap. VI.

§. 358.

Pleraque ex vulneribus oculis ſubjecta ſunt ; quo vero illa melius pateant , protinus cutis, ſi illa pilis contegitur , radenda , cruor vero detergendus eſt . Pòſt vero in plagam demitti digitus poteſt , vel ſpecillum , & ſic explorari , quo uſque deſcendat, & quid , vel digito, vel ſpecillo, occurrat. Hoc vero fieri nequit, quamdiu ſanguinis profuſio timetur. Neceſſe etiam eſt, hæc temperata manu fieri, ne ſanguis iterum fundatur , vel dolor atque inflammatio moveantur.

§. 359.

Ubi vulnus altius penetravit , illudque explorari debet , corporis quædam inclinatio valde neceſſaria eſt. Oportet enim ægrum non aliter collocari, vel ad eum fere modum decumbere, ac is fuit collocatus eo tempore, quo plagam accepit.

§. 360.

Num autem vulnus intra carnes desierit, num ad interiora ipsaque viscera pervenerit, & quid intus læsum sit, is scire potissimum potest, qui, incisis corporibus, internarum partium positum, magnitudinem atque ordinem perspecta habet. His cognitis alia quædam, si fieri potest, noscenda sunt: quomodo eo temporis momento, quo homo percussus fuit, uterque collocatus fuit, & is qui vulnus accepit, & alter qui illud impressit; qualis fuit gladius, vel quale telum, aut aliud quo homo percussus est; quanta vi & qua ratione illud adactum, immissum, vel projectum fuit. Quæ omnia ad vulneris naturam pernoscendam plurimum faciunt.

§. 361.

Quia etiam, si viscera internæque partes percussæ fuerunt, earum functio læditur, ex his etiam symptomatis, dolore, stupore, paralysi, vomitu, singultu, convulsione, scire licet, quid intus vulneratum sit. Idem etiam significat humor, qui per vulnus effertur.

§. 362.

Quid vero de vulneribus metuendum sperandumque sit, &, num vulnus mortiferum, num insanabile, num difficiliorem, num promptiorem curationem habeat, ante omnia scire medicum decet. Notæ vero ex tribus rebus potissimum petuntur, ex natura vulneris, ex natura percussæ partis, & num hæc ad vitam prorsus necessaria sit, & ex ipsa curatione, num hæc in vulnere locum invenire queat. Curationem etiam non admittunt læsiones, quæ dignosci nequeunt. His enim fere absolvitur illa *a* Medicinæ forensis pars, quæ de vulneribus lethalibus pronunciat

a) In medicina forensi vulnerum titulo plures aliæ læsiones, calvariæ ossiumque fracturæ comprehenduntur.

§. 363.

Vulnus igitur lethale dicitur, quo corpus actionibus, quibus vita continetur, privatur. Si itaque percussum fuit cor, auriculæ, majores arteriæ, vel venæ, quarum vulnera exhaurire hominem profusione sanguinis possunt, si trachea penitus abscissa est, vel diaphragmatis interior & tendinea pars vulne-

rata, ſi cerebri ac cerebelli vulnera altiora ſunt & ad medullam uſque penetraverunt, vel, ſi medulla, quæ in ſpina eſt, diſrupta fuit, ſi majores, & ad vitales motus præſtandos neceſſarii, nervi, a primo ortu præciſi ſunt, mors matura ſequitur.

§. 364.

Poteſt etiam vulnus eſſe mortiferum, quod natura ſua minime magnum videtur, ſi illud interius & aliqua ſede eſt, quæ curationem recipere non poteſt *a*. Si itaque intus aliquæ arteriæ, etiam non ita magnæ, læſæ ſunt, quæ ſanguinem fundunt, vel, ſi non ita multus ſanguis ex aliqua rupta vena in capite, vel alia ſede, effluxit, iſque nulla arte evocari poteſt, vulnus mortem adfert.

a) Propter ἀδυναμίαν curandi.

§. 365.

In præcipiti quoque ſunt, quibus varia receptacula, ventriculus, inteſtina *b*, quæ humorem continent, ita ſauciata ſunt, ut ex iis humor effluat, qui pòſt putreſcit, & in aliis partibus gangrænam movet, quæ averti nulla arte poteſt.

b) Servari poteſt homo, ſi ventriculus non in fundo, ſed in ſuprema parte, pertuſus eſt, nec non, ſi inteſtinum plagam unicam, eamque minorem habet, & quæ Chirurgi oculis patet. Servati etiam nonnumquam fuere, quibus totum inteſtinum præciſum fuit. De his infra.

§. 366.

Inter hæc vero vulnera, quæ lethalia dicuntur, aliquod diſcrimen eſt. Sunt enim quædam, quæ hominem certiſſime & ſine ulla exceptione ad mortem mittunt, & quæ in medicina forenſi abſolute lethalia dicuntur. Alia vero per ſe lethalia vocantur, per quæ etiam pereunt homines, non omnino quidem, ſed maximam partem, ita, ut forte centeſimus ſervari aliquando potuerit. Hæc vulnera, ſi ſententia ferenda eſt, prioribus paria habentur.

§. 367.

Vulnera vero, quæ natura ſua non ita mala ſunt, quæ vero aliis cauſis adeo in pejus vertuntur, ut mortem inferant, dicuntur lethalia ex accidentibus. Hoc enim incidere poteſt, ſi adverſus vulnus, ceteroquin non lethiferum, nulla, vel in-

valida, nimiſque ſera, aut prorſus aliena auxilia adhibita fuere. Si etiam ipſe æger non obſequens fuit, & ſe haud continuit, nec rexit appetitiones animique commotiones, neque vitavit fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem. Si corpus alio morbo jam infirmatum eſt, illud aliquando leviori noxa opprimitur.

§. 368.

Temporis ratio etiam heic habenda eſt. Si enim mox poſt acceptam plagam homo moritur, locus ſuſpicioni datur, ea vitam ablatam, & vulnus lethale fuiſſe; ſecus vero, ſi æger poſt vulnus adhuc diu ſuperſtes eſt. Nihil tamen in his perpetuum eſſe deprehenditur. Nonnumquam enim alia res, v. g. vehementior animi perturbatio, hominem ad exitium præcipitare poteſt, qui ceteroquin ſervari potuiſſet. Nec minus aliquando vulnera fiunt, quæ ex natura ſua etiam poſt ſatis longum temporis intervallum lethifera ſunt *a*.

a Vid. Abr. VATERI Diſſert. de vulnere cerebri ſclopetario ſeptima demum hebdomade abſolute lethali, Witteb. CIↃIↃCCXXII.

§. 369.

Homo etiam, ſi ei plures plagæ, quæ ſingulæ ſanari facile potuiſſent, inflictæ ſunt, earum numero conficitur & e medio tollitur.

§. 370.

Ubi autem medicus atque chirurgus poſt inciſum demortui corpus de vulnere ad judicem referre debent, ut ad plura animum advertant, neceſſe eſt. Ante reliqua nominandus judex, vel quiſquis fuit, qui hoc officium iis delegavit. Significandum eſt occiſi nomen ætaſque, & qualem vitam is vixit, quo loco, quo tempore, quo telo, & a quo adverſario is fuit ictus, quæ poſt acceptam plagam ei acciderunt, & quæ alia in eo obſervata fuerunt, quæ adhibita ab ægro moderatio atque abſtinentia, quæ autem a medentibus curatio. Hæc enim omnia, quantum de his comperire poteſt, prius notare debet. Totum etiam corporis habitum deſcribere oportet & indicare vulnerum numerum, magnitudinem, altitudinem, & quænam tum externæ, tum internæ ſedes læſæ fuerunt. Inſpicienda etiam ſanguinis receptacula ſunt, cor & arteriæ venæque majo-

res; id quod tunc maxime neceſſarium, ubi ſuſpicio eſt, ſanguinis profuſionem hominem interemiſſe. Nec omittendum eſt, ſi in aliis partibus, vel viſceribus, aliud quid deprehenſum fuit, vel morbidum, vel alienum. Superaddere ſolent de vulnere judicium, quod vero aliquando in caſibus arduis ad Medicorum Collegia deferunt ſecantes.

§. 371.

Ad omnia vero vulnera hæc pertinent. Semper pejus eſt vulnus, quod etiam colliſum, quam quod tantum diſciſſum eſt. Omne, quod in parte nervoſa eſt, plura & majora pericula habet. Neque ſigna bona ſunt, ſi gravior febris, acerbior dolor, ſingultus, nervorum diſtentio accedunt, ſi mens turbata, membrum aliquod reſolutum eſt, ſi crebriores vomitus & dejectiones ægrum conquieſcere non patiuntur, ſi is ſudores habet frigidos, aut non per totum corpus æquales. Multum etiam confert aër, corporis habitus, ætas, vitæ propoſitum & anni tempus. (60.) Quænam pericula in ſingulis vulnerum generibus eſſe ſoleant, infra docebo.

§. 372.

Vulnus, ſi nihil ei præterea mali acceſſit, ſolius naturæ ope glutinatur. In omni curatione vulnerum chirurgus haud quidquam confert, niſi, quod is ea, quæ curationi obeſſe poſſent, tollat.

§. 373.

Vulnus ſaneſcere non poteſt, niſi illud fuerit purgatum. Quare ejici ante omnia debent aliena, quæ vulneri illata, vel ex eo ipſo orta, intus hærent: Tela, gladii, ſagittæ, horumque fragmenta, centunculi ex dilaceratis veſtibus, cruor, partes colliſæ atque emortuæ. Hæc vero protinus eximenda ſunt, niſi aliquid ſit, quod hoc impediat. Impedire vero poteſt ſanguis periculoſius fluens, vehementior dolor, majorque inflammatio, magna ægri imbecillitas, ſi hæc vel adſunt, vel ſi magnus eorum timor eſt. Sæpe etiam id, quod intus inſedit, & quod ſic altius demerſit, commode apprehendi atque extrahi nequit, quod finita inflammatione ortaque ſuppuratione ex laxato vulnere ſponte excidit, vel haud difficulter excutitur. Nonnumquam tamen fieri ſolet, ut ea, quæ vulneri inhærent,

inflammationem, ſanguinis profuſionem, dolorem & alia graviora ſymptomata moveant, quæ ideo, omnibus feſtinantius actis, etiam cum aliquo periculo extrahi debent.

§. 374.

Omne autem telum, vel aliud, quod, corpori illatum, intus hæret, ejicitur, vel digitis, vel variis ferramentis. Ad glandes plumbeas evellendas proſtant varia ferramentorum genera. Si glans oſſi inhæreſcit & forcipe extrahi non poteſt, illa terebra foratur & excutitur. Nonnumquam amplianda plaga & vulneri vulnus adjiciendum eſt. Si telum ab ea parte, qua venit, revelli tuto nequit, &, ſi plus eſt, per quod telo revertendum, quam, quod perrumpendum eſt, commodius eſt aperire quod ſuper eſt, hocque contra mucronem incidere & ea parte telum extrahere, quod ſic & propius petitur, & tutius evellitur. Semper illud videndum eſt, ne quis nervus, aut arteria venaque, vel a telo lædatur, dum id extrahitur, vel ſcalpello incidatur, dum vulnus ampliatur. Etiam vulneratus inclinandus, & ita collocandus eſt, ac fuit eo tempore, quo plagam accepit.

§. 375.

Si vero vulnus colliſum, alienatum impurumque eſt, illud purgandum, moto in eo pure, in quod concretus humor, & quidquid in ulcere impurum curationi obeſt, convertitur. Purgatum fit cruentum, quod naturam recentis ac ſimplicis vulneris habet.

§. 376.

Vulnus, quod telo enſeque acuto illatum tantum diſciſſum eſt, & quod recens non alienatum nec nimis altum eſt, & cui nihil præterea mali accedit, ubi etiam nihil deraſum detritumque eſt, licet ſine omni medicamento curare. Concretus ſanguis ſpongia ex calida expreſſa detergitur, & oræ vulneris adducuntur. Hoc autem fit emplaſtro, impoſitis etiam utrimque pannis, vel faſcia uniente. Ita adduci atque contrahi debent vulneris oræ, ut illæ ſibi recta oppoſitæ ſint, ne indecora cicatrix fiat. Multum ad id confert, & inclinatio poſituſque vulnerati membri, & quies, quæ omnibus vulneratis neceſſaria eſt. Nam oræ ſic adductæ omni cura tuendæ & haud inter ſe

diducendæ ſunt: quare etiam vulnus celerius glutinatur, ſi faſciæ vel prorſus non, vel rariſſime, ſolvitur *a*.

a Vid. CAESAR MAGATUS de rara vulnerum medicatione & BELLOSTE *Chirurgien d' Hopital*.

§. 377.

Vulnus autem, quod hiat, & cujus oræ in unum adduci, nec faſcia, nec emplaſtro glutinoſo *b*, commode poſſunt, ſui debet. Suturam requirit vulnus recens, cruentum, diſciſſum, & quo muſculi tranſverſim ſecti ſunt, vel curvum, & quod anguloſæ figuræ eſt, vel, quod alia parte dependet, alia inhæret. Illam non admittit vulnus, ex quo ſanguis copioſior effertur, colliſum, purulentum, vel alia quapiam re, inflammatione, veneno, alienatum. Si vulnus tam altum eſt, ut nec acus in imam ejus partem deſcendere, nec linum omnem carnem comprehendere poſſit, ſutura aliena eſt, quia ſubtus cavum relinquendum foret.

b) Inter compoſitiones, quæ proſtant, eſt Emplaſtrum a Cruce, quod valenti recentique linteo inducitur. Parari poteſt glutinoſum ex aliis emplaſtris, ſi illis terebinthina vel reſina adjicitur.

§. 378.

Ubi igitur vulnus ſuendum eſt, linum, quod, ne ex humore nimis in ſe coëat, prius humectandum eſt, conjicitur in acum incurvam, acutam, lævigatam, nulla rubigine exeſam. Neceſſe eſt, ut acus plenior ſit lino, quod illa trahit. Linum etiam, pro modo vulneris, ſatis valens eſſe debet, molle tamen & non nimis tortum, quo mitius corpori inſideat, aſt aliquantum inceratum. Quod enim tenue eſt tortumque, illud cutim abrumpit. Comprehendi vero ſutura oportebit non cutim ſolum, ſed etiam carnem, ut oræ etiam imæ adducantur. Non vero ſolum vulnus ſutura includendum eſt, ſed utrimque etiam aliquid ex cute, ne illa rumpatur. Acus enim, quæ ſic per unam oram ab exteriori parte ad interiorem vulneris immiſſa fuit, etiam ſic per alteram oram ab interiori in exteriorem partem trajicitur. Melius trajectatur acus, ſi prius oræ vulneris impoſitis utrimque manibus adducuntur, & loca, per quæ illa demitti atque educi debet, atramento notantur. Quan-

do linum trajectum eſt, illud adducitur; id quod tuto fit, ſi interea iterum oræ vulneris utrimque digitis comprimuntur junguntur que. Linum in nodum connectitur, qui facile iterum ſolvi poteſt, interpoſito minori panniculo, qui commode fit ex panno ſerico incerato.

§. 379.

Si vulnus magnum eſt, illud iterum, imo tertio & quarto, ſuendum eſt. Acus vero ſemper ea parte primo trajicitur, qua vulnus plurimum hiat, &, ſi illud ter ſuendum eſt, in medio. Si vero vulnus figuram anguloſam habet, apprehendi prius & ſui angulus debet. Vulneri obliquo obliqua etiam ſutura injicienda eſt. Sutura non nimis rara eſſe debet, quippe quæ non continet, nec nimis crebra, quia, quo ſæpius tranſivit injectum vinculum, eo magis illud mordet, & dolorem atque inflammationem movet. Si vulnus oblique & ita inciſum eſt, ut altera ora plurimum cutis habeat, & quaſi dependeat, in altera vero ora carnes nudæ ſint, illud haud commode ſui poteſt. Expedit quandoque, ſutura totam plagam, ſi illa non latior eſt, lino, etiam infra vulnus trajecto, comprehendere, fila adducere & poſt cutim oblique inciſam linamentis comprire, fila vero ſuper linamenta in nodum nectere.

§. 380.

Nonnulli ferramento utuntur, quo mediante acus immittunt trajiciuntque. (*Porteeguille*) PETITUS ad id annuli quoddam genus invenit *a*. Nec fere acus, ſi illæ bonæ ſunt, hæc ferramenta deſiderant, ſed facile ſequuntur.

a. Vid. GARENGEOT *des Inſtruments*. T. I. Cap. VI. Artic. II. p. 208.

§. 381.

Si vulnus latius eſt, quam, ut ejus oræ ſutura ſatis jungi queant, & metus eſt, ne ſutura cutem abrumpat, illa juvari poteſt emplaſtro glutinoſo, quod ſupra vulnus, etiam ſutum, imponi poteſt. Emplaſtra ejuſmodi etiam vulneris oris accommodare ſolent, & poſt illa linum trajicere hujuſque capita in nodum nectere.

§. 382.

Nulla fere medicamenta deſiderat vulnus, quod tantum diſciſſum eſt & recens, & cujus oræ ſic ſuendo junctæ ſunt. Nulla certe in ipſum vulnus ingerenda ſunt, ſed ſupra illud imponenda linamenta ſicca. Vulnus pòſt obligatur faſcia, non vero ante tertium diem, niſi aliud quid hoc deſideret, ſolvitur: quo tempore ſuper illud dari poteſt medicamentum glutinans, (383.) quodque aëris noxam avertit. Nec tamen hoc in illud ingeri debet. Ubi cicatrix inducta eſt, educi lina poſſunt, id quod etiam impoſitis utrimque ſuper oras glutinati vulneris digitis fieri neceſſe eſt.

§. 383.

Quandoque tamen vulnus, quod aliquantum colliſum vel alienatum eſt, ſui oportet. Maxime hoc fit, ſi aliquid ab eo dependet, quod mediante faſcia non ſatis adduci & in ſua ſede contineri poteſt, & ubi metus eſt, ne nimis lata poſtea cicatrix ſit. In hoc caſu futura oras ita jungere debet, ut illæ ſe ex toto haud contingant, utque ſit, qua humor intus concretus emanet. Hoc etiam vulnus purgari debet, quare inter oras ingerenda ſunt medicamenta ad id idonea. (387.)

§. 384.

Omne autem vulnus, quod tantum diſciſſum eſt, non colliſum, modo oræ ejus adductæ ſint, & contra aëra cuſtodiantur, vel per ſe ſaneſcit, vel impoſitis medicamentis, quæ aëra avertunt. Illud enim generatim & ad omnia, etiam colliſa, vulnera pertinens dictum erit, primo die optimum eſſe, ſi linamenta ſicca iis imponuntur. Ad vulnus vero curandum, quod colliſum non eſt, plurimum confert, ſi faſcia rariſſime ſolvitur & oræ non diducuntur. Si vero ſequentibus diebus, ut aëris noxa avertatur, aliquid ſuper tale vulnus imponendum eſt, ſuperdari, non vero inter ipſas oras demitti, poſſunt pulvilli ex ſpiritu ardente expreſſi, vel linamenta in balſamo quodam, de Mecha, Peruviano, de Tolu, tincta. Commodum eſt, ſi hæc ultima primum vulneri imponuntur & ſuperdantur alia linamenta, ex aqua vulneraria expreſſa. Super hæc tandem injici ceratum, vel emplaſtrum poteſt, quod ea

contineat, quo, ut & fascia, aër potissimum avertitur. Plerumque chirurgi emplastrum, sic dictum, stictícum his vulneribus superimponunt.

§. 385.

Vulnus vero collisum sanescere nequit, nisi prius fuerit purgatum. Hoc fit, si sanguis aliusve succus, qui in eo concreverat, & quo etiam secta atque præcluſa vascula conferta sunt, nec non collisæ & emortuæ partes solidæ, in pus vertuntur. (350, 351.) Ad id idonea sunt medicamenta, quæ pus movent & digerunt. Ex compositionibus notissimum est unguentum digestivum chirurgorum, quod habet terebinthinam cum vitello ovi subactam. Si vulnus in parte carnosa est, ei adjici potest mel, quod ad pus movendum valentius; in partium vero nervosarum, glandularum, tendinum atque articulorum, vulneribus alienum est. His magis opportuna sunt succinum, elemi, mastix, si digerentibus & terebinthinæ miscentur. Ex compositionibus autem præ aliis balsamum Arcæi.

§. 386.

Ad pus movendum maturandumque ac vulnus aperiendum non parum valent emplastra, si supra injiciuntur. Ex his prima sunt: malacticum, diachylum simplex & compositum.

§. 387.

Sunt aliæ digestivorum compositiones, unguentum basilicum, majus & minus, quod ultimum etiam tetrapharmacon dicitur, unguentum de apio.

§. 388.

Ubi vulnus non admodum collisum est, haud vero tantum discissum, illud sine aliqua suppuratione glutinari nequit. Opus itaque est medicamentis, quæ non reprimunt, sed pus aliquantum non nimium movent. Ex his fere prima sunt: Balsamum Arcæi, Balsamum Lucatelli, balsamum Samaritanum, nec non illud, quod Stahlius composuit, & quod habet essentiam myrrhæ & succini, & quibus parum olei terebinthinæ adjicitur.

Ex præſtantioribus eſt aqua vulneraria. (292.) Locis nervoſis myrrha aliena eſt, quare ejus minimum adjici debet.

a Hæ ſic dictæ eſſentiæ haud parari debent mediante alcohol, quod ſalem tartari habet, quo vulnera graviter offenduntur. Melius etiam eſt, ſi ex jam parata eſſentia alcohol majorem partem iterum difflatur. Hæc eſſentia, balſamica dicta, commode aliis digerentibus admiſcetur. Inter εὐτόρισα eſt caſeus albus recens ſine ſale. Vid. LANCISIUS de Corde p. 99.

§. 389.

De his medicamentis vero generatim illud ſcire oportet, olea, & quæ pinguia ſunt, pus evocare atque maturare poſſe; ſi vero ſola adhibentur, maxime ſi rancida fiunt, oriri ex iis putredinem, & vulnera impura atque ſordida fieri. Hæc cauſa eſt, cur terebinthina, & alia ex vegetabilibus, quibus acidus ſuccus eſt, iis adjiciuntur. Spiritus ardens, & quidquid ex hoc paratum eſt, vulnus adſtringit, cohibet putredinem & ſuppurationem. Quare in vulnere colliſo, quod nondum purgatum eſt, is alienus eſt & novam inflammationem, immo graviora ſymptomata movet. Ubi vero vulnus, quod purgatum eſt, celerius ſaneſcere debet, alcohol ſatis idoneum eſt, quod illud aridum reddit. Terebinthina, nec non balſama illa exotica, de Mecha, Peruvianum &c. aëra avertunt, &, ſi digerentibus adjiciuntur, & vulneri purgato ſuperdantur, blande fibras ſtimulant & ſuccum eliciunt, quare carnem alunt & vulnera atque ulcera, ubi aliquid exciſum eſt, implent. Ubi vero vulnus purum non eſt, illa non ſolum ſupervacua ſunt, ſed aliena, quippe quæ faciunt, ut putris caro ſupercreſcat, & ut ex vulnere malum ulcus fiat.

§. 390.

Omnia medicamenta, quæ vulneribus imponi debent, igne prius concalefacere oportet. Aër, quantum fieri poteſt, avertendus: quare ſemper, ubi vulnera obligantur, feſtinandum eſt. Juvat non parum ignitabulum, quod carbonibus candentibus plenum in promtu eſſe debet. Igne enim & aëris noxa avertitur, & medicamenta quibus vulnus curandum eſt, calefiunt. Si vulnus valde alienatum, & in eo plus eſt, quam ut digerentibus illud tolli poſſit, opus eſt vehementioribus, quæ exedunt.

§. 391.

Ad felicem promptamque curationem nihil magis facit, quam diligentior obſervatio inflammationis, quam in omni vulnere neceſſariam eſſe ſupra retuli. (38, 347, 349.) Huic itaque & diverſis ejus temporibus accommodari debet & victus, & omne medicamentum, tum quod intus ſumitur, tum quod extrinſecus admovetur. Sedulo enim cavendum, ne inflammatio in gangrænam tendat. Hæc timeri poteſt in vulnere colliſo, & quod loca nervoſa graviter offendit, ſi, pro modo vulneris, ſanguis parum fluxit, ſi ſuppuratio fuit cohibita, & ſi, ex ægri intemperantia, febris calorque augentur. Non minus vero etiam nocet, ſi omnis inflammatio, quæ ad pus movendum neceſſaria eſt, tollitur. Itaque omnia, quæ ſuperius de variis generibus inflammationis ejuſque curatione præcepi, (28. ad 83, 100, 101, 156. ad 165.) adhibenda ſunt. Magnum auxilium adverſus eam in ſanguinis fluxu eſt, de quo mox dicendum. Sæpe etiam, ſi locus nervoſus & aponeuroſis minori vulnere perforantur, oportet illud ampliare, ſine quo ſe haud remittit inflammatio. (44, 83.)

§. 392.

Subinde etiam accidit, ut pus, quod ex vulnere efferendum erat, reprimatur, & venis reſorptum reliquis corporis ſuccis admiſceatur; quæ res etiam gravis, & quandoque mortiferi morbi pericula adfert. Omnia quæ vulnus offendunt, & quæ, ſi id ad ſuppurationem ſpectat, pus exitu prohibent, hominem ejuſmodi injuriis obnoxium reddere poſſunt. Hoc itaque quandoque incidere ſolet, ſi vulnus denſioribus gravibuſque pannis, turundis & adſtrictiori faſcia nimium premitur: Si alcohol & alii valentiores ardenteſque liquores, nec non alia acriora, reprimentia & adſtringentia ſuperdantur: Si medicamenta, haud prius concalefacta, ſed gelida, imponuntur, & vulnus ipſum frigore adſtringitur, vel aëri, qui in omnibus maximam nocendi poteſtatem habet, crebrius ac diutius objicitur: Si vulnus non purgatur, nec pus extergitur, quod relictum acre rodenſque fit: Si eo tempore, quo vulnus ad ſuppurationem ſpectat, alvus valentioribus ducitur; ſi eodem tempore, datis calidis, vel aliis, febris concitatur; vel, ſi evacuantibus, ni-

mium temperantibus & frigidis omnis febris tollitur. Nimiam vero nocentemque febrem movere etiam poteſt cibi, præcipue valentioris, abundantia, vini ac libidinis intemperantia, gravior animi perturbatio. Omnia præterea, quæ affectum viribuſque infirmum corpus magis enervant, ad hæc plurimum conferre & ægrum ſæpe præcipitare poſſunt.

§. 393.

Sunt vero quædam indicia, ex quibus colligere licet, pus fuiſſe reſorptum. Si vulnus, ſuperato jam inflammationis ac febris periculo, iterum intumeſcit, corpore etiam præter conſuetudinem incaleſcente, novaque febre ſuperveniente: Vel, ſi vulnus aridum fit, & prorſus non intumeſcit, ac quaſi emortuum videtur. Ubi autem vulnus humorem exſudat, ſi is paucus eſt & tenuis, ſi in vulnere malus color eſt, iſque lividus, niger, vel pallidus, aut varius, ſi æger vagos horrores ſentit, de cephalalgia nocturnaque vigilia conqueritur, vel, ſi febris iterum adeo ingraveſcit, ut homo vanas imagines accipiat, atque intra verba deſipiat: nec non, ſi ſine ratione alvus liquida, & ſæpius quam ex conſuetudine fertur, urina vero cruda, & ejus crebra cupiditas eſt.

§. 394.

Hæc vero duplicem exitum habent. Vel enim, ſi graviora illa ſunt, maturior & cita mors ſubſequitur, ita, ut ægrum aut ſyncope, aut valida febris, tollat; vel eum tabes invadit, atque diutius & periculoſius male habet. *a*

a Vid. FAUDACQ *Reflexion ſur les Plaïes*. Cap. VIII. pag. 16.

§. 395.

Averti vero hæc majora mala poſſunt, ſi diligentius obſervatur inflammatio, (390.) & ſi ſuppuratio non impeditur. Quod ſi vero hæc incidunt, ubi vulnus jam alienatum eſt, imponi protinus debent, quæ pus citant, & ſuper dari fomenta & emplaſtra ex emollientibus, quibus humores ad ulcus revocantur. Oræ quoque paululum concidendæ ſunt. Intus autem dari debent, quæ vel adverſus inflammationem ſunt, (62. ad 69.) vel, ſi malum cum imbecillitate eſt, alia, quibus languidæ vires revocantur. (70.) In rebus cauſiſque

multum inter ſe differentibus perpetuum præceptum eſſe non poteſt.

§. 396.

Vulnus autem, cum rubet, ac nimium neque ſiccum eſt, neque humidum, & cum naturaliter ſentit, purum eſt. Quod, ſi ex eo aliquid exciſum, detritum deraſumque fuit, implendum eſt. Ad id vero proficiunt medicamenta, quæ carnem alunt; ex quibus prima ſunt balſama & cum his myrrha, quam tamen locis carnoſis præ aliis opportunam eſſe jam retuli. (387.) Hæc digerentibus adjici debent. Etiam vulnus raro deligandum, nec adeo frequenter pertergendum eſt. Jam enim ex vulnere exit alterum genus humoris, quo novum incrementum adfertur. (351.)

§. 397.

Ubi autem in quolibet vulnere ventum eſt ad inducendam cicatricem, optime id faciunt linamenta ſicca, ſi imponuntur, & ſi vulnus paulo adſtrictiori faſcia devincitur, qua ſupercreſcentes carnes aliquantum reprimuntur. Alii imponunt emplaſtra: ſtictícum Crollii, de lapide calaminari, de minio; vel ex ſpiritu vini expreſſa linamenta pannoſque; vel inſpergunt teneriores pulveres ex terebinthina cocta, maſtiche, olibano.

§. 398.

Decoris cauſa curandum eſt, ut cicatrix ſanæ cuti æquetur. Illa deformis fit, ſi oræ vulneris non rectæ fuerunt adductæ, ſi faſcia frequentius fuit ſoluta. Concava manet ex vulnere colliſo, vel cui aliquid exciſum fuit, & ſi hoc, & impurum vulnus, aut ulcus, rodentibus adurentibuſque, nec non nimium ſiccantibus & reprimentibus medicamentis fuit curatum. Multum etiam confert ſenilis ætas & ſiccior corporis habitus. Excreſcit cicatrix in corpore raro, pleno, humido ac juvenili, & quod pleno victu alitur, præcipue ſi vulneri ſuperdata fuere, quæ illud nimis laxum reddunt, digerentia, balſamica, & ſi his omnibus laxior vinctura acceſſit.

§. 399.

Si deformis jam inducta eſt cicatrix, & ſi æger, formæ cauſa, rurſus & dolorem & medicinam ſuſtinere vult, res & excreſcenti & concavæ cicatrici ſuccurri patitur. Eminens ſcalpello præcidi, vel medicamentis tolli poteſt, quæ corpus exedunt, inter quæ lapis infernalis primo loco eſt. Concavam exulcerari ſcalpello oportet, ſuperque eam dari implentia, & quæ carnem alunt, donec vulnus ſanæ cuti æquetur. Poſtmodum vero ei nova cicatrix inducenda eſt. Ad cicatricem concavam æquandam etiam proficiunt fomenta, ex aqua & oleo calidis. (226.)

§. 400.

Quæ vero ad victus & medicamentorum ore ſumendorum rationem attinent, ea non alia ſunt, quam, quæ inflammationi opitulantur. Huic igitur ſoli, & febri, ſi illa acceſſit, omnia accommodari debent, & ſimul obſervari vulnerati ætas, corporis habitus, conſuetudo victus, vitæque propoſitum. Si vulnus vehemens eſt, &, pro modo ejus, parum ſanguinis fluxit, metuenda eſt inflammatio: quare ſumme neceſſarium eſt, ut ejus non parum detrahatur. (62, 68.) Nec ideo etiam ſanguis, niſi periculoſius erumpat, protinus ſupprimendus eſt. Alvus, niſi id propter inflammationem neceſſarium videatur, (63.) numquam ab initio curationis, ubi pus movendum eſt, duci debet: at, ſi adſtricta eſt, lotionibus mollientibus, in eam immiſſis, levari evacuarique. Ubi autem ulcus purgatum ad cicatricem perducendum eſt, confert eam paulo valentioribus ſubtrahere.

§. 401.

Supervacua, immo & noxia, ſunt illa decocta, ſic dicta traumatica, quæ ex vegetabilibus multum adſtringentibus componuntur. Prudentem medicum conſiderare oportebit corporis habitum, & dare medicamenta, quæ cuivis ad humida in corpore purganda opportuna ſunt. Illa neceſſaria ſunt, ſi cum vulnere aliud vitium in corpore eſt, cacochymia, ſcorbutus, venereus morbus.

§. 402.

In omni vulnere ab initio abſtinentia ſumme neceſſaria eſt : (67.) pòſt autem, ſi vulnus implendum, victus paulo plenior convenit, quem vero boni ſucci eſſe oportet.

§. 403.

Multam etiam animadverſionem aër poſtulat, qui omnia vulnera infeſtat. Magis nocet gravis, gelidus, nimis calidus & noxiis atque impuris halitibus fœtus, qualis in majoribus noſocomiis eſſe ſolet. In totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum ab omnibus animi commotionibus. Circumcidendæ etiam ſunt omnes curæ & meditationes, quæ requirunt, ut animus intendatur. Corporis etiam, maxime partis vulneratæ, quies neceſſaria eſt. Venerem in gravioribus vulneribus numquam tutam eſſe, ſed ſæpe mortiferam, experientia docuit. *a* Sedulo commonendi ſunt ægri, ut obſequentes ſint, cum ad felicem vulnerum curationem harum rerum paulo ſubtilior obſervatio plus valeat, quam peregrinorum, conquiſitorum & multa arte compoſitorum medicamentorum uſus.

a Vid. HOFFMANNI diſſert. de Morbis ex nimia venere oriundis. Hal. MDCCXXV.

SANGUINIS PROFUSIO.

§. 404.

In vulneribus curandis, tum iis, quæ chirurgus accipit, tum aliis, quæ ipſe facit, ſæpe timor eſt, ne ſanguinis profuſio hominem interimat. Sanguis vero vel ex minoribus arteriis atque venis exit, vel ex grandioribus cum periculo ruit. Ubi primum incidit, id quod ex minori ejus impetu intelligitur, & ſi arteria cordi non ita propinqua eſt, expedit illum non protinus ſupprimere, ſed ſinere fluere, quo minor inflammatio oriatur. (234.)

§. 405.

Si vero is non per ſe deſiſtit, & metus eſt, ne vires intereant, ſupprimi debet. Hoc fit, vel compreſſo tantum vulnere, vel impoſitis etiam varii generis medicamentis, vel devinctis arteriis.

§. 406.

In vulneribus, quæ penitius penetraverunt, & quæ oculis non ſubjecta ſunt, æger non ſemper in tuto eſt, quamvis ſanguis conquieſcere videatur. Obſervatum enim eſt, & cordis & majorum arteriarum vulnera quandoque præcludi, quia iis concretus ſanguis inſidet. Hic poſtmodum impetu ruentis ſanguinis, & ſi æger vel corpus, vel vulneratum membrum movet, vincitur, & e ſede pellitur, ita, ut iterum ſanguinis profluvium oriatur, quod hominem repente & inopinato exhaurire poteſt. Quare iis, quibus viſcera & interiores partes, vel etiam in artubus arteriæ minores, non procul a trunco ex quo educuntur, percuſſæ ſunt, numquam primis diebus ab hæmorrhagia ſecuritas eſt. Et propter hunc metum oportet ſanguinis impetum abſtinentia atque quiete mitigare, & eum, ſi, pro modo vulneris, parum fluxit, inciſa vena detrahere.

Vid. le DRAN tom. I. Obſ. 49. 50. 51.

§. 407.

Optime ſiſtitur ſanguis impoſitis linamentis ſiccis & adhibita æquali compreſſione. Vulnus itaque iis implendum, & ſuper impoſitis, ſi res poſtulat, multiplicibus, denſis ac gradatis pannis atque paulo adſtrictiori faſcia vinciendum eſt. Cavendum tamen, ne vulnus nimis adſtringatur comprimaturque, quippe quod gangrænæ opportunum reddi, vel multum inde alienari poteſt. (17, 37.)

§. 408.

Si autem ſedes percuſſa nec ſatis commode faſcia deligari atque comprimi, nec arteria devinciri poteſt, aut ſi injecta faſcia non ſatis continet, & ſanguis nihilominus ſub ea fluit, ultimum auxilium eſt, ut vel arteria digitis, vel ipſa, ſi jam injecta eſt faſcia, manibus impoſitis a miniſtro comprimatur. Neceſſe vero eſt, ut, pro modo vulneris, arteria diutius, & ſæpe per plures horas, & ſemper æqualiter prematur.

§. 409.

Aliæ vero obſervationes neceſſariæ ſunt . Melius præcluduntur vaſorum ora , ſi e latere premuntur , quam ſi iis illud , quod comprimit , adverſum objicitur . Arteriæ ſupra vulnus premendæ ſunt , venæ autem infra illud , id quod vitalis humorum circuitus docet . Etiam in hac preſſione modus ſit , ne ea membrum alienetur . In artuum vulneribus non parum juvat , ſi arteriæ trunco objicitur faſcia tortilis , vel torcular , (237.) vel ſplenium faſcia adſtringendum . (245.) His vero arteriam non ita premere oportet , ut membrum gangræna periclitetur , ſed ut impetus ſaltem ruentis ſanguinis mitigetur .

§. 410.

Ex medicamentorum , quæ adverſus ſanguinis profuſionem poſſunt , magno numero pauca tuta ſunt . Quædam enim parum valent ; alia vehementiora , ſi locis nervoſis admoventur , nervos graviter afficiunt atque inflammationem magnamque febrem movent . Immo plura eorum vim veneni habent , quam in omne corpus diffundunt . Hæc ſæpe cauſa eſt , cur vulneratis ex non ita magna plaga ſuperveniunt graviora ſymptomata , vomitus , ſyncope , nervorum diſtentio , quæ eos quandoque celerius abſumunt .

Vid. LANCISIUS de Corde p. 98.

§. 411.

Inter omnia genera medicamentorum fere optimum eſt alcohol vini , quo & ora vaſorum conſtringuntur , & ipſe humor cogitur . Illo etiam vulnus parum alienatur . Neceſſe vero eſt , ut illud ſine ſale paratum ſit . Ex eo exprimuntur linamenta , quibus vulnus impletur , & , ut retuli , (406.) comprimitur . Idem valet oleum terebinthinæ . Mitius id efficit frigida aqua , vel ovi album .

§. 412.

Ora vaſorum etiam præſtringunt atque ſuccos ex iis fluentes cogunt liquores , & , ſic dicti , ſpiritus acidi , ex vitriolo , alumine potiſſimum , parati ; qui vero rodunt , adurunt & cruſtam inducunt : quare eorum uſum modo commemorata mala (409.) ſequuntur . Sunt plura compoſitionum ge-

nera a LEMERY *a*, VVEBERO *b*, & PURMANNO *c* propoſita.

a Vid. Cours de Chimie p. 504.
b Vide ejus Anchoram ſauciatorum p. 124.
c Vid. Ejus Obſ. chirurg. p. 263.

§. 413.

Linamentis etiam inſperguntur, vel cum aliquo liquido mixti illinuntur pulveres, qui ſtiptici dicuntur. Ex vegetabilibus ſunt omnia, quæ adſtringunt & reprimunt. Parum valent rad. ſymphyti, ireos noſtrat. biſtortæ, flores balauſtiorum, malicorium, farina volatilis. Efficaciora ſunt gummi arabicum, colophonium, tragacantha, ſanguis draconis, terra Japonica, gallæ, opium uſtum: ex mineralibus vitriolum, alumen, maxime, ſi hæc igne uruntur, caput mortuum vitrioli, terræ, quæ vitriolum habent, bolus Armena, lap. hæmatites, crocus martis, ſaccharum ſaturni, & alia, ex plumbo parata. Excipiuntur etiam hi pulveres vel alcohol, vel aliis liquoribus, ſic dictis, ſtipticis. Nec ad hæc facile decurrendum eſt, cum & iis vulnus multum alienari ſoleat. (406.)

§. 414.

Sunt, qui arteriis objiciunt glebas ex vitriolo uſto, illaſque paulo valentius adprimunt. Alii ferro candente arterias adurunt. Utrumque auxilii genus cruſtam inducit, qua arteriarum ora præcluduntur. Ea vero, etiamſi ſanguis aliquando per aliquot dies conquieverit, non raro illius impetu vincitur. Ubi vero ſic aduſtæ arteriæ iterum ſanguinem fundunt, maximum diſcrimen eſt, quia illæ non parum recedunt, & nec comprimi, nec alio modo præcludi queunt.

§. 415.

Ad ſanguinem itaque ſupprimendum, ſi is ex qua arteria periculoſius ruit, tutiſſimum auxilium eſt, arterias, ſi id res patitur, devincire; id quod fit, ſi ſub iis linum, mediante incurva, vel minori, acu, trajicitur, & hujus capita in nodum nectuntur. (confer. 242, 243, 244.)

§. 416.

Arteriam, ſi inciſa eſt, præcidi debere, quo ea in ſe ipſam coire poſſit, ſupra relatum eſt. (354.)

§. 417.

Ubi arteria major brachialis vel cruralis præciſa eſt, ſi tempus id patitur, mox faſcia tortilis admoveri & membrum præcidi debet. (229.)

§. 418.

Omni vero homini, cui ſanguinis profuſio timetur, valde neceſſaria eſt quies & abſtinentia. Circumcidenda eſt omnis negotioſa actio omniſque cura. Potui danda eſt aqua, eaque, niſi aliud quid hoc prohibeat, paulo frigidior cum modico cibo, qui corpus non alit, ſed ſuſtinet. Æger conquieſcere debet in conclavi obſcuro & quod clauſis feneſtris ab omni ſtrepitu remotum eſt. Dari poteſt nitrum, quod inprimis utile eſt, ubi arteriæ celeriores ſunt. Proficiunt etiam lotiones ex lactis ſero & nitro, ſi frigidiuſculæ in alvum immittuntur. Aliena ſunt medicamenta adſtringentia, ſi ore ſumuntur. Nam ad ſiſtendum ſanguinis profluvium parum valent, & non raro, ſi imbecillis dantur, viſceribus labem adferunt. (400.) Quandoque etiam averti poteſt ſanguis, alia parte ex vulnere erumpens, ſi alia inciſa vena, emittitur. Hæc vero res ſummam prudentiam exigit, ne, ſi is demitur, corpus nimium exhauriatur, omniſque vitalis vis emoriatur. Magis tutum eſt, ſi adverſa parte cucurbitula admovetur & illuc ſanguinis curſus revocatur.

§. 419.

Si autem ſanguis conquievit, homo autem, vi omni effuſa, prope intermortuus jacet, quod ad quietem attinet, eadem ſervari debent, quæ proxime ſcripta ſunt. A ſomno tamen a primo initio prohibendus eſt æger, quamvis cum hac imbecillitate marcor & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas eſſe ſoleat. Interea alendus is eſt juſculo pullorum cohortalium, vel aliarum juniorum carnium. Non vero ſubita multitudine corpus onerandum, ſed crebrius & paulatim juſcula danda ſunt. Imbecilliora enim viſcera, ſi gravantur, ſubigere nec hunc humorem poſſunt. Quare oritur cruditas, & ſæpe, ſi alimentum ad imbecillum pulmonem delatum fuit, præfocationis periculum. Ubi metus eſt, ne ſanguis iterum erumpat, nocere etiam calor poteſt, quare non niſi egelida dari debent. In

hoc casu etiam aliena sunt omnia calidiora, cardiaca, &, quod inter hæc primum est, meracius vinum. (204.) Hujus modicum dari potest, ubi omnis novæ profusionis metus penitus amotus est. Corpus etiam recuperatis aliquantum viribus numquam multo & valentiori cibo onerandum, sed modico & leviori alendum est.

ANEURYSMA.

§. 420.

Aneurysmata sæpe ex arteriarum vulneribus oriri constat. Duplex vero hujus tumoris genus est, quorum alterum verum vocatur, alterum nothum. Verum dicitur, ubi arteria non vulnerata est, nec disrupta, sed integra, & ubi illa, vel tota, vel ex aliqua parte, majorem in modum distenta est atque dilatata, & quæ sic etiam cutim aliasque partes, quibus illa subjecta est, in tumorem levat.

a Dilatata arteria aneurysma verum, dilatata vena varicem, dilatata vena lymphatica hydatidem efficit.

§. 421.

Aneurysma spurium est tumor, qui oritur a sanguine, qui ex vulnerata & pertusa arteria effluxit & sub cute coiit.

Si sanguis ex vena sic pertusa sub cute exit, oritur ἐκχύμωσις.

§. 422.

Aneurysma verum frequentius in interioribus sedibus est, spurium frequentius in artubus.

§. 423.

Notæ aneurysmatis veri & nondum inveterati hæ sunt: Tumor rotundus est æqualis & elatior, qui digito parumper cedit, & cujus color mutatus non est. Tumor post acceptam aliquam plagam, vehementiorem nixum aliamque causam pedetentim consurgit, manente diutius obscuro aliquo dolore, isque, dum adolescit, vehementius pulsat. *a* Non ita facile dignoscuntur aneurysmata, quæ intus nascuntur. Suspicionem movere potest pulsus valde inæqualis, & si ille alia qua parte

in pectore ſentitur, ſpirandi difficultas, ſenſus obſcuri doloris, inſuetæ anxietatis.

a Pulſus ſignum eſſe dicitur pathognomonicum aneuryſmatis, inprimis veri. Aſt tamen aliquando fiunt abſceſſus, qui, arteriis majoribus propinqui, fere ſimilem in modum pulſant, ac aneuryſmata. Idem accidere poteſt in ἐκχυμώσει. Si enim v. g. ſanguinis miſſio in brachio minus feliciter ceſſit, & tendo, vel aponeuroſis bicipitis muſculi læſa fuit, & ſanguis ſub cute coiit, ac inflammationem movit, adducitur valentius aponeuroſis & tendo, conſtringitur his ſubjecta arteria, qua mota elataque, etiam omnis tumor levatur, qui ſic aneuryſma mentiri poteſt. Vide LANCISIUM p. 101. Hic ideo errorem RIVERII in Obſ. p. 685. notat, qui talem ecchymoſin, tandem ſuppuratam, pro aneuryſmate habuit. Accidere tamen etiam haud minus poteſt in tumore inveterato & obcalleſcente aneuryſmatis veri, dum ſanguis in tumore augetur, & ille, qui exterior eſt, tandem induratur, dumque etiam ipſa cutis indureſcit & aliquando fere cornea ſit, ut pulſus percipi diſtincte haud queat. Diligentior itaque animadverſio omnium ſignorum adhibenda eſt, cum facile etiam peritiores decipi queant.

§. 424.

In aneuryſmate ſpurio tumor eſt ab initio minor, pòſt, dum increſcit, magis durus, depreſſior, & ad cutim latior ac inæqualis. Minus pulſat, quam verum, aſt tamen in eo quaſi obſcurior ſtrepitus percipitur. Tumor tandem increſcit & citius ad gangrænam ſpectat, quam futuram cutis livida atque nigricans ſignificat. Si aneuryſma ſpurium in brachio eſt, ubi illud frequentius ex minus feliciter adminiſtrata ſanguinis miſſione incidit, tumor ad humerum adſcendit. Nam inferius obſtat illa bicipitis aponeuroſis.

§. 425.

Verum ex variis cauſis oritur. Arteriæ enim diſtenduntur, tum in internis, tum externis ſedibus, a vehementiori nixu atque motu; id quod accidere poteſt ex vomitu, partu difficili, aliaque virium contentione, vel valentiori artuum intentione atque quarumdam partium preſſione. Si enim os fractum luxatumque, exoſtoſis aliuſque tumor arteriam majorem premit, illa ante tumorem diſtenditur. Hoc etiam accidit, ſi arteriarum tunicæ a prope ſito abſceſſu, vel ulcere, & ex his exeunte humore, lubricantur & laxantur. Sæpe aneuryſma in aorta naſcitur, ſi polypus in corde eſt, quo ſanguinis motus impeditior redditur. Hoc etiam fieri, ſi arteria aliqua, præcipue eo articulo temporis, quo illa ab irruente ſanguine di-

ſtenditur, gravem & ſubitaneum ictum paſſa fuit, exemplis probatum legimus. *a* Non parum confert malus corporis habitus, & ſi corpus longo morbo maloque victu vitiatum eſt. Humida enim, ſi in corpore corrupta ſunt, fibras omneſque ſolidas partes, & igitur etiam arteriarum tunicas, imbecillas reddunt laxaſque *b*.

a Vid. LANCISIUS cit. loc. p. 108. & JOANNIS NICOLAI HOLTORFF Diſſ. de Aneuryſmate in capite pueri XI. annorum, Argent. MDCCXXII.

b Hoc probat multis LANCISIUS c. l.

§. 426.

Hoc vero non tantum vitio illarum tunicarum accidit, ex quibus ipſæ arteriæ conſtant, ſed anatome docet, plures arterias habere alia involucra & integumenta a prope ſitis membranis, quæ illas ita comprehendunt atque conſtringunt, ut earum robur ac elaſtica vis non parum inde augeatur. In pectore majores arteriæ comprehenduntur membrana a pericardio educta, aliæ pleura conteguntur, in abdomine peritoneo, in brachio & pede aponeuroſi muſculorum. Ubi igitur iſtæ membranæ ex varia cauſa reſolvuntur atque laxantur, aneuryſmati locus datur.

§. 427.

In brachio hoc accidere ſolet, ſi a ſcalpello, vel alia ratione, violata, pertuſa, vel laxata eſt aponeuroſis muſculi bicipitis.

§. 428.

Eſt autem quædam diverſitas. Aliquando enim tota arteria ampliata eſt ac diſtenta, aliquando, & ſi arteria oſſibus aliiſque partibus duris incumbit, ejus ſaltem exterior pars, ita, ut in hac tumor herniæ ſimilis excitetur.

§. 429.

Aneuryſma ſpurium naſcitur frequentius ex pertuſa arteria, id quod crebrius accidit, ſi ex vena baſilica, cui arteria brachialis ſubjecta eſt, ſanguinem mittere volunt chirurgi. Nonnumquam tota arteria diſrumpitur. Id quod aliquando valentiori intentione cubiti & radii, qui luxati erant, accidiſſe conſtat.

§. 430.

Aneuryſma verum non tam celeriter adoleſcit. Tandem, ubi tumor increvit, & arteriarum tunicæ, & cum his juxta ſitæ partes alienatæ ſunt, exſudat ex eo ſæpe humor, qui acrior factus, ea quæ prope ſunt, rodit, & oſſibus etiam vitium adfert. Quia tumore lymphatica vaſa premuntur rumpunturque, præcipue in interioribus ſedibus, multus humor effluit, qualis non raro in pectore repertus eſt. Tandem vero arteria rumpitur & homo ſanguinis profuſione exhauſtus vel ſuffocatus repente abſumitur. In arteriis, quæ per artus dividuntur, tumor, ſi is recens & non ita magnus eſt, facta compreſſione tolli poteſt; ſi vero ille inveteravit & obcalluit, ſcalpelli operam poſtulat. Nec tamen ſectio ſemper tuta eſt in arteria brachiali, niſi illa bifida fuerit. Quare propter aneuryſma ſæpe totum membrum præcidendum eſt. In collo, pectore & interioribus aliiſque ſedibus, ubi nec compreſſio, nec ſectio, locum habet, aneuryſma verum increſcit, donec tandem rumpitur & hominem repente occidit.

§. 431.

Celerius finitur ſpurium, in quo proximus gangrænæ metus eſt. Cum illud comprimi nequeat, protinus ad ſcalpelli curationem decurrendum eſt, ſi illa locum habet. Ubi violatæ ſunt majores arteriæ, v. g. truncus brachialis, cruralis, ſæpe & in hoc miſerum, ſed unicum auxilium eſt, membrum abſcindere.

§. 432.

Aneuryſma verum compreſſione curari, jam (429.) poſui. Ergo, ubi illud nec valde magnum, nec inveteratum eſt, & nondum occalluit, & ubi arteria non tota, ſed aliqua parte dilatata eſt, (427.) in brachio aliiſque ſedibus, quæ ſine periculo premi poſſunt, tumor ante omnia digitis perfricandus premenduſque eſt, donec omnis ſanguis, qui in eo hæret, diſſipatus & intus compulſus fuit. Pòſt ſuper danda eſt charta bibula maſticata & ex alcohol vini expreſſa, imponendi ſunt panni multiplices ac gradati. Inter hos pannos nummus, vel aliud quidpiam, quod durum eſt, conjicitur, quo illis valentius prematur. Ceratum, vel emplaſtrum, quod nonnulli impo-

nere ſolent, melius omittitur. Omnia adſtringuntur faſcia. Hæc, quæ in unicum finem glomerata eſt, orditur ab infimo humero, circa quem illa bis voluta fertur ſupra pannos gradatos, qui ſemper, ne tumor iterum conſurgat, impoſitis duobus digitis, indice & medio alterius manus, continendi ſunt. Ita vero tendit ad ſummum brachium, quod in orbem voluta comprehendit, rurſuſque ſuper pannos gradatos ad humerum revertitur. Ad eam rationem ter circumagitur, &, ſi ea ſuper pannos fertur, digitorum impoſitorum vices leniter permutari debent. Ea etiam, dum humerum brachiumque amplectitur, ſemper ſibi appropinquatur, & quaſi in cochleam ſerpit, vel aſciam deſcribit. Tandem, ubi ea ſic bene tenet comprimitque pannos, illa ſurſum verſum tendit, & ſplenium, quod arteriæ brachiali objiciendum eſt, comprehendit. Neceſſe vero eſt, ut, dum aneuryſma ſic deligatur, brachium paulum ad latus adducatur flectaturque, quod poſt injectam faſciam, &, dum id mitella excipiendum eſt, iterum parumper, & quantum fieri poteſt, extendi debet, quo panni, qui tumori impoſiti ſunt, melius coarctentur.

§. 433.

Reperta fuerunt varia machinamentorum genera, ad comprimendum aneuryſma, in brachio præcipue, idonea, quæ loco faſciæ adhiberi poſſunt.

Vide figuras in HEISTERI T. I. Tab. XI. p. 436. addo aliam, quam ab expertiſſimo Dn. SENFFIO, Berolinenſi, accepi, Fig. X.

§. 434.

Sive faſcia, ſive machina, fuerit adhibita, illa non protinus reſolvenda eſt, ſed diu relinquenda. Oportet etiam faſciam, ſi illa laxior videtur, ſubinde adducere, & interea ſanguinis impetum crebra miſſione, alvi ductione, abſtinentia, tenui victu & aquæ potu mitigare.

§. 435.

Aliam curandi rationem recentiores propoſuerunt, quam aneuryſmati non ſolum vero, ſed etiam ſpurio, adhiberi poſſe affirmant. Ea experienda videtur in illis deſperatis, ubi nec vinctura locum habet, nec ſcalpelli opera tuta eſt, cum minimum interdum illa curatio proficere poſſit, ubi præſtat ancipi-

ti auxilio uti, quam nullo. Opus vero eſt pluribus faſciis, quibus, cochleæ in modum ſurſum verſum ſerpentibus, ſinguli digiti circumdantur. Alia poſtmodum faſcia, eodem modo ſurſum tendente, comprehenditur totum brachium & humerus, ita ut in ſupremo humero finiat. Ita circumire debet faſcia, ut illa valentius, & plus ſolito adſtringatur, non vero tantum, ut membrum gangrænæ opportunum fiat. Ubi ad tumorem ventum eſt, plumbum imponitur, vel aliud quid, quod durum eſt & ad tumorem reprimendum aptatum, ſuper impoſitis etiam multiplicibus pannis. Faſcia vero circa tumorem, & ea quæ huic impoſita ſunt, aliquoties volvitur, quo magis ea coarctentur. Arteriæ etiam brachiali in ſummo humero objicitur ſplenium. Antequam vero brachium ſic vincitur, illud ita flectendum eſt, & ad latus adducendum, ut commode mitella exceptum ſuſpendi ex cervice poſſit, ne poſtea ſuſpenſum aliter atque cum deligabatur, inclinandum ſit, utque illud minime moveatur. Frequentius poſtmodum inſtillandum ingerendumque in faſciam eſt alcohol vini, quod camphoram excepit, vel huic ſimilis liquor. Faſcia ante quadrageſimum diem non ſolvenda, ſi vero laxior videtur, ita adducenda eſt, ut non quidem omnem vitalem ſanguinis motum, ſed omnem ejus nimium impetum cohibeat atque reprimat.

§. 436.

Ad id vero neceſſarium eſt, ut ægro quam plurimum ſanguinis detrahatur, utque is quaſi exſanguis & enervatus per plures dies jaceat. Sic enim in corpore ita exhauſto & debilitato omnis ſanguinis impetus frangitur, & efficitur, ut interea, accedente externa preſſione, arteria ad priſtinum robur reverti, &, ſi in ſpurio pertuſa eſt, cicatrice iterum glutinari queat. Cum his valde neceſſaria eſt abſtinentia, & utendum eſt cibo exiguo, ac potione quam dilutiſſima, & quæ corpus minime incendit.

§. 437.

Aneuryſma verum autem, quod ſic vinctura & preſſione curari non potuit, exſcindendum eſt. Hoc autem fieri nequit, ſi tum verum, tum ſpurium eſt in aliqua arteria, per quam ſo-

lam ſanguis in membrum influit, quod ideo præcidendum eſſe ſupra retuli. (429.) In brachio tamen frequentius, ſi ſanguis ex vena mitti debet, læditur arteria brachialis, antequam illa in radiæam & ulnarem dividitur; id quod ex ejus poſitu clarum eſt: & nihilominus feliciter quandoque ceſſit curatio, ſi chirurgia adhibita, & arteria devincta atque præciſa fuit. Paulo accuratior enim Anatomicorum obſervatio docuit, arteriam brachialem ſubinde mox in ſumma humeri parte in duas dividi. Immo, ſi illa etiam indiviſa ultra articulum cubiti procedit, id quod frequentiſſimum eſſe videtur, ex ea tamen priuſquam dividitur, plures aliæ minores educuntur, quæ cum radiæa & ulnari committuntur. Nam & has duas arterias crebrius per alias minores inter ſe jungi, ſine dubio eſt. Accidere itaque poteſt, ut, ſi ſupra cubiti articulum etiam truncus arteriæ brachialis præcidatur, ſervari nihilominus brachium poſſit, quia per alias arterias, & vel per alterum brachialis truncum, ſi hæc ſuperius & jam in humero bifida fuit, vel per minores, quas VVINSLOVIUS collaterales vocat, *a* radiææ & ulnari junctas, ſanguis in membrum influere poteſt. Nam & illud non omittendum eſt, ſanguinem, ſi is copioſior per minores arterias, prævinctis vel compreſſis majoribus, in aliquam partem diffundi debet, ſuo impetu arterias non parum ampliare. Ex his intelligitur, in brachio, minimum niſi certa ſit deſperatio, experiendam eſſe aneuryſmatis chirurgiam. Nam, ſi illa etiam fallit, nihilominus ad ultimum auxilium, quo humerus præciditur, confugere poteſt chirurgus.

a VID. VVINSLOVV *Expoſ. des arteres* §. 134, 135, 136, 138, 139, 140, 143, 145, 160. & ALEXANDRUM MONRO *in the medical Eſſays d' Edinburgh*. Vol. II. Obſ. XVII. Tab. II.

§. 438.

Haud adeo multum veri aneuryſmatis curatio ab ea differt, quæ ſpurio adhibenda eſt, de qua, cum hoc frequentius ſit, prius dicam. Præparandum ad eam, ſi tempus id permittit, corpus ægrotantis eſt ſanguinis miſſione, alvi ductione, victu modico & ſalubri, & aquæ vel ptiſanæ potu. Oportet autem, antequam ſcalpellum adhibetur, faſciam tortilem, vel torcu-

lar, (237.) arteriæ (240, 249.) admovere, ne ſub chirurgia ſanguinis profuſio hominem exhauriat. Scalpello recto, non ancipiti, inciditur tumor, &, ut plaga latius pateat, in eam demittitur ſpecillum ſulcatum, & ſuper id forfex incurva, qua illa commode ampliatur. Plaga autem oblique facienda eſt, & quæ a radio incipit & ad condylum humeri internum ſpectat. Ex hac, quidquid cruoris coiit, extrahendum eſt. Quia etiam ſæpe cruor ſub illa aponeuroſi hæret, quæ ibi ex bicipite muſculo educta, muſculos & vaſa comprehendit, ea etiam incidenda eſt, ut omnis cruor eximi poſſit. Illa autem plagam tranſverſam deſiderat. Melius hæc fit, ſi brachium leniter inflectitur.

§. 439.

Prius vero, quo læſæ arteriæ vulnuſculum oculis pateat, illaque a ſectione tuta ſit, neceſſe eſt, paululum reſolvere tortilem faſciam, vel torcular, ut ſanguis erumpens illud oſtendat. Ubi id repertum eſt, oportet arteriam a prope ſitis venis nerviſque ſeparare, ſumma adhibita diligentia, ne quid harum, & ne aliqua ex minoribus arteriis, quas ſupra collaterales vocavi, lædatur; quare etiam ſanguis ſubinde linteolis (22.) extergi debet. Arteria vero ſic deoperta & ſeparata vinciri debet. Ob hanc cauſam tria lina cerata, ſatis valentia, conjiciuntur in acum incurvam majorem, quæ averſa trajicitur ſub arteria. Excogitaverunt alia ferramenta ad id idonea, & PETITUS acu lata ex argento fabrefacta utitur, qua & lina trajectantur & arteria ab aliis ſeparari poteſt. *Fig. XI.*

§. 440.

Lina vero ſic trajecta ita collocantur, ut duo eorum ſupra arteriæ vulnus, tertium infra illud, poſitum ſit. Devincitur vero arteria, & primum adſtringitur linum, quod proxime ſupra arteriæ vulnus eſt, & poſt etiam illud, quod infra iſtud hæret. Arteriæ enim etiam inferius linum injiciendum, quia ex dictis collateralibus arteriis ſanguis in hanc influere & periculoſam profuſionem movere poteſt. Tertium linum non adſtringitur, ſed in vulnere relinquitur, ut, ſi forte alterum a ſanguinis profluvio victum & e ſede ſua dimotum fuerit, il-

lud protinus adſtringi poſſit . Ne etiam injecta lina arteriam mordeant vel abrumpant , inter duo eorum capita , antequam deligantur , ponendi ſunt panniculi minores , quibus efficitur , ut lina mitius arteriæ inſideant . Cognoſcitur vero , arteriam recte devinctam eſſe , ſi , laxata faſcia tortili ea nullum ſanguinem fundit .

§. 441.

Quod ſi jam vulnus deligandum eſt , illud prius ſpongia alcohol madente extergitur . Brachium paululum inflectendum & ita inclinandum eſt , ut poſt commode ex cervice ſuſpendi & humerus ad latus deligari poſſit . Cum ad vulnus ventum eſt , ad latus arteriæ collocanda ſunt duo minora ſplenia , ſeu oblongi denſique panniculi , ſuper hos vero multa linamenta , & ſuper hæc fulciendi ſunt panni multiplices gradati . Hæc comprehenduntur alio panno , qui altera parte fiſſus eſt . Hujus vero , quod integrum eſt , vulneri imponitur , duobus autem capitibus membrum involvitur . Omnia hæc adſtringuntur faſcia , quæ non alia eſt , quam , qualem mox deſcripſi . (431.) Arteriæ in ſuprema humeri parte objiciendum eſt ſplenium . Brachium ita collocandum eſt , ut erectum ſit , non vero dependeat ; qua re etiam ſanguinis impetus non parum cohibetur .

§. 442.

Brachium , quod ſic deligatum eſt , plerumque non parum intumeſcit : quare , ne id gangrænæ opportunum fiat , petendum præſidium eſt , tum a ſanguinis miſſione victuſque ratione , tum etiam a medicamentis , quæ adverſus inflammationem poſſunt . Sed varietas rerum quaſdam etiam animadverſiones deſiderat . Si enim manus & inferius brachium multum calet , quæ res vehementiorem ſanguinis motum indicat , opportuna ſunt reprimentia . (76.) Sal ammoniacus & lithargyrium ex aceto cum aqua coqui poſſunt , & ex his fomenta ſuperdari . Ubi vero manus fere emortua videtur & frigida , & nullus arteriarum motus in ea percipitur , id quod crebrius accidit , ſi arteria brachialis devincta fuit , oportet frictionem adhibere & exterius tepida aqua , cui ſpiritus vini adfunditur , membrum diligentius perfricare . Illud enim tenendum eſt , magnum ti-

morem quidem esse, si post sectionem in manu nullæ arteriæ agitantur, certam tamen desperationem ideo haud esse. Nam aliquando, post viginti quatuor & plures horas, & arterias iterum attolli, & membro colorem naturalem reddi, observatum est.

Vid. exemplum ab ALEX. MONRO adductum *in the medical Essays* Vol. IV. Obs. XVII. p. 299.

§. 443.

Fascia, nisi aliud quid hoc requirat, ante quartum diem resolvenda non est. Hoc ubi fit, in promptu esse debet fascia tortilis, vel torcular. Nec removeri vel diduci debent linamenta, quæ vulneri inhærent, si ea non sponte excidunt. Aliena sunt ab initio digerentia, & quæ nimis molliunt: quare superinfundenda est essentia balsamica, qua etiam linamenta, si quæ imponuntur, madefacienda sunt. Lina numquam præcidenda sunt, sed relinquenda, donec excidunt. Cadit vero plerumque post plures dies prius illud, quod supra vulnus arteriæ erat, & pòst etiam alterum. Ubi tandem nullum ex sanguinis profusione periculum imminere videtur, necesse est, ut brachium subinde moveatur, atque ad usus promoveatur, ne per nimiam quietem contractus articulus fiat. Cum etiam inflammationis magnus timor sit, succurrendum est abstinentia, modicis & tempestivis cibis, aquæ potu, & omnibus, quæ adversus inflammationem valere jam sæpius retuli.

§. 444.

Si verum aneurysma adeo increvit & obcalluit, ut scalpelli auxilium desideret, eadem fere chirurgia necessaria est. Arteriæ enim, quæ heic ipsa intumuit, etiam vinciendo prospiciendum est: quare oportet eam prius & supra & infra tumorem lino constringere, pòst eam incidere & eximere ex tumore omnem cruorem. Confert etiam excidere & circumcidere, si qua vitiosa sunt, &, tum in dilatata arteria, tum in adipe & cute quæ alienata vel indurata sunt. Cetera in curatione similia his esse debent, quæ in altero genere aneurysmatis præcepi.

§. 445.

Sunt, qui in aneuryſmatis ſpurii curatione vulneratæ arteriæ objiciunt glebam ex vitriolo, cum illis difficile videatur, arteriam a nervo aliiſque partibus ſeparare & lino vincire. Hoc vero auxilium non ſatis tutum eſſe, ex ſupra dictis clarum eſt. (413.)

§. 446.

Poſt hanc curationem plerumque manet membro debilitas. Confert, illi torpenti infrictionem adhibere, & illud nervino unguento perfricare, etiam calida & ſpiritu vini inter ſe miſtis fovere, & præterea illud, ſi poteſt, per ſe, ſin minus, per alium movere. Exaſperanda etiam cutis eſt, vel urticis cæſa, vel admotis cantharidibus, vel ſinapi & ſimilibus.

§. 447.

Si vero ſanguinem mittenti forte accidit, ut arteriam incidat, hoc ex notis ſupra datis (353.) cognoſcere poteſt, &, ſi vas, quod ſanguinem fundit, digito premit. Si enim, eo ſupra vulnus compreſſo, ſanguis conquieſcit, lacerata eſt arteria. Nam ſi ex vena ſanguis fluit, illa infra vulnus premenda eſt. (408.) Ubi autem inciſa arteria eſt, non protinus ad ſanguinem ſupprimendum feſtinari oportet. Neceſſe enim eſt, multum ſanguinem ex ea effundi, quo impetus mitigetur & vulnus melius præcludi poſſit. Nec in hoc caſu extimeſcenda ægri imbecillitas eſt. Hanc tamen obſervationem adhibeat chirurgus, ut, ſi videat, ſuper arteriæ vulnus cutim in tumorem levari, quam primum arteriæ vulneratæ impoſitis pannis & adhibita eadem faſcia, quam aneuryſmati vero idoneam deſcripſi, proſpiciat. Prævidere enim poteſt, futurum eſſe aneuryſma ſpurium. Neceſſarium itaque eſt, ut ex alia vena inciſa non parum ſanguinis detrahatur. Ubi vero vulnus deligandum eſt, & in omni curatione, ea obſervanda ſunt, quæ in aneuryſmatis chirurgia neceſſaria eſſe propoſui.

DOLOR.

§. 448.

Vulnerum aliquando ingens dolor eſt, quem a nervis oriri, ſi ii valde intenduntur, vel ab acribus, rodentibus, ſiccantibus, pungentibus aliiſque graviter afficiuntur, nemo ignorat. Tela, glandes plumbeæ, maxime compreſſæ & aſperæ factæ, varii generis ferramenta, aliaque corpori illata, ſi intus hærent; cruor ſi in vulnere concretus remanet; pus ſi vel mora, vel ex corporis malo habitu, acre factum eſt, impoſita medicamenta acria, & ex his etiam mel, quod nervoſis locis alienum eſt, unguenta illita, ſi ea rancida fiunt, turundæ aliaque linamenta; ſi hæc ſuper vulnus non leviter poſita, ſed fulta ſunt, & alia dolorem faciunt, quem etiam adfert omnis inflammatio; ſi ex hac oræ vulneris intumeſcunt, & ob id nervi magis adducuntur atque tenduntur.

§. 449.

Acer vero acutuſque dolor exoritur, ſi aliquis nervus, non præciſus, ſed inciſus, vel cuſpide punctus eſt, qui oriri videtur, quia diſſectæ fibræ recedunt ac criſpantur, reliquæ autem, quæ integræ ſunt, ſic magis intenduntur.

§. 450.

Id autem non in nervis ſolum incidit, ſed etiam in ſedibus ac partibus nervoſis, præcipue in muſculorum tendinibus, quibus etiam illæ membranæ, ἀπονευρώσεις dictæ, adnumerari debent, quæ ex muſculis educuntur, vel has aliaſque partes cingunt. Ob hanc cauſam minoribus vulneribus, ſi his aponeuroſis muſculi bicipitis in brachio, vagina, qua utrinque muſculus rectus abdominis comprehenditur, nec non faſcia lata in femore, læſæ ſunt, & ſi forte teli, vel enſis obtuſioris, mucro in his deſedit, longe vehementior dolor majorque inflammatio ſubeſſe ſolet, quam vulneribus majoribus atque hiantibus, ſi hæc iſtæ partes acceperunt.

§. 451.

Vulnera, quæ gravi dolore urgentur, magna diſcrimina recipiunt. Dolore enim incenditur febris, illaque ex aliis cauſis, v. g. ex inflammatione, orta intenditur, eripitur ſomnus & ſequitur tandem nervorum diſtentio, nonnumquam etiam vulnus, increſcente inflammatione, gangrænæ opportunum fit.

§. 452.

Dolor itaque, a variis rebus ortus, variis etiam auxiliis levatur. Si eum aliena, quæ in vulnere hærent, inferunt, ea ejicienda ſunt. Si vulnus linamentis panniſque, vel adſtrictiore faſcia nimium premitur, neceſſe eſt, hanc reſolvi, & ea quæ premunt tolli. Quæ inflammatiis medentur, ſupra retuli. Inter ea ſanguinis miſſio primum eſt. Non parum etiam confert, ſi oræ vulneris, ex quo, pro ejus modo, parum ſanguinis fluxit, conciduntur, &, ſi iis imponuntur medicamenta, quæ molliunt atque digerunt.

§. 453.

Si prope vulnera ſedes quædam intumeſcunt, illæque dolent, confert illis imponere cataplaſmata, quæ duritiem emolliunt. Commodus etiam eſt uſus olei, quod roſam excepit, cui ſpiritus ardens adjicitur, qua mixtura dolentes tumidæque partes perunguntur. Hæc res abdomini valde utilis eſt, ſi illud vulneratum fuit. Si acrior ſanies vulnus erodit, vel huic impoſita ſunt medicamenta, quæ graviter offendunt, illud ſpongia detergendum eſt ex calida expreſſa. Ubi rancida vulnus afficiunt, ſpongia ſpiritu vini madens adhibeatur. Adverſus illum vero dolorem, quem rodentia intulerunt, valent linamenta, quæ digerunt, & ex horum numero unguentum album camphoratum. Superdari etiam poſſunt cataplaſmata.

§. 454.

Si vero malus corporis habitus eſt, & vitiati ejus ſucci vulnus corrumpunt & dolorem movent, quidquid medicamentorum imponitur, parum proficit, niſi humores purgentur. Oportet vero ſedulo obſervari, quæ ſupra (400.) præcepi. Cavendum etiam, ne valentioribus medicamentis, ad purgandos ſuccos datis, febris atque inflammatio intendantur, hiſque dolor au-

geatur. Ubi dolor vehementius urget, danda ſunt, ſic dicta, paregorica, emulſiones ex ſemine papaveris, addito nitro. In alvum immitti poſſunt lotiones ex lacte cum herbis emollientibus coctæ, addito oleo. Non ſemper tutum eſt medicamentis validioribus, & ipſo opio, ſomnum arceſſere.

§. 455.

At, ſi nervus vel punctus vel inciſus eſt, dolores conquieſcunt, ſi is totus præciditur. Nervis etiam ita læſis, medicamenta ſunt ea, quæ omnem ſenſum tollunt. Inter hæc optimum eſt oleum terebinthinæ, quod calidum frequentius infundendum eſt. Nec alienum eſt balſamum Peruvianum, ſi id alcohol excipitur. Cum his vulneri imponi poſſunt cataplaſmata emollientia & digerentia. Membro vero ipſi adhiberi debent fomenta, & ab initio, quæ nimium ſanguinis aditum ipſamque inflammationem avertunt ac reprimunt. (76, 77, 78.) Si vero hæc jam membrum tenet, alia, quæ diſcutiunt. (79, 80, 81.) Nec quidquam eorum auxiliorum, quæ maxime adverſus inflammationem valent, negligi debet. (62. ad 70.) Eadem curatio eſt tendinibus, ſi illi vulnere læſi ſunt. Si plaga, aponeuroſi illata, non ſatis patet, illaque inflammatur, (449.) ea protinus amplianda eſt.

NERVORUM DISTENTIO.

§. 456.

Nec aliam curationem deſiderat nervorum diſtentio, quæ ſæpe vulneribus ſupervenire ſolet, & plerumque vehementiores dolores ſequitur. Ubi vero illa ex magna ſanguinis profuſione oritur, utplurimum ad ultima ventum eſt; ſi tamen curationi locus tempuſque datur, non alia, quam, quæ ſupra retuli, (418.) proficiunt. Si quando autem homo convellitur, & vitium ex cerebro male adfecto proficiſcitur, illud, ſi res id patitur, exciſa protinus calvaria, tolli debet. Parum proſunt, immo quandoque valde nocent, medicamenta, quæ adverſus nervorum diſtentionem a nonnullis extolluntur.

TENDINIS SUTURA.

§. 457.

Tendo, qui præciſus eſt, ſi oræ non nimis inter ſe recedunt, ſed commode in unum attrahi poſſunt, glutinatur. Ubi vero tendinis diſſecti oræ, mediante faſcia, commode adduci nequeunt, is, ſi nihil præterea mali acceſſit, & ille nec colliſus eſt, nec ex eo quidquam deraſum, vel detritum, ſui debet. Oræ autem ſatis & ita jungendæ ſunt, ut illæ inter ſe ex toto contingant. Nam ſemper aliquid ex iis ſub reliqua curatione abſcedit. Comprehendi ſutura non ſolum tendo, ſed etiam cutis, debet, quam alii qui eam ſic lino devincire nolunt, prius incidunt. Conjicitur vero unum filum in duas acus ad hanc ſuturam aptatas. Eæ enim, quæ incurvæ ſunt, & non latæ, ſed valde tenuatæ, non in latere aciem habent, ſed habent acutam, tum partem gibbam, tum excavatam *a*. Acus ab interiori tendinis læſi parte in exteriorem immitti debet, & prius ſutura comprehendi ſuperior ora, quæ a carne dependet. Utrimque vero aliquid ex tendine ſutura includendum eſt, ut ea valentius hæreat, & ne ora filo rumpatur. Ubi prior acus ſic trajecta fuit, eodem modo per inferiorem oram altera acus, quæ idem linum trahit, ab interiore parte immittenda eſt. Linum vero adducitur & ejus capita ſuper ſpleniolum ex panno ſerico cerato in nodum nectuntur; id quod facilius fieri poteſt, ſi & membrum, quantum fieri poteſt, inclinatur, & tendo, præcipue ea parte quæ a carne venit, comprimitur.

a Vid. GARENGEOT *des Inſtruments* p. 206. Fig. 4.

§. 458.

Alii ſuturam, mediante una acu duo fila ducente, faciunt. Filorum fines ſic in nodum connectunt, ut anſa fiat. Poſt acum etiam, & quidem in altera exteriori in interiorem, in altera, ab interiori, ab ora in exteriorem, trajiciunt. In illam, quam dixi, anſulam panniculum ex panno ſerico incerato conjiciunt, deinceps in altera ora lina inter ſe juncta dividunt,

& etiam, poſtquam oræ adductæ ſunt, ſuper ſimilem panniculum adſtringunt.

§. 459.

Raro opus eſt illo ferramento, de quo alias (379.) retuli, cum acus plerumque facile ſequantur. Illæ vero, dum trajiciuntur, excipi poſſunt alio ferramento, quod cannulæ inciſæ figuram habet *a*. Melius vero acus trajectatæ excipiuntur digitis. Si plures tendines ſecti ſunt, crebrior etiam ſutura injicienda eſt.

a Vid. GARENGEOT *des Inſtr.* p. 223.

§. 460.

Vulneri ſuperdatur balſamum Peruvianum, quod ſpiritus vini excepit, balſamum de Mecha, eſſentia ſuccini cum oleo terebinthinæ, vel, quod fere optimum eſt, inſpergitur terebinthina cocta. Brachio vero adhibenda ſunt fomenta, quæ maxime adverſus inflammationem poſſunt. Valde neceſſaria eſt quies: quare brachium canaliculo continendum eſt, qui ex lamina ferrea ita accommodari debet, ut ex cervice ſuſpenſus, partem anteriorem, quæ digitis ſubjicitur, elatiorem, aſt mobilem, habeat, quo ii multum extendi & in poſteriorem partem fere inclinari poſſint. Canaliculus enim, in quo foramina ſunt, loris ſuis ad brachium deligatur *b*. Quamprimum tendinis oræ glutinatæ ſunt, canaliculi anterior pars reclinatur, digiti pedetentim flectuntur, ſutuſque tendo iterum adducitur ac elongatur. Si tendo in pede ſutus eſt, membrum continetur in ciſtula, quæ oſſibus fractis accommodata eſt, de qua infra dicendum.

b Vid. GARENGEOT l. c. T. I. p. 299.

§. 461.

Tendinem etiam Achillis, qui in corpore ex maximis eſt, huic curationi opportunum eſſe, quorumdam obſervationibus compertum habemus *c*. Ubi vero hic tendo ſine vulnere rumpitur, is, mediante faſcia, attrahi & ſic glutinari debet *d*.

c Vid. de ſutura, a GUIL. COVVPERO adminiſtrata, Tranſact. Angl. No. 252. p. 153. & in LOVVTHORPS Compendio T. III. p. 298. Tab. V. fig. 78. Conf. GARENGEOT *des Operat.* T. III. p. 267. Illam jam olim in ſectis cadaveribus obſervaverat VESLINGIUS in Obſ. XV. p. 89.

d Hunc tendinem rumpi posse, si homo valenter adductos musculos gastrocnemios atque solares præcipiti saltu repente deprimit, probaverat PETITUS *des Maladies des Os* T. II. Cap. XV. p. 289. & Comment. H. A. R. Sc. MDCCXXII. p. 68. Res in dubium vocata ab Auctore, qui contra PETITUM scripsit *Dissert. en forme des Lettres au sujet des Ouvrages de l' Auteur du Livre sur les Maladies des Os, Lettre V.* p. 261. Hanc observationem defendit PETITUS in libello, cui titulus: *Lettres de Mr.* PETIT *écrites à M. ---- Auteur de l' Extract du libre intitulé: Traité des Maladies des Os, inseré dans le Journal du 8. Mars* 1724. qui etiam novo exemplo rem confirmavit in H. A. R. Sc. MDCCXXVIII. p. 332. Aliam observationem prodidit JO: ADAMUS KULMUS in Dissert. de tendine Achillis rupto & arteriis in osseam substantiam degeneratis, Gedani, MDCCXXX.

§. 462.

Si tendo scalpelli acie punctus fuit, id quod sanguinem ex incisa vena mittentibus frequenter accidit, protinus imponi debent medicamenta, quæ nervis ita læsis idonea esse dixi. (454.) Quo vero avertatur sanguinis aditus a manu ad humerum, injicienda est fascia, cochleæ in modum sursum versum serpens. Ubi vero nihilominus inflammatio vulneri supervenit, lene digerens in vulnusculum conjiciendum est & super dandum cataplasma ex emollientibus, addito croco. Membro vero adhibenda sunt fomenta, quæ inflammatis medentur, & sedulo omnia observanda, quæ de hujus temporibus supra retuli.

VULNERA SCLOPETORUM.

§. 463.

Propria etiam quædam in vulneribus visenda sunt, quæ per glandes plumbeas & alia inferuntur, quæ ex sic dictis bombardis ac tormentis, mediante pyrio pulvere, jaciuntur. Hæc vulnera enim gravissima sunt & valde collisa. Nam oram habent, in qua carnes atque aliæ partes, quas glans illa penetravit, penitus conquassatæ & emortuæ sunt.

a Per glandes plumbeas aliaque, quæ ex sic dictis tormentis mittuntur, non semper vulnera fiunt, sed subinde colliduntur & quassantur sine his variæ sedes ipsaque ossa. De his vide, ubi de vexatis & fractis dicetur.

§. 464.

Colliduntur hæc vulnera perniciſſimo glandium aliarumque rerum ex tormentis miſſarum motu, non vero glandibus, ſi trajiciuntur, aduruntur. Olim falſam opinionem habuerunt, glandes accenſo pulvere pyrio calidas fieri & igneas.

Vid. PARAEUS L. X. p. 330.

§. 465.

Quia vero tanta vi tantaque pernicitate glandes feruntur, valentius commoventur omnes partes, quibus illæ illiduntur. Hoc ſi locis nervoſis incidit, graviſſima ſymptomata, ſtupor, torpor, mox acutiſſimus dolor, ſyncope, nervorum diſtentio, inflammatio, gangræna, ſequuntur. Nec parum confert animi perturbatio & terror, quo ictus homo plerumque perculſus eſt.

§. 466.

Ex his vulneribus, niſi major, vel arteria, vel vena, fuerit dilacerata, nullus, vel paucus ſanguis exit. Illa enim cruſta, quæ ex colliſis emortuiſque carnibus enaſcitur, vaſorum ora præcludit.

§. 467.

Ubi glans plumbea corpus, vel membrum, perrupit, vulnus ea parte qua glans venit, paulo depreſſius eſt, magis colliſum, & cum majori ecchymoſi, aſt minus. Nam in parte adverſa, in quam glans tetendit, vulnus magis diductum eſt.

§. 468.

Quædam tamen diſcrimina recipiunt vulnera ab ea re, qua illa fuere illata. Non parum enim confert figura. Glans plumbea, quæ rotunda eſt, ſi quam partem perrumpit, minus lædit, quam glans inciſa, vel aliud ferramentum anguloſum, ſcabrum & aſperum, quo omnia lacerantur atque dilaniantur. Parum refert, ex quo metallo ſint glandes, niſi in corpore relinquantur. Tunc enim minus offendit glans plumbea, quam ænea, vel quæ ex argento, quod multum æris habet, conflata eſt.

§. 469.

Non vero ſolæ glandes perrumpunt, ſed cum his ſæpe intus feruntur alia quædam, ex veſtibus laciniæ, nummi, aliaque, quæ illæ ſecum arripiunt. Hæc aliave in vulnera demerſa intus valentius inſident, quæ retenta magnam inflammationem aliaque ſymptomata movent.

§. 470.

Hæc vulnera ſolent eſſe cum magno tumore & multa ἐκχυμώσει. Sanguis enim ex ruptis vaſis effertur, quem vero ex vulnere exire illa cruſta prohibet. In majori vero ecchymoſi major gangrænæ timor eſt. Si autem ſupra vulnus repente major tumor fit, longe major metus eſſe poteſt, quia is plerumque nervum vel nerveam partem graviter læſam eſſe ſignificat. Si infra vulnus membrum intumeſcit, venas obſtructas eſſe intelligitur.

§. 471.

Si partes nervoſæ percuſſæ ſunt, æger vero non de acuto dolore, ſed de ſenſu obſcuro ac torpore conqueritur, membrum etiam gangræna periclitatur.

§. 472.

Non rarum eſt, in horum vulnerum curatione, poſt aliquot dies, & ubi ſanguis jam dudum conquieviſſe videtur, periculoſiſſimam & funeſtam profuſionem oriri. (405.) Cruſta enim, quæ laceratorum vaſorum ora præcludit, vel aucta febre, vel corporis & membri motu, vel ipſa etiam ſuppuratione, quandoque reſolvitur. Si igitur ſauciatæ arteriæ nondum glutinatæ ſunt, ſanguis cum periculo ruit, qui etiam difficilius, quam in aliis vulneribus, prohiberi poteſt.

§. 473.

Si in ægro, & præcipue in vulnerato membro, præter ſolitum attolluntur moventurque arteriæ, metuenda eſt, vel nova ſanguinis profuſio, vel gravior inflammatio.

§. 474.

Si nova & ingens inflammatio poſt quartum diem ex improviſo, & non apparente cauſa, majori impetu erumpit, vel aliquid in vulnere relictum eſt, (468.) vel læſa eſt pars nervo-

ſa, muſculi tendo, aut aponeuroſis, quæ res non ſine periculo eſſe ſolet.

§. 475.

Propter nervoſarum partium numerum gangrænæque metum membrum raro ſervari poteſt, ſi glans plumbea articulum perrupit, vel ſedem, quæ ab articulo propior eſt.

§. 476.

Quibus glans penitius & ad interiora viſcera penetravit, ita, ut hæc percuſſa ſint, eos in præcipiti eſſe, & raro ſaneſcere, compertum eſt.

§. 477.

Ubi vero aliquis ictus fuit, qui ſervari poteſt, protinus proſpiciendum eſt, ut glandes & alia, quæ, vulneri illata, intus hærent, (468.) ejiciantur. Ob id vero expedit, vulnus latius aperire, ut glebæ, & cetera, quæ ei inſidunt, commode, qua venerunt, excidere, vel a chirurgo abſque negotio revelli poſſint. Aliquando vero commodius eſt, id quod ſupereſt, aperire, eaque quæ inhærent, eximere. Obſervanda ſunt omnia, quæ ſupra (372, 373.) præcepi. Forcipes & alia ferramenta, quæ excutiendis extrahendiſque plumbeis glandibus adhibentur, cum & iis vulnera, ſi anguſtiora ſunt, vel laniari, vel minimum non parum offendi ſoleant, ſæpe parum utilia ſunt, niſi illa prius inciſa ampliataque fuerint. Præſtat igitur, ſi aliud quid hoc non impedit, vulnus ampliare, vel vulnus vulneri adjicere, quo locus laxetur, & ea, quæ inhærent, detegantur, atque facilius digito, vel iſtis ferramentis, excutiantur.

§. 478.

Non vero ob id ſolum amplianda plaga eſt, ſed etiam propter inflammationis metum. Si enim in his vulneribus ſanguinis parum fluxit, quia illa cruſta arteriarum venarumque ora præcludit, neceſſarium eſt, ut vulnus & latius aperiatur incidaturque, & ut ejus tota ora concidatur, quo ſanguis melius exire poſſit. Vulnus etiam nova ſectione ampliatum longe facilius ſaneſcit. Iſta autem habenda cura eſt, ne nervus, ne vena major, ne arteria lædatur. Nec tendo, niſi id valde neceſſarium, præcidi debet. Muſculus vero haud timide incidendus

eſt. Atque aponeuroſis majorem & tranſverſam, vel obliquam, plagam deſiderat.

§. 479.

Non raro, vulnera tranſverſa ſub cute feruntur. Expeditiſſimum eſt, in hæc ſpecillum demitti, ſupraque eam incidi. Si vero vulnus tranſverſum longumque non prorſus penetravit, ſed intra carnes deſiit, illud nihilominus ſpecillo ferroque perſequendum eſt. Si vero hoc ſatis tutum haud videtur, quia vulnus altius deſcendit, commodiſſimum eſt, ſpecillum demitti, & vulnus contra hujus caput altera parte incidi. Sic enim aliena melius excutiuntur. Nam, quamvis glans per totum membrum perruperit, nihilominus his vulneribus ſæpe inhærent laciniæ, aliaque, (468.) quæ periculoſiſſimam inflammationem movere poſſunt. Melius etiam in vulnus medicamenta demitti poſſunt. In id vero, quod tranſverſum eſt, conjici poteſt linum, quod medicamento illinitur vulneri idoneo, & quod quotidie ducitur ſic, ut vulnus ſubeat pars, quæ ſuperior fuit. Hoc linum non prius adducendum eſt, quam ſoluta inflammatione. Finis vero eſſe poteſt, ubi vulnus purgatum eſt, & glutinari ſine metu poteſt, in quo caſu plurimum confert, ſi media vulneris pars paulo magis premitur.

§. 480.

Interdum tamen vulnus latius aperiri non poteſt, quia jam majores arteriæ vulneratæ ſunt & ſanguinem fundunt. Ejus enim profluvio cruſta vincitur, id quod periculoſiſſimum eſt, quia hæc vulnera preſſum non ferunt, quo ſanguinem optime prohiberi ſupra retuli. (406.) Si is itaque periculoſius fluit, idque res permittit, arteriæ vinciendæ ſunt. Eæ vero, quia cruſta occuluntur, ſæpe nova ſectione prius detegendæ ſunt, quo melius apprehendi poſſint. Si vulnera in extremis partibus ſunt, hæc tutius peraguntur, ſi protinus faſcia tortilis, vel torcular, membro injicitur. Si alia parte in corpore vulnus eſt, & in hac arteria, ſanguinem fundit, illa ſic, ut in extremis, faſcia tortili premi nequit, quare experiendum aliud vincturæ genus eſt. Acus incurva major linum ſatis valens ducens ſub arteria trajicitur, & lini capita ſuper hanc & ipſam cutim inter ſe adſtringuntur. Sic tamdiu ſuperior devincitur arteria,

donec illi in ipſo vulnere, vel vinciendo, vel alia ratione, proſpicere & ſanguinem ſupprimere potuit chirurgus. (conf. 251.) Si vero arteria apprehendi & deligari haud poteſt, experienda ſunt medicamenta, & quidem ea, quæ ad ſupprimendum ſanguinem vehementiſſima ſunt. (409. ad 414.) In deſperatis enim caſibus etiam ad ea præſidia decurrendum, quæ, quamvis tuta non ſint, tamen aliquando proficiunt, cum obſcura & tenuis ſpes ſemper præferenda ſit certæ deſperationi. Si ex vulnere alto & tenui ſanguis cum periculo fluit, longe optimum eſt, illud latius aperire, & pòſt arteriæ admovere linamenta ex alcohol, vel alio liquore vehementiori ad ſanguinem ſupprimendum expreſſa, eaque demiſſo in vulnus digito tamdiu apprimere, donec ſanguis conquievit.

§. 481.

Ad reliquam vero curationem quod attinet, medenti ſcire neceſſarium eſt, hæc vulnera graviter colliſa eſſe, & ideo glutinari non poſſe, niſi fuerint purgata, id quod medicamentis pus moventibus fieri conſtat. (343.) Cum vero in his vulneribus id, quod putre eſt, procedat ſerpatque, digerentibus adjicienda ſunt alia, quibus purulenta curantur. Primo die imponenda ſunt linamenta pura; quæ vero molliter & ita faſcia comprehendenda ſunt, ut vulnus minime adſtringatur, vel prematur. In primis hæc optime conferunt, ubi vulnus latius apertum, & ejus oræ ad vivum uſque conciſæ (476, 477.) fuerunt: in hoc enim caſu alienus eſt ſpiritus vini, quo plures utuntur. Si vero, vel propter ſanguinis effluentis, vel aliud periculum, cruſta conciſa non fuit, ſed integra relicta, & multum eſt quod putreſcere poteſt, utendum mox ab initio medicamentis, quæ putre evincunt. Valentiſſimi generis ſunt alcohol & alii ſic dicti ſpiritus: quia vero hi nimium ſiccant, cruſtam duram reddunt & ſuppurationem cohibent, his præferri debent leviora. Inter hæc fere primo loco eſt aqua, ſic dicta, vulneraria, quam vero minus valentem, vel ſpirituoſam, eſſe oportet. Alcohol etiam, ſi illa deficit, poteſt cum aqua miſceri & ſuperdari. Ubi autem vulnus multam carnem corruptam habet, & metus eſt, ne id putreſcendo intendatur, valentiora reprimentia & liquores ſpirituoſos requirit.

§. 482.

Etiam, ubi ſanguinis profuſio timetur, illa quæ humectant & molliunt, & quibus cruſta reſolvi poteſt, aliena ſunt. Itaque & in hoc caſu imponi debent linamenta, vel ex alcohol expreſſa, vel terebinthina cocta conſperſa.

§. 483.

Vulnus, cui nihil aliud, nec ſanguinis profuſio, nec major inflammatio, nec dolor, nec febris acceſſit, impoſitis linamentis puris ſic per biduum haberi poteſt, & pòſt demum reſolvi, atque pus, quod moveri cœpit, extergi. Illinenda hoc tempore imponendaque, atque in altiora vulnera demittenda ſunt medicamenta, quæ concoquunt & pus movent (384. ad 394.) Si vero oræ putreſcere videntur, & vitium ſerpere, his adjicienda ſunt valentiora, quæ adverſus gangrænam utilia eſſe ſupra retuli; (192. ad 197.) nec non alia, quibus cruſta putris reſolvitur. (198. ad 203.) His, ſi vulnus purgatum eſt, illud debet impleri, & tandem glutinari; quæ res non aliam curationem poſtulat, quam, qualem aliis vulneribus adhibenda eſſe propoſui. Hæc vulnera alia eſſe in carnoſis, nervoſis, aliiſque ſedibus, in corpore raro vel adſtricto, hieme & vere, in loco ſalubri vel gravi, compertum eſt, quibus omnibus accommodanda eſt curatio.

§. 484.

Sæpe accidit, ut a retenta mala materia, &, ſi hæc ſibi in tunica celluloſa, quæ ſub cute & inter muſculos eſt, viam fecit, nova oriatur inflammatio. In hoc caſu expeditiſſimum eſt, in hunc ſinum demittere ſpecillum & ſuper id cutim incidere, vel ſi is longior eſt, altera parte ad ſpecilli caput cutim incidere. Sic enim avertitur inflammatio, & vulnus citius ſaneſcit. Ubi longior ſinus altera parte inciſus eſt, is trajecto lino purgari poteſt, & glutinari impoſitis pannis & paulo adſtrictiori faſcia. (478.)

§. 485.

Si glandis plumbeæ ictu os aliquod totum perfractum eſt, raro membrum ſervari poteſt, cum plurima fragmenta, eaque ſæpe acuta, ex fracto oſſe recedant, quibus, velut aculeis, perioſtium carneſque ita vexantur, ut magna moveatur inflammatio. Et, ſi etiam hæc ſolvi potuiſſet, æger nihilominus ex ma-

gna, quæ inflammationem ſequi ſolet, ſuppuratione periclitaretur. (87.) Itaque, ſi vehemens vulnus & os juxta ipſum articulum ictum eſt, oſſiſque colliſi fragmenta plura ſunt, eaque multum inter ſe receſſerunt, membrum præcidi fere neceſſe eſt. Hoc enim protinus fieri debet, antequam inflammatio, & ex hac febris incitatur. Non vero illud os, quod ictum eſt, præcidi debet, ſed alterum os, quod ſupra articulum, & ſanum eſt. Nam timor eſſe poteſt, ne tendinibus & ligamentis ſub articulo graviter percuſſis magna ſuperveniat inflammatio, ex qua plura majoraque pericula enaſcuntur. Nonnumquam etiam os ad articulum uſque finditur, & vel ob id ſervari nequit. Hujus rei notæ ſunt, ſi perioſtium alia parte, quam, qua ipſum os ictum fuit, inflammatur. Pauca vero fragmenta, ſi ab oſſe receſſerunt & eminent, in ſuas ſedes reponenda ſunt. Si vero parvula fragmenta recondi nequeunt, illaque nudata ſunt, neceſſe eſt ea, ſi ex membranis dependent, abſcindere. Nam, quia illa ex perioſtio hærent, ea abrumpere & vi diducere, periculoſum foret. Quæ abſcindi nequeunt, emoriuntur, & reſolutis per medicamenta membranis per ſe excidunt. Ubi majora fragmenta eminent, quæ recondi nequeunt, illa ſerrula, vel forcipe præcidi debent. Si vero membrum ictum oſque fractum fuit, integra manente cute, curatio eadem eſt, quæ, ubi os alia ratione fractum fuit. Si enim fragmenta ſub cute eminent, quæ carnes vulnerant, id quod ex dolore & punctionibus cognoſcitur, illa iterum in ſuam ſedem dari oportet. Nam, ſi hoc fieri poteſt, neceſſarium non eſt carnes contra incidi; ſæpe vero neceſſe eſt, ut concidatur vexata colliſaque cutis, quo quieſcens corruptuſque ſanguis exire poſſit, ne extrinſecus moveatur inflammatio. Perioſtium, ſi alienatum, vel inflammatum eſt, protinus etiam concidendum eſt, ne inflammatio pus alat. Cetera, quæ agenda ſunt, exponam, ubi de oſſium morbis dicetur.

Vid. LE DRAN *Traité des plaïes d'armes à feu.*

ARTICULORUM VULNERA.

§. 486.

Vulnera etiam mala eſſe, ſi mucro enſis vel alius teli, uſque ad articulum deſedit, vel, ſi hunc glans plumbea perrupit, jam alias retuli. (357, 474.) Periculum enim faciunt, & magnus tendinum numerus, ligamenta, glandulæ mucum in articulum ſecernentes, & ipſe humor, qui, tum ex his glandulis, tum ex ligamentis, in articulum defluit. Crebrius etiam oſſa & horum apophyſes atque epiphyſes franguntur. Si grave atque colliſum vulnus eſt, magniſque periculis expoſitum, membrum, antequam id per inflammationem intumuit, præcidi neceſſe eſt. (474. 484.) Difficillimam etiam curationem habent vulnera, quamvis minora, ſi penitus in articulum penetraverunt, cum hæc vulnera ampliari haud commode poſſint. Fere tolerabiliora ſunt majora latiora, & ex quibus etiam notabilis ligamentorum pars abſciſſa, vel telo atque glande lacerata fuit *a*. Tutiſſimum omnium vulnus, quod in ſumma parte eſt, & per illud ligamentum, quo articulus continetur, *capſulare* vocant, non penetravit.

a LE DRAN *des plaïes d'armes à feu* pag. 199.

§. 487.

Ex his vero vulneribus, præterquam quod in iis majores dolores inflammationeſque maturius excitantur, humor effertur craſſior, glutinoſior & ſubalbidus, mellique albo ſubſimilis, μελίκηρα, vel ſynovia, dictus. (357.) Is vero humor vulnera ſanari prohibet & difficilius ſupprimitur. Tandem, dum ille ſic diu fertur, vetuſtas ulcus occupat; cui, ſi callus inducitur, ad fiſtulam tranſitus eſſe conſuevit. Si etiam vulnus ſanari potuit, manet plerumque articulus cicatrice contractus, ita, ut membrum extendi atque contrahi haud poſſit.

§. 488.

Si igitur, articulo percuſſo, ſpes eſt, membrum ſervari poſſe, plaga, quantum res permittit, incidenda eſt; &, ſi ecchymoſis eſt, vulneris oræ concidendæ ſunt, quo humori exitus detur. (477.) Membro adhibenda ſunt fomenta, quæ adverſus inflammationem maxime poſſunt. Vulneri vero imponenda eſſen-

tia balſamica, ita, ut hæc plurimum ſuccini habeat, (387.) eſſentia gummi elemi, maſtichis. His vulneribus inimica ſunt digerentia, quibus omnia, quæ intus in ligamento ſunt, laxantur, ita, ut ille humor (486.) copioſior efferatur. Nocent fomenta humida, vel nimis mollientia, ſi extrinſecus articulo ſuperdantur. Aliena quoque ſunt acria. Oportet autem, præcipue in his articulorum curationibus, vitare & aëra & frigus, quibus vel maxime eorum vulnera infeſtari ſolent. Nec medicamenta, quæ vel vulneri imponuntur, nec ea, quæ ſuper id deligantur, alia eſſe convenit, quam calida.

VULNERA, QUÆ VIRUS HABENT.

§. 489.

Vehementiſſima vulnera ſunt, per quæ virus quoddam, quod iis inhæret, corporibus inſeritur, & celerius per hæc diffunditur. Aliquando enim hominem telum venenatum percuſſit, aliquando eum vipera, ſerpens, vel rabidum animal momordit, aliquando is a ſcorpione ictus eſt: quæ omnia vel maxime terrere poſſunt, & non nimium diſtantem curationem deſiderant. Accidere etiam poteſt, ut vulneri, in quo nihil virulenti eſt, quædam imponantur, quæ naturam veneni habent.

§. 490.

Solet autem fere frequentius evenire, ut hominem vipera percutiat. Hoc animalis genus virus, quod in peculiari glandula ſecretum in aliquo receptaculo reconditum hæret, per dentes excavatos in os eo tempore exprimit, quo animal iiſdem dentibus aliquid corripit. *a*

a Rerum naturalium inveſtigatores probant, hunc ſuccum, qui plurimis aliis animalibus exitiabilis eſt, his neceſſarium eſſe. Viperas enim docent, aliis animalibus, iiſque pro modo eorum majoribus, ali ac ſuſtineri: hæc morſu correpta celerius veneno debilitari & extingui, quæ alias vel luctando vel fugiendo ſe eripere poſſent. Quia etiam viperæ ſerpenteſque ea, quæ deglutiunt, non prius mandunt & extenuant, hunc cibum veneno imbutum celerius in illorum viſceribus emolliri atque ſolvi, ut melius per univerſum corpus dividi poſſit. Vid. MEAD de venenis p. 6. Succum illum innocentem eſſe, exiſtimavit CHARRAS, in novis de vipera experimentis, qui venenum in efferatis ſpiritibus hujus animalis quærendum eſſe cenſuit; ſed hanc ſententiam novis experimentis confutavit FRANCISCUS REDI *in Oſſervazione, ed in Lettera ſopra alcune Oppoſizioni fatte alle ſue oſſervazioni intorno alle vipere*. Conf. ANTONII VALLISNERI *Oſſervazioni varie* No. 42. in Opp. T. III. p. 229.

§. 491.

Scorpio in extrema cauda aculeum habet intus cavum utrimque e latere perforatum, ex quo etiam venenatus ſuccus in vulnera iſta aculeo impreſſa deſtillat. *a*

a Vide varia experimenta cum ſcorpionibus facta & hunc aculeum delineatum in H. A. R. Sc. MDCCXXXI, p. 318.

§. 492.

Raro apud nos chirurgi operam deſiderant vulnera, per alia animalia, terribiles angues etiam, inſecta, corpori ictu morſuque illata. Nam ea noſtræ terræ vel peregrina ſunt, quæ æſtuoſis locis gignuntur, vel tantam vim nocendi non habent. Rarior etiam, niſi inter barbaros, telorum venenatorum uſus eſſe ſolet.

§. 493.

Hominem autem, qui vulnus, quod virus habet, accepit, præcipue, quem vipera percuſſit, mox pallor decolorat: color vero, qui ab initio pallidus eſt, mox in luteum, & eum mutatur, quem habent, qui morbo regio ægri ſunt. Arteriæ protinus langueſcunt & earum pulſus fiunt debiles, inæquales, ſæpe intermittentes. Homo inhorret, partes membrorum extremæ inalgeſcunt, totumque corpus ſudore frigido manat. Crebrius linquente animo, tandem ſupervenire ſolet nervorum diſtentio. Cum his omnibus etiam alvus, quæ vehementius fluit, & crebrior vomitus ægrum fatigant. Alii ardentibus ſiti faucibus horrore intremiſcunt, inexpugnabili dormiendi neceſſitate urgentur, tandemque convulſi, repente jugulantur.

Vid. CHARRAS l. c. p. 155. *Deſcription des Isles de l'Amerique* par le P. LABAT T. I. Cap. VII. p. 161. confer *the Philoſophical Tranſactions* Vol. XXXIX. No. 433. p. 313.

§. 494.

Quo magis vero ira & rabie percitum fuit animal, quod ictu læſit, eo vehementius vulnus eſſe conſuevit. In propinquum etiam & extremum fere diſcrimen adducitur homo, cui nervus, vel tendo percuſſus eſt. Minus vero lædit animal, quod jam aliquoties momordit, & majorem illius ſucci partem expreſſit.

§. 495.

Illud vero ignorari non oportet, omnia venena non ſemper, nec omnibus hominibus nocere. Aliquando enim ſine noxa &

viperæ ſerpenteſque momorderunt. Raro virulentus eſt ſcorpionis ictus, nec rabidi animalis morſum ſemper hydrophobia ſequitur. Hæc enim res plures decepiſſe videtur, qui varii generis vaniſque medicamentis & aliis auxiliis, quibus in his caſibus uſi ſunt, multum tribuerunt, & plures, qui ex inani perſuaſione eamdem curandi rationem ingreſſi ſunt, deceperunt. Sæpe enim ſibi aliiſque perſuaſerunt, ſe medicamentis adjutos fuiſſe, qui etiam ſine his incorrupta ſanitate fuiſſent.

a Vid. H. A. R. Sc. c. I.

§. 496.

Feſtinantius agere oportet chirurgum, qui his opitulari debet. Ubi igitur quis ictus morſuſque fuit, expedit, protinus & ſine mora digitum, vel aliud membrum, ſupra vulnus, lino adſtrictiori deligari, non tamen nimium, ne torpeat, vel gangræna periclitetur: pòſt vero vulnus crebrioribus & altioribus plagis concidi, quo plurimum cruoris effluat, & virus poſt hæc extrahi.

§. 497.

Ad id vero homo adhiberi poteſt, qui vulnus exſugat, quod ſine ſummo diſcrimine fieri nequit. Nam talem oportet os ſanum, nullumque in gingivis, palatove, aliave parte oris, ulcus habere. Virus enim non guſtu, ſed in vulnere nocet *b*. Ubi nemo hanc audaciam habet, ut vulnus exſugat, cucurbitula admoveri, & mediante hac, venenum cum ſanguine ex conciſo vulnere extrahi poteſt. Si vero locus cucurbitulæ opportunus haud eſt, expedit, vulnus, demiſſo in illud candente ferramento, vehementius adurere, & pòſt cruſtam, impoſitis medicamentis, quæ digerunt, reſolvere, diu etiam ulceri ſuperdare, quæ pus movent, illudque iterum adurere, vel ſcalpello exaſperare. Nam plagam diutius patere neceſſe eſt.

b Inter veteres Pſylli, Lybiæ, & Marſi, Italiæ populi, hominibus ſerpente ictis vulnus exſugendo mederi ſoliti ſunt, qui, ſibi hoc gentilitium eſſe, aliis perſuaſerunt. Sed de his recte judicat CELSUS L. V. cap. 27. eos non præcipuam ſcientiam habuiſſe, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Vide de his PLINIUM L. VII. C. 2. p. 371. A. GELLIUM L. XVI. C. XI. In Helleſponto circa Parium fuerunt ὀφιογενεῖς, de quibus opinio erat, eos ſerpentium ictus contactu levare, & manu impoſita venena extrahere poſſe. Vide STRABONEM L. XIII. p. 880. PLINIUM l. c.

§. 498.

Ubi vero vulnus non aduſtum, ſed conciſum fuit, illud eluen-

dum eſt aqua, quæ ſalem, nitrum & theriacam excepit; pòſt vero imponenda ſunt medicamenta, quæ molliunt & pus movent, (91. 92.) malamque materiam evocant. Ad hoc idonea ſunt cataplaſmata ex farina cum lacte cocta, additis caricis pinguibus fermentoque panis. Vulnus non niſi poſt longam ſuppurationem, glutinari debet; membro autem interea adhiberi fomenta, quæ adverſus inflammationem valentiora ſunt.

§. 499.

Medicamenta autem dari debent cardiaca & alexipharmaca, quorum ſalubris effectus eſt, ſi ſudorem per omne corpus diffundunt. Quare neceſſe eſt, ut æger, ſtragulis bene opertus, ſe contineat, &, ubi ſudor omnis finitus eſt, ut linteo tepefacto omnia ſua membra detergat. Vulneri, quod vipera fecit, præcipuum medicamentum eſſe dicitur ſal viperæ, cujus drachma ex juſculo calido ſumitur. Theriaca, antidotum Mithridatis, aliaque, quæ corpus adverſus venenorum pericula tutum reddere vulgo creduntur, ſæpe fallere ſolent; nec aliis quæ vulgo laudantur, antidotis fides habenda eſt, quibus, cum a circulatoribus extollantur, vulgus ſuam credulitatem addicere haud veretur.

§. 500.

Haud ita pridem tamen adverſus viperarum morſus antidotum inventum eſſe dicitur, cujus virtuti, cum ea claris experimentis cognita probataque videatur, vix omnis fides deroganda eſt. Homo enim, qui ſibi ipſi viperam ad digitum admovit, hujus morſu ita vulneratus fuit, ut de vulnere ſanguis ſtillaverit. Ictus homo acerbum acutumque in brachio dolorem ſenſit, & mox omnia ea paſſus eſt, quæ vipera morſis accidere ſolent. Oculorum fuit frequens motus & delacrymatio, in pectore atque præcordiis dolor & anxietas, ſpirandi difficultas, animi defectio, ſudor frigidus. Brevi pòſt abdomen intumuit, in eo tormina & in lumbis vehementior dolor, ac cum his crebrior vomitus atque dejectio fuerunt. Inter hæc oculi caligaverunt & convulſi ſunt ita, ut ægro omnia, quæ ejus conſpectui expoſita erant, duplicata viderentur. Tandem poſt unius & quadrantis horæ ſpatium totum brachium oleo olivarum ſuper ignitabulum perunctum & bene manibus pertractatum fuit, ex quo & dolor, & reliqua de quibus conqueſtus eſt æger, ſe remiſerunt; qui ſomno oppreſſus, ad alterum diem arcte & graviter dormivit atque con-

valuit *a*. Novo etiam experimento, Dreſdæ facto, hujus antidoti ſalubritas comprobata fuit. *b*

a Hæc experimenta coram ſociis Regiæ Britannicæ ſocietatis Anno MDCCXXXIV. d. 1. Julii facta ſunt. Vid. the *Philoſophical Tranſactions* Vol. XXXIX, l. ſ. c.

b Vid. Cel. ABR. VATERI Diſſ. de Antidoto novo adverſus viperarum morſum præſentiſſimo in Anglia haud ita pridem detecto, W. MDCCXXXVI.

§. 501.

Ex morſu animalis rabioſi ſequitur aquæ timor, ὑδροφοβία Græci appellant. In hoc ſimul homo & ſiti & aquæ metu cruciatur, qui ipſe in rabiem efferatus tandem gravi & miſera morte extinguitur. Virus hoc, ſi corpori infuſum eſt, non ſtatim tetros hos cruciatus ciet, ſed ſæpe per longum ſatis tempus ei ſine noxa inſidet & quaſi compreſſum eſt. Tandem improviſo dirum illud valetudinis genus advenit atque ita increſcit, ut ægrum intra paucos dies rapiat. Non ſolo vero morſu nocent animalia rabida, ſed, cum ſanguis & omnis eorum humor, præcipue autem ſaliva, hoc veneno infecta ſit, homo etiam ſaniſſimus in hunc morbum præcipitatur, ſi ejus humoribus, præcipue ſalivæ & ſanguini, vel minima pars corrupti ſucci admiſcetur.

Canem ex devorato ſanguine hominis hydrophobia laborantis rabioſum factum eſſe, teſtatur LEMERY in H. A. R. Sc. Anno MDCCVII. p. 31.

§. 502.

Ex variis vero occaſionibus rabies animantibus venire poteſt. Si ea, & præcipue canes catenis vincti, flagrantiſſimo æſtu & apricatione torrentur. Si his potui dantur aquæ graves & putres, ſordibus ac vermibus ſcatentes. Si, denegato potu, diutius atque ardentius ſitiunt. Si aluntur putribus carnibus offibuſque, lardo rancido. Si ex his & aliis cauſis vermes in renibus aliiſque viſceribus naſcuntur.

§. 503.

Si vero in hominem labes data fuit, & ex eâ jam morbus venit, ille incipit ab inſueto moleſtoque dolore illius membri, quod morſu læſum fuerat. Cum his præcordia dolent atque intenta ſunt, æger ſomno ultra debitum urgetur, qui torpor ſoporque interdiu noctuque continuat. Mens vero falſis & mendacibus viſis lymphaticiſque ſomniis concitatur. Æger, ubi mens conſiſtit, difficulter fert morbum, ſumma animi ægritudine premitur & angoribus excruciatur, nec ſine difficultate & anhela-

tione ſpirare poteſt. Ubi morbus increſcit, oritur aquæ omniumque fluidorum metus, adeo, ut ſi oculi aquæ ſplendore, aureſque ejus motu & ſtrepitu, vel parum adficiuntur, homo convellatur. Interea fauces urit anheloſa ſitis, quam, propter illam ὑδροφοβίαν, nulla potione luere vel extinguere poteſt. Vomit multa bilioſa, genitale membrum tentigine laborat, & mens vanas imagines accipit, inſania tamen ſe per momenta temporis remittit. Tandem autem is violentius ſe gerit, furit, mordet, linguam tumidam, nimia ſiccitate aridam, fiſſam, ex ore exſerit, defluentem ſalivam devorare nequit; ſi loquitur, vox nihil ſignificat. Sub finem, poſt frequentem nervorum diſtentionem ſpiritus frigidus vix trahitur, & prorſus intercluditur, atque æger ſtrangulatus quarto circiter die extinguitur.

§. 504.

In corporibus poſt obitum inciſis fauces inflammatæ, ventriculus bilioſis glutinoſiſque plenus, fel copioſum & atrum, & viſcera omnia quaſi arida reperta fuere. Sanguis vero in toto corpore tenuis fuit, qui nec frigore cogi potuit *a*.

a Vid. H. A. R. Sc. MDCXCIX. p. 55. Negat tamen ROLFINCIUS, in inciſis cadaveribus fauces inflammatas inveniri. Vid. ejus Diſſ. Anat. L. I. C. XIII. p. 179.

§. 505.

Omnibus hoc morbo oppreſſis ſpes in anguſto eſt, certa vero deſperatio, ſi is præſens invaluit. Malum eo vehementius, eoque certius periculum adfert, quo efferatiori rabie agitatum fuit animal, quod momordit. Multum ad hæc conferre anni tempus, ætatem, corporis habitum, victum & alia, jam aliquoties poſui.

§. 506.

Si vulnus tale curandum accipit chirurgus, feſtinantius omnia agere debet, quæ de aliis venenatis vulneribus (495, 496, 497.) præcepi; in alienum vero & mortis periculum injiceretur homo, qui tale vulnus ore exſugere auderet. Sudor eliciendus eſt, non vero calidis medicamentis, quæ in hoc morbo peſtifera ſunt, ſed dato aceto bezoardico & calida aqua. Æger vero ſtragulis bene opertus ſe in lectulo continere, vel corpus in balneum non nimium fervens demittere debet. Poſt ſudationem non aliena ſunt catharctica, quæ ſupra adverſus inflammationem utilia propoſui. (63.) Neceſſaria eſt abſtinentia, victus dandus eſt modi-

cus, acidulus. Potioni idonea eſt, vel frigida aqua, vel ptiſana ex hordeo cum ſucco citri. In alvum immitti debent lotiones, quæ multum ſalem nitrumque habent. Veſtimenta quibus ſaliva adſperſa fuit, protinus abjicienda ſunt.

§. 507.

Vetuſtiſſimorum auctorum experimentis compertum eſt, optimum remedium ad avertendam ὑδροφοβίαν eſſe, hominem in mare, vel piſcinam projicere, eumque modo merſum bibere pati, modo, ſi habet, attollere, interdum deprimere, ut invitus quoque aqua ſatietur *a*, qua re aquæ metus tollitur. Melius vero erit, hominem, non opinantem, in aquam, etiam non proviſam, præcipitare. Qui vero ſic in aqua frigida vexatus fuit, eum pòſt lectuli calore fovere oportet.

a CELSUS L. V. C. 27.

§. 508.

Si morbus jam tenet, omnis fere ſpes præcluſa eſt. Ubi tamen nullum aliud auxilium apparet, ſanguis ita mittendus eſt, ut detractio hominem imbecillum faciat, pòſt vero is in aquam demittendus, (505.) vel, palo alligatus, copioſiſſima aqua onerandus eſt. Nec extimeſcenda eſt nervorum diſtentio, quæ his vehementiſſima eſſe conſuevit. Nam aliquando æger, omni vitali virtute fracta, animo linqui deprehenſus eſt, qui, ubi ad ſe rediit, aquam ſine horrore tolerare potuit. *b*

b Vid. H. A. R. Sc. Anno MDCIC. c. I.

§. 509.

Et contra hoc virus plura a variis auctoribus propoſita ſunt ἀντίδοτα, & ita laudata, ut magis, quid quiſque perſuaſerit ſibi, appareat, quam, quid evidenter compererit: de quibus videndi, qui alteram medicinæ partem perſecuti ſunt. Mihi tamen imperare non poſſum, quin addam illud, quod non ita pridem Celeberrimus Vir RICHARDUS MEAD publicavit. *c*

c Hoc remedium jam olim deſcriptum in Tranſactionibua Anglicanis No. 237. vid. LOVVTHORPII Compendium Vol. III. p. 284. repertum fuerat a DAMPIERIO, nautico illo homine celebri, & ab illuſtri JOHANNE SLOANIO publici juris factum, a MEADIO vero, ut fertur, variis experimentis comprobatum. Ante omnia vero homini, quem canis rabioſus momordit, ſanguinis unciæ novem vel decem detrahendæ ſunt. Pòſt componi debet pulvis, qui habet unciam ſemis herbæ lichenis terreſtris aridæ & bene contritæ, piperis vero nigri drachmas duas. Hic pulvis in quatuor dividendus eſt, & homo per quatuor dies, non capto ante cibo,

vel potu, pulverem ſumat illumque majori lactis tepidi potione diluat. Devoratis his pulveribus, per menſem ſingulis diebus multo mane jejuno ſtomacho in balneum frigidum ire, eoque ita uti debet, ut is in aqua totus demergatur. Mox vero, ſi ita ei ſubmerſum etiam fuit caput, is protinus auferendus eſt, ne frigus capiti noceat. Per alios quindecim dies balneo utatur tertio quoque die. Vid. *la Bibliotheque Britannique T. VII. p.* 205. Ex aliis obſervationibus, quæ a Medico Lichfieldenſi, ROBERTO JACOBO, factæ ſunt, turpethum minerale non hominibus ſolum, ſed etiam ipſis canibus, hac dira rabie inflammatis, medicamentum eſſe dicitur; quod non ſolum eos a periculo tutos præſtare poſſit, ſed etiam ipſi morbo, ſi is jam & hominem & beſtiam tenet, mederi. Vide illius Epiſtolam ad JO. SLOANE in Tranſact. N. 441. Anno MDCCXXXVI. p. 244. Uſus experiendo edocebit, quale pretium his omnibus ſtatuendum ſit.

VULNERA CAPITIS.

§. 510.

Prævisis omnibus, quæ ad univerſa vulnerum genera pertinent, & in quamlibet partem corporis incidunt, ad ea veniendum eſt, quibus ſingulæ partes ſedeſque læduntur. Nulla vero horum, neque genere vitii, neque ratione curationis, adeo inter ſe diſtant, quam, quæ capiti inferuntur. Ad hæc enim referri etiam ſolent illæ plagæ, quibus calvaria colliditur, finditur, atque perfringitnr, & quibus etiam cerebrum ejuſque membranæ læduntur, quas cum ſummo periculo eſſe nemo ignorat.

§. 511.

In capite vero vulnerari poſſunt cutis, adeps, muſculi & horum aponeuroſes atque tendines, pericranium, quod etiam muſculos temporales comprehendit, & altera membrana, perioſtium dicta, quæ proxime calvariam cingit & ſub dictis muſculis condita eſt. Præterea percutitur varia ratione calvaria, & læduntur etiam cerebrum, hujuſque membranæ. De vulneribus, quæ in facie, oculis, aliiſque ſedibus ſunt, ſeorſim dicendum eſt.

§. 512.

Nonnumquam accidere poteſt, ut homo, cujus caput graviter percuſſum fuit, mox mortuus concidat, in cujus etiam corpore inciſo nihil invenitur, quod tam ſubitam mortem adferre potuiſſet. Nam in his caſibus nec ille locus, qui extrinſecus ictum excepit, intumeſcere ſolet. Tales enim momento temporis exanimantur, quia cerebrum & cerebellum ex ictu vehementius commotum fuit *a*, & compreſſa ſunt eorum nervorum initia, qui ad viſcera pertinent, & in his vitalem motum præſtant.

a Commotio cerebri dicitur, quando ab ictu, calvariæ illato, vel casu ab alto, vehementius concutitur & commovetur τὸ ἐγκέφαλον. Jam id cognovit HIPPOCRATES Sect. VII. Aphor. 58. de morbis L. I. Sect. IV. T. II. p. 4. & Coac. prænot. n. 370. T. I. 572. Cerebrum etiam aliis occasionibus commoveri potest, e. g. si homo collectione spiritus plenus ita sternutat, ut totum corpus vehementius concutiat. Vid. DURETI Comment. in Coacas. p. 408. Ab hac cerebri commotione oriri videntur illa, quæ homini mox post acceptam plagam accidunt, si protinus ei omnia, quæ oculis obversantur, velut aliquo turbine, circumaguntur, si ipsi oculi obcæcantur, aliique sensus obtunduntur. Sic ictus homo interrogatus non respondet, obmutescit, concidit, bilem vomit & sine sensu, quasi dormiens, jacet. Si enim talia post aliquod tempus contingunt, ea ab humore, ex ruptis venis emisso & cerebrum premente, proficiscitur. Accidere vero etiam potest, ut vasa propter solam cerebri commotionem rupta sint. Id ex eo discitur, quod quandoque in calvaria nulla rima reperitur, sub ea vero multus humor concretus. Immo cerebrum longe valentius commoveri, si os vel totum integrum manet, vel parum finditur, minus, si hoc perfringitur, probabile est. Ultimum enim si incidit, os, quod sic motum excipit, dum frangitur, hujus vehementiam solvit, quæ alias ad partes, quæ intus sunt, transferretur. Vid. LE DRAN Obs. T. I. pag. 111. At enim cerebri commotio, præcipue in casibus forensibus, tunc sæpe pro causa apprehenditur, quando in defunctis, qui protinus post ictum animam amiserunt, nec ossis fractura, nec concretus cruor, nec aliud quid repertum est, quod tam citam mortem inferre potuisset. Nam in his corporibus, nec quidem vulnus, quod in cute est, locusque, qui collisus fuit, ut in aliis, rubet & tumet, quia protinus enecta omni vitali virtute humor coire haud potuit. Vid. memorabile exemplum in H. A. R. Sc. MDCCV. p. 68. Hoc vero rarius accidere, opinor.

§. 513.

At longe frequentius evenire solet, ut aliquis graviter percussus sit, & ab initio mala indicia haud subsequantur, ita, ut homo ab omni periculo abesse videatur. Post aliquot vero, immo plures, dies, nec opinato, accedunt mali morbi & cerebri graviter affecti testimonia, quæ plerumque futuram mortem denunciant. Nec hoc humana imbecillitas in tanta corporum vulnerumque diversitate evitare potest. Ob id vero necessarium est, ut medicus de nullo, cui caput percussum fuit, securus sit, sed ut eum diligentius inspiciat, atque, si aliquid eorum deprehendit, ex quibus scire licet, hominem periclitari, ut protinus & sine mora occurrat. Hæc enim auxilia, etiamsi nihil proficiant, & æger nihilominus extinguatur, magis tamen ignoscendum medico est, qui considerate prudenterque egit. Accidere etiam potest, ut ictus, qui se tutum putat, &, haud monitus, intemperanter agit, fiducia secundæ valetudinis opprimatur. *b*

b Vid. plura exempla vulnerum capitis, quæ ab initio leviora visa, post aliquot menses mortifera fuerunt, in BONETI Sepulchreto L. IV. Sect. II.

§. 414.

Nec illud ignorari oportet, fere incomprehenſibilis naturæ hæc vulnera eſſe, & in nullo alio genere ſigna futuræ ſalutis atque mortis adeo incerta, ac in iis, quæ in capite ſunt. Aliquando enim graviſſima vulnera, quibus dura mater, & ipſum cerebrum, ita vulnerata fuerunt, ut major puris modus per fractam vel exciſam calvariam effuſus fuerit, & quamvis ictus nec frigus, nec æſtum, nec libidinem, vitaverit, ſed immoderate & intemperanter vixerit, ſine periculo, ſineque iis malis, quæ hæc vulnera conſequi ſolent, fuerunt ad ſanitatem perducta *a*. Nec minus etiam accidit, ut homo graviter vulneratus, cum omnibus, quæ non ſolum terrere, ſed omnem ſpem tollere & mortem præſentem in aliis denunciare ſolent, conflictatus, ſervatus fuerit & ſanitati redditus *b*. Adeo in medicina etiam, ubi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt id, quod conſequi convenit *c*. Igitur in curandis capitis vulneribus utile eſt, ſcire unumquemque, quid, & quando maxime, caveat; aſt vero, quæ futura ſunt, nemini licet certo intelligere atque prædicere.

a Obſervatione perpetua digna eſt illa hiſtoria, quam ante paucos annos ſingulari ſtudio expoſuit LUDOVICUS FRANCISCUS MANNE, chirurgus Avenionenſis. Homini triginta annorum lapide icta fuit calvaria, & quidem dexterior & ſuperior pars oſſis coronalis. Vulnus huic ſedi illatum magnitudinem denarii habuit. Nihil vero poſt acceptam plagam ſecutum eſt, quod periculum oſtendere potuiſſet. Homo, cum ad tertium a domeſtica ſede lapidem abeſſet, ſine noxa reverſus eſt, & cum uxore, quam duxerat, rem habuit. Avenionem vero venit & a Pharmacopola balſamum Arcæi & emplaſtrum de betonica accepit, quod vulneri impoſuit. Per viginti dies bene valuit, ſine omni febre, capitis dolore, ſopore, nervorumque diſtentione fuit. Semper cibi avidus, victu pleniori uſus, accedente nocturno placidoque ſomno: Vario interea opere perfunctus eſt. Humeris onera portavit, agrum vertit atque ſubegit, vinum vindemiavit & torcularius uvas preſſit. Interdiu flagrantiſſimo ſolis æſtu peruſtus, noctu ſub dio & arboribus, omnibus aeris injuriis expoſitus, dormivit. Cum vero vulnus haud ſaneſceret, noſtrum chirurgum adiit & in valetudinarium publicum deductus eſt. Chirurgus, cum deprehenderet, plagam ſine malis & periculum oſtendentibus notis eſſe, adurentia impoſuit, ad putrem carnem, quæ ulceri ſupercreverat, exedendam. Cum autem animadverteret, ex ulcere majorem vim puris efferri, cutim incidit, & oſſis fragmentum, ſupremæ laminæ partem eduxit. Quia vero, hac ſublata, interior lamina ſine vitio eſſe videbatur, hæc ab initio relicta fuit. Increſcente vero indies puris modo, ulcus ſpecillo exploravit, quod altius, & in ipſum cerebrum, demiſit. Eduxit aliud laminæ vitreæ fragmentum, multis aculeis exaſperatum. Patefacto cerebro, maxima ejus ſuppuratio orta eſt, & quotidie, ubi vulnus deligatum fuit, puris magna vis ex ulcere effuſa fuit. Finita tandem ſuppuratio-

ne, cerebrum, quod exeſum erat, increvit, & omne, quod vacuum fuit, replevit. Tandem carnem a dura matre & ipſo oſſe, ut fieri ſolet, increſcente, foramen completum fuit, & homo convaluit. At, id quod vix non omnem fidem ſuperat, per id tempus in ægro nihil eorum obſervatum eſt, quæ aliis, calvaria fracta, & cerebro læſo, accidere ſolent.

b Vide talem hiſtoriam, quæ non minus, quam prior, admiratione digna eſt, cum & ipſa medulla cerebri graviter læſa fuerit, in prima a BRISSEO ſcriptarum obſervationum.

c CELSUS L. VII. Cap. XII. §. 4.

§. 515.

Nec ea vulnera ſine omni periculo ſunt, quibus cutis, capillum gignens, eæque partes, quas ſub cute eſſe dixi, (510.) percuſſæ ſunt, quamvis totum os integrum manſerit. Inflammari enim quandoque ſolent muſculi, horum tendines & aponeuroſes; quæ res, quia iſtæ partes nervos habent ab ortu propinquiores, ſummos dolores nervorumque diſtentionem movere poteſt. Et membranula, quæ exterius calvariam cingit, ſeu perioſtium, committitur cum dura meninge. Nam & vaſa ſanguinem vehentia, & nervi ex una harum membranarum in alteram per ſuturas potiſſimum feruntur. Illam enim membranam, qua cerebrum in pueris, horumque ſummis capitibus, contegitur, ubi, deficientibus oſſibus, ſinus rhomboideus eſt, ex his duabus conflatam eſſe conſtat. Vaſa etiam, quæ in diploe inter utramque calvariæ laminam diſcurrunt, & oſſi alimentum ſubminiſtrant, ex his membranis educuntur. Accidere ob id poteſt, ut, ſi exterior membrana percuſſa fuit, os integrum ſit, & nihilominus intus in dura matre vehemens & periculoſa excitetur inflammatio. *a*

a Vid. LE DRAN Obſ. XXVII. p. 179.

§. 516.

Quibus præcognitis, ad ſingulas ſpecies veniendum eſt. Vulnus, quo cutis capillata enſe acuto diſciſſa eſt, non aliam curationem requirit, quam, qualem ſupra (375.) præcepi. Semper vero, & ubique, ubi cutis pilis contegitur, ea ante omnia radenda eſt. Si arteria præciſa fuit, ea vel comprimenda, (406. 408.) vel ad latum digitum ab ora vulneris trajecto lino devincienda eſt. (242. ad 244. 414. 415.) Et heic raram deligationem adhiberi confert. (381. 383.) Ex faſciis opportuna eſt ea, quæ uniens dicitur. Si vero hac oræ vulneris commode adduci nequeunt, debent his adponi panni, ſuper quos injici poteſt alia faſcia, quæ funda, vel alia, quæ capital minus, dicitur. (15.)

§. 517.

Si autem aponeuroſis & pericranium vulnus acceperunt, oriri poteſt inflammatio, ſi vulnus in cute & externis membranis majus eſt, quam in pericranio. Illa avertitur, ſi hoc ſectione latius aperitur.

§. 518.

Ubi cutis alia parte abſciſſa eſt, alia dependet, vulnus ſui debet. (376.) At enim futura comprehendi poteſt omne, quod dependet, & per omnes membranas acus linumque immitti. In altera vero, nec per perioſtium, nec per aponeuroſin, ſed per ſolam cutim, linum trajiciendum eſt, cum iis, ſi acu linove vexantur, gravis oriri ſoleat inflammatio. Si etiam id, quod dependet, non ſolum diſciſſum, ſed etiam colliſum eſt, illud nihilominus ſui poteſt. Obſervari vero oportet ea, quæ ſupra de his (382.) præcepi.

§. 519.

Vulnus, quod telo retuſo illatum & colliſum eſt, multum ſæpe inflammari ſolet. Ne vero id fiat, expedit, plagam protinus ampliare, &, ſi qua ſanguis coiit, illum evocare. Ubi latius aperitur vulnus, non minus incidendum eſt pericranium, quam cutis & exteriores membranæ. (516.) Vulneri imponi debent, quæ pus movent, non vero alia, quam, quæ locis nervoſis idonea eſſe ſupra retuli. (384.) Superdari poteſt emplaſtrum de betonica, vel illud de cumino. Utiles ſunt adverſus inflammationem ſaccelli ex vino cocti atque expreſſi, qui componi poſſunt ex herba abrotani, abſinthii, betonicæ, ſalviæ, origani, ſerpilli, pulegii, majoranæ, roriſmarini, meliſſæ, rutæ, floribus lavendulæ, roſarum.

§. 520.

Non ita frequenter evenire ſolet, ut oræ vulneris intumeſcant, quia aër in adipoſam tunicam ejuſque cellulas contrahitur, quas multum diſtendit. Ἐμφύσημα hoc tumoris genus vocant, quod cognoſcitur, ſi tumor frigidus vulnus obſidet, qui preſſus cum aliquo ſtrepitu digitis cedit. Hoc oriri ſolet, ſi vulnus aëre & frigore alienatum eſt. Tollitur, ſi oræ vulneris tumidæ leviter premuntur, & aër exprimitur, ſi ſuperdantur modo commemorati ſaccelli, vel, ſi panni imponuntur olibano,

maſtiche, benzoe, terebinthina cocta ſuffiti, quibus pannis etiam oræ parumper perfricari poſſunt.

§. 521.

Longe autem frequentius his vulneribus ſupervenire ſolet inflammatio & eryſipelas. Prior in aponeuroſi & pericranio ſedem habet, eryſipelas vero in ſumma cute. Ultimum eſſe intelligitur, ſi aures etiam infeſtantur, quæ cute, non vero aliis membranis, conteguntur. Huic mederi facile eſt, ſi cuti, deraſis ante capillis, ſuperhabentur medicamenta arida, quæ, adverſus eryſipelas utilia eſſe, ſupra propoſui. (163. 164.) Adverſus inflammationem vero nihil magis proficit, quam, ſi vulnus nova ſectione aperitur. (516. 518.) Vulnus etiam molliter deligandum eſt, cum ſæpe periculoſa inflammatio excitari ſoleat, ſi illæ nervoſæ & ſæpe commemoratæ partes, fultis ſuper eas linamentis panniſque, & adſtricta nimium faſcia valentius premuntur. Imponi debent vulneri, quæ digerunt & pus movent. (384. 518.) Super ea vero, quæ inflammata ſunt, utendum eſt illis faccellis. Vel ex iiſdem herbis ex vino decoctis fieri poſſunt epithemata & ſuperdari. Reliqua curatio talis eſſe debet, qualis in magnis inflammationibus, & in vulneribus quæ in nervoſis locis ſunt, adhibetur. Nec in ullo alio vulnerum genere ſanguinis miſſio magis neceſſaria eſt, quam in iis, quæ in variis capitis ſedibus & partibus fieri ſolent.

§. 522.

Si in capite nullum vulnus eſt, illud autem lapide, ligno, alioque retuſo telo, percuſſum fuit, ſcire licet, os reſtitiſſe & integrum manſiſſe, ſi nihil eorum ſecutum eſt, quæ, ut infra docebo, accidere conſueverunt, ubi calvaria fracta, & ea, quæ intus ſunt, violata fuerunt. Vexata vero cutis, ſi levior caſus eſt, ſine ſcalpello, impoſitis iiſdem curari poteſt, quæ adverſus inflammationem valere ſcripſi. (318.) Si vero cum cute etiam aliæ partes, quæ ei ſubjectæ ſunt, graviter affectæ fuerunt, expedit, quam primum illam ſedem ſcalpello concidi, & profluentem ſanguinem detergi; pòſt autem eadem ſuperdari, quæ inflammatis medentur. Nec aliud auxilium eſt, ſi tardius, & poſtquam locus jam intumuit atque rubet, ſubveniendum eſt.

§. 523.

Hæc autem curatio magis neceſſaria eſt, ſi multus ſanguis

concretus ſub cute, vel ſub ipſo pericranio hæret, qui vehementiſſimam movere poteſt inflammationem. Si is ſub hac membrana calvariam cingente coiit, tumor valde durus eſt & renitens, aſt plerumque minor; ſi vero ſub cute, mollior magiſque diffuſus. Hic tumor ſine mora incidendus & ſanguis evocandus eſt, ubi etiam confert, plagam patentiorem eſſe. Conſiderate vero ſecandum eſt, ne inopinato aneuryſma incidatur, quod etiam in capite naſci poteſt.

a Vid. Diſſertat. ad §. 424. citatam.

§. 524.

Quod ſi vero ex vulnere perioſtium diductum, deraſum, vel detritum eſt, oſſiſque quædam pars nudata, illud ante omnia ignorari haud debet, os ſine hac membrana ſanum eſſe non poſſe, ſed neceſſe eſſe, ut ejus minimum exterior ſummaque pars, utpote alimento amiſſo, emoriatur. Hoc celerius incidit, ſi aër acceſſit, vel, ſi impoſita fuerunt varii generis medicamenta, præcipue pinguia ac digerentia, quibus omnibus, ut & pure atque ſanie quæ ex vulneribus exit, os pingue fit, nigrum atque carioſum.

§. 525.

Si igitur hoc in calvaria ex vulnere incidit, ab oſſe quod ſic vitiatum fuit, ſquama abſcedit, & pòſt id quod relictum eſt & ſanum, nova membrana contegitur. Oſſi ſuperdanda ſunt linamenta pura, vel ex alcohol expreſſa. Hæc etiam reſpergi poſſunt pulvere, qui bene tritus ex maſtiche, terebinthina cocta, ſuccino, olibano, componitur. Nonnumquam, præcipue in junioribus, accidit ut nihil ab oſſe abſcedat, utque id mox nova membrana contegatur. *b* Ubi vero vitium altius deſcendit, os ſcalpello radendum eſt, donec aliquid cruoris oſtenditur; quam medendi rationem, ut & aliam, quæ ferro candente & varii generis medicamentis fieri ſolet, uberius exſequar, ubi de oſſium morbis dicam.

b Vid. RUYSCHII Obſ. V. p. 11.

§. 526.

Os, quod ſic patefactum, nec vero aëre, nec aliis, nondum valde alienatum eſt, forari debet crebris foraminibus, quæ altitudine primam calvariæ tabulam æquant. Hoc autem fit terebra acutum mucronem habente, quæ circumagendo ad diploën uſ-

que adigitur. Ne vero interea ossi injuria ex aëre accedat, omnia festinantius agenda sunt, &, dum os sic foraminibus urgetur, candentibus carbonibus aëris noxa avertenda est. (389.) Os vero, quod sic deopertum & per multa & exigua foramina terebratum est, respergi potest eodem pulvere bene trito, quem mox (524.) proposui, vel super id dari possunt linamenta ex spiritu ardente, nec non essentia mastichis, succini, elemi, expressa. Aliena sunt omnia, quæ os vel humectant, vel pingue faciunt. Os autem, postquam cum ea, qua fieri potest, celeritate sic multis linamentis pannisque tectum fuit, ante tertium quartumque diem, nisi aliud quid hoc requirat, deoperiendum non est, cum nihil magis proficiat, quam rara deligatio. Videndum etiam, ne sanies, quæ ex vulnere fertur, ad os descendat, quod siccum & purum esse oportet.

§. 527.

Subesse etiam quandoque solet caries in diploë. Hæc vero non a vitiatis tantum humoribus oritur, sed etiam a graviori ictu, a quo exterior lamina collidi potest, integra manente interna. Hoc vitium, quod in diploë incipit, se latius diffundit: quare non solum putres carnes & sarcomata extrinsecus superincrescunt, sed malus humor tandem etiam laminam vitream exest; quam rem &, quia cerebri membrana, idque ipsum, graviter afficiuntur, horrenda mala sequuntur. *a* Protinus huic malo occurrendum & tota calvaria modiolo excidenda, omneque corruptum ejiciendum est.

a Vide Historiam experientiss. & mihi amicissimi JO: CHRISTOPHORI POHLII in Ephem. Nat. Cur. Vol. IV. Obs. 100. p. 384. Calvariam, quam Cl. Vir mihi dono dedit, cum apparatu aliarum rerum, quæ ad ossium pathologiam illustrandam facere possunt, asservo.

§. 528.

Tribus potissimum modis calvaria percussa violari solet. Ea enim, vel ense acuto inciditur, vel ex ictu desidit, vel finditur & rimas agit.

§. 529.

Si ea telo acuto percussa fuit, relinquitur ἕδρα, sedes. *b* Hæc, si linea modo recta est, dicitur ἐκκοπή; si obliqua, διακοπή; si vero ex calvaria aliquid excisum est, vel quasi dedolatum, ἀποσκεπαρισμός &c.

b Vide Figuram in PETRI PAAVII Succent. Anat. p. 77. 80. 94. Ab HIPPOCRATE ita describitur de Vuln. Capitis ed. Lind. T. II. p. 693.

ἕδρη δὲ κλίσεως, ὅταν μέρος τὸ ὀστέον ἐν τῇ ἑαυτοῦ φύσει, τὸ βέλος ἐμφίξαν ἐς τὸ ὀστέον ἕλκος ποιήσῃ, ὅση ἐστήριξεν. Aliquando etiam ſedes in oſſe cum hujus fractura, præcipue laminæ internæ eſt. Ἔκκρισιν talem deſcribit LE DRAN T. I. Obſ. 27. p. 179. & fig. vid. in PAAVIO p. 103.

c Vid. fig. c. l. p. 101. & Definit. in GALENI Definit. Med. edit. Charter. T. II. p. 268. & in PAULO L. VI. Cap. XC. p. 96. Confer Programma, quo Anno MDCCXXXVII. Anatomen publicam indixi, de curatione τῆς ἀποσκεπαρνισμοῦ in calva, & additam figuram calvariæ, in qua notabilis oſſis pars enſe abſciſſa, interior autem lamina fiſſa fuit; os vero, callo duriſſimo glutinatum, paululum, quia non recte in priſtinam ſedem commiſſum fuit, exſtat atque prominet.

§. 530.

In pueris, quibus oſſa mollia atque cerea ſunt, nonnumquam deſidit os ita, ut nec externa, nec interna parte fractum ſit; exterius vero ſinum, intus gibbum habeat, prout in æneis plumbeiſque vaſis hoc accidere ſolet. Φλάσιν vel Θλάσιν vocant *a*. Frequentius autem os, quod deſedit, etiam perfractum eſt, & dicitur ἔσφλασις vel ἔνθλασις, ſi totum os perfractum a calvaria receſſit & deſedit. *b* Hoc genere etiam comprehenditur ἔκπίεσμα, ubi plura fragmenta ſunt, quæ deſederunt, & ubi hæc labant atque meningem ac cerebrum urgent. Ἔγγίσωμα eſt, ſi os fractum altera parte deorſum inſedit, altera calvæ inhæret. Καμάρωσις vero dicitur, ubi oſſa perfracta, elata, & quaſi fornicata ſunt. *c*

a Vide HILDANUM Cent. II. Obſ. V. p. 87. figuram in PAAVIO p. 86.

b Vide fig. in PAAVIO p. 94.

c De hoc fracturæ genere, quod & GALENUS de methodo medendi Cap. VI. & PAULUS L. VI. c. 90. deſcripſerunt, plures Auctores fatentur, ſe modum, quo os ita in altum tolli poſſit, haud intelligere. Vid. CORTESII Comm. in HIPPOCR. de Capitis Vulneribus p. 132. JOBUS A. MEEKREN Obſ. I. p. 12. prodidit, ſe ſemel in puero vidiſſe τὴν καμάρωσιν, ſeu, ut vocat, camerationem. Nec tamen is, qui veteres refutat, rem recte explicat. Si enim per καμάρωσιν id intelligunt, ubi plura oſſa fracta atque depreſſa extrinſecus ſinum relinquunt, intus vero, quaſi gibba, duram matrem premunt. Conf. ROHAULT c. l. p. 16. MANNE l. c. p. 155. Res parum differt ab ἐνθλάσει. Vix vero os extrinſecus in altum efferri poteſt, niſi cum CAESARE MAGATO L. II. Cap. XI. p. 30. fingere velimus, hoc fieri a telo, ſi id, oſſi infixum, extrahitur, quo oſſis, præcipue fracti, pars in altum tolli poſſet. Nec tamen, hoc facile incidere, crediderim.

§. 531.

Os quoque vario modo finditur, ut in eo rima fiat, ſeu ῥῆγμα. Rima etiam quædam diſcrimina habet. Si ea major eſt, ῥωγμὴ vocatur. *a* Si autem rimula parvula eſt, quæ viſum effugit, & chirurgum, qui calvariam contuetur, fallere poteſt, illa vocatur τριχισμὸς, ſeu ῥωγμὴ τριχώδης. *b* Si autem homo

altera parte fuit ictus, os altera fiderit, ἀπόχημα dicitur. Recentiores per Resonitum, vel Contrafissuram, expresserunt. *c*

a Vid. PAAVIUM p. 76.

b Vide PAULUM c. l. PAAVIUM p. 77.

c HIPPOCRATES de Vuln. Capitis T. II. p. 603. edit. Lind. appellat ξυμφορὴν, seu calamitatem, quia huic fissuræ, cum illa reperiri non queat, haud facile potest succurri. Plures eam fieri posse negaverunt, ut videtur, auctoritate GALENI decepti, qui L. IX. de meth. med. Cap. XVII. T. IV. p. 526. putat, omnem fracturam ossis in calvaria futuris cohiberi; rimam enim ex uno osse in alterum penetrare non posse, cum ea distincta sint, & in futuris quasi per ungues commissa. Contra eos, qui hanc, sic dictam, contrafissuram admittunt, multis ideo argumentis pugnat PAULUS c. l. Ex recentioribus, vero, ut alios omittam, DIEMERBROECK Anat. H. C. L. IX. C. IV. p. 529. MUNNICKS in Chirurg. L. II. Cap. XV. p. 264. & ROHAULT *des Plaïes de la Tête* Cap. VII. p. 49. At enim, præter HIPPOCRATEM & CELSUM, ex recentioribus plures, & inter hos H. F. AB AQUAPENDENTE Opp. Chirurg. L. II. Cap. XIV. p. 94. os alia parte percuti, alia findi, posse probaverunt. Exempla vero adduxerunt NIC. FONTANUS in Comm. in VESALII Epitomen Cap. I. p. 3. VAN MEEKREN c. l. p. 20. & BOHNIUS de ren. vuln. Sect. II. C. 1. p. 194. Res etiam aliis & luculentioribus exemplis confirmata fuit in Dissert. HENR. SIGISM. STOSCHII de Resonitu experientia probato, Arg. MDCCXXII., quæ observavit clarus expertusque inter Argentoratenses Chirurgus LE MAIRE. Conf. PAULI AMMANNI Disp. Chirurg. de Resonitu, vel Contrafissura Cranii, L. MDCLXXIV. & GEO. VVOLFFG. VVEDELII Diss. de Contrafissura ex principiis mechanicis, physicis ac medicis deducta, Jenæ, MDCCVIII., in qua ultima etiam varia argumenta, ex motuum legibus ducta a JO: MARCO MARCI, LEIBNITIO aliisque proposita leguntur.

§. 532.

Hoc autem variis modis incidere, jam aliis observationibus compertum est. 1) Nonnumquam enim os, quod percutitur, etiam finditur; aut cum hoc alia, etiam remotiora, ossa, per quæ rimæ ex priori quasi eductæ pertinent *a*. 2) Aliquando idem os alio loco percutitur, alio loco finditur *b*. 3) Accidere potest, ut, dum aliud os ictum excipit, aliud rimam faciat *c*. 4) Sæpe lamina exterior calvariæ integra manet, interior autem, & quæ huic subjecta est, frangitur *d*.

a Hoc genus frequentissimum est, & sæpe rima agitur, non solum per os quod propinquum est, sed etiam per alia, immo fere per totam calvariam. Vid. RUYSCHII Obs. Anat. XLVII. p. 60. Ephem Nat. Cur. Cent. V. Obs. XXXII. & exemplum primum in STOSCHII Dissert.

b Vide alterum STOSCHII exemplum.

c In hoc genere quædam diversitas est. Nam aliquando vicinum, aliquando remotum, inter quod & illud, quod ictum excepit, aliud medium est, fissum esse dicitur. Prius non ita rarum est. Vide tertiam STOSCHII historiam & additam figuram: alias lege in eadem Dissert. C. IV. §. 3. Alterum genus rarius evenire videtur, & unicus casus ex FRID. LOSSII Obs. med. L. I. adducitur, ubi, icto fronte, os occipitis fuit fissum. A qua hi-

ſtoria non multum differt alia a PETRO DIONIS in Chirurgia p. 415. prodita, ubi os coronale percuſſum; aſt non hoc ſolum, ſed & os occipitis, fractum fuit. Accidere vero frequentius exiſtimo, ut, ſi pluribus locis calvaria fracta eſt, ei etiam plures ictus fuerint illati.

d Hoc genus admodum frequens eſſe opinor, quod ipſe aliquando in hujus urbis valetudinario vidi. Homo ante novem annos caſu ab alto facto caput graviter offenderat, a quo tempore deſipuerat ita, ut ejus audacia atque libido aliquando aſperioribus coercitionibus reprimenda eſſet. Levato tamen acceſſionis impetu, variis domeſticis operibus perfungi ſolitus, tandem, cum aquam haurire vellet, in flumen immerſus periit. In hujus calvaria, cum pericranium cu cute avulſum, illaque tota deoperta eſſet, extrinſecus nihil violatum, vel alienatum, deprehendi potuit. Ablata vero calvaria, in dextri bregmatis ſuprema parte, hujuſque lamina interna, rima hiabat ſatis ampla, cujus oræ, velut aculeis, exaſperatæ erant. Ab his pungentibus & dura meninx & cerebrum graviter læſum & exulceratum erat. Haud ita pridem fere ſimilis caſus etiam Ordini noſtro Medico fuit propoſitus. Vid. alia exempla in PARAEO c. l. PETRO BORELLO Cent. II. Obſ. 20. p. 121. SCULTETO Obſ. XIV. p. 226.

§. 533.

Inter ſigna, quæ, calvariam fractam eſſe, oſtendere dicuntur, plura ſunt, quæ fallere poſſunt. Protinus conſiderandum eſt, quo lapide, telo, an mediocri, an vaſtiori, an vehementer, an leviter, caput percuſſum ſit. Ubi vulnus eſt, demitti ſpecillum oportet, quo mediante, percipi poteſt, num os integrum ſit. Poteſt vero eſſe, ſi ſpecillo nihil, niſi læve & lubricum, occurrit, ſi quid aſperi eſt, qua ſuturæ non ſunt, fractum os eſſe teſtatur *a*. Demittendum vero ſpecillum temperata manu eſt, ne illud, ſi calvaria effracta fuit, in meninges, ipſumque cerebrum, incidat.

a HIPPOCRATES Epidem. L. V. Textu XIV. T. I. p. 778. fatetur, ſe aliquando a ſuturis deceptum fuiſſe; quæ ſimplex, magno Viro digna, erroris confeſſio multis laudibus extollitur a CELSO L. VIII. C. IV. & QUINTILIANO Inſtit. Orat. L. III. Cap. VI.

§. 534.

Si vero ſpecillo nihil invenitur, conſiderandus eſt homo, & inquirendum, num is eo tempore quo vulneratus fuit, conciderit, num ei fuerint oculi obcæcati, num obmutuerit, & ſine ſenſu per aliquod tempus jacuerit, num ei per nares aureſque ſanguis effluxerit, num bilem vomuerit; quæ omnia eveniunt, ſi ab ictu cerebrum commotum fuit. Nam, hoc ſi accidit, etiam metus eſt, ne motu vena rupta ſit, quæ ſanguinem mittere poſſit.

§. 535.

Clariora vero indicia oſtendunt, periculorumque ſigna patefaciunt ea, quæ poſt aliquod tempus conſequuntur. Si ea parte,

qua caput ictum fuit, ejus dolor vehementer urget, ac pertinaciter manet, si torpor accedit, & cum hoc febricula, si mens non constat, & homo quasi dormiens jacet, si trux ejus vultus est, oculi, quasi resoluti, huc illuc moventur, si ii inflammantur, si urina, vel alvi fex, sine voluntate excernitur, si nervi, vel resolvuntur, vel distenduntur. Inter notas etiam est, si septimo circiter die, pro modo vulneris, major vis puris, vel alius humoris ex eo effertur, &, si locus mollior est, ac quasi tumet. Nam omnia hæc aliquando celerius, aliquando serius, & post plures dies, eveniunt, si sub calvaria arteria, vel vena rupta, sanguinem emisit, vel, si in osse noxa est. *a*

a Ex aliis etiam signis colligere volunt chirurgi, num os fractum fuerit. Dant homini filum, vel linteolum, quod, si is illud dentibus arreptum tenet, ii adducunt, & valentius concutiunt, videntque, num is stridorem ferre possit. Nucleum, vel aliud durum, dentibus submittunt, & id frangere jubent, quod si æger sine molesto sensu facere potest, securitatem pollicentur. Hæ vero conjecturæ leviores sunt. Nam, si calvaria sub crotaphite musculo fissa, vel fracta est, ex tremulo motu atque morsu molesta oritur perceptio, non vero ita facile, si illa alia parte læsa fuit.

§. 536.

Scire etiam licet, multum humorem ex ruptis arteriis venisque sub calvaria effluxisse, si hæc, (533.) quidem non statim post ictum, ast, brevi interposito tempore, eveniunt. Mala enim indicia, quæ protinus ictum subsequuntur, a cerebri commotione fieri, supra retuli. (532.) Ubi sanguis concretus aliqua parte hæret, is vel mole sua cerebrum premit, vel corruptus, febrem atque inflammationem incendit. Si vero alius humor intus est, is aliquando in saniem vertitur, quæ duram matrem rodit, & non tam inflammationem, quam nervorum distentionem movet. Nervi etiam graviter distenduntur, si os fractum duram meningem pungit, vel si hæc aliis graviter adficitur & violatur; quæ res etiam periculosissimam movere solet inflammationem. Si cerebrum aliquod ossis fragmentum comprimit, idem consequitur, quod solet, si illud a concreto sanguine premitur. (534.)

§. 537.

Frequentius incidit, ut, dum in uno latere nervi resolvuntur, illi in altero distendantur. Crebrius hoc non in eo latere fit, ubi plaga, & sub calvaria concretus humor est, sed in altero. Inde conjectura enata fuit, nervorum initia, seu medulla-

res cerebri fibras, ex læva in dextram, ex dextra in lævam, deſcendere & decuſſare. Nihil tamen in his perpetuum eſt. *a*

a Vid. BRISSEI Obſ. ſ. c. p. 4. & p. 16. In alio, qui, poſt ictum capiti illatum, die quinquageſimo primo obiit, & qui frequentius maxillæ ac brachii diſtentionem in latere dextro paſſus fuerat, cerebrum ſiniſtrum totum in pus verſum fuit repertum. Vid. H. A. R. Sc. MDCC. p. 56.

§. 538.

Si igitur hæc omnia, vel plura indicia oſtendere videntur, os fractum eſse, id certiori nota explorare licet, ſi plaga, ubi nulla ex vulnere eſt, manu fit, & cutis cum omnibus, & ipſo perioſtio, ſubſecatur, oſque deoperitur.

§. 539.

In patefacto ſic oſſe rima patentior manifeſta eſt. Os etiam, ſi eo loco, cute inciſa, pallidum, vel alienatum reperitur, vitium ſubeſse intelligitur. Si vero os rimulam parvulam, omnemque oculorum aciem effugientem, habet, inducendum ſuper os atramentum ſcriptorium eſt, deinde id ſcalpro deradendum. Nigritiem enim continet, ſi quid fiſsum eſt.

§. 540.

Si etiam illa mala indicia chirurgum deceperunt, & ea parte, qua cutis diſciſſa eſt, rima haud reperitur, id non inutile eſt, quia, ſi ex hac extrinſecus facta plaga ſanguis emittitur, is, ne ad interiora deſcendat, aliquantum avertitur; vel, ſi forte ejus aliquid ex rupta minori vena miſſum fuit, illud, antequam concreſcit, diſcuti & exhauriri poteſt. Nec etiam magno negotio cutis ſaneſcit, ſi ea fruſtra ſecta fuit.

§. 541.

Ubi autem ea parte, quæ ictum excepit, & qua cutis ſubſecta fuit, os integrum repertum eſt, mala vero indicia ſignificant, calvariam alia parte fiſſam eſſe, majori diligentia opus eſt. Caput ad cutim tonderi oportet, & conſiderari, num quis locus mollior ſit & tumeat, vel plus ſolito rubeat. Ad illum locum patefaciendum juvat emplaſtrum emolliens, quod per aliquot horas ſuperdari poteſt. Cum homo cui mens conſtat, in parte aliqua dolorem percipit, cum alius, qui propter continentem ſomnum, appellatus ignorat, vel, qui inter verba deſipit, manum alicui loco crebrius admovet, conjectura perducimur ad eam ſedem, in qua noxa eſt.

§. 542.

Neminem a periculo tutum esse, cui caput percussum fuit, alias (512.) retuli. Nec illud ignorari oportet, rationem omnium indiciorum atque conjecturarum talem esse, ut, cum sæpe aliquando responderunt, interdum tamen fallant. (413.) Evidentior vero hujus rei causa est in hominum capitibus. Quibusdam enim calvaria tenerior est, & quæ ideo a levi injuria frangitur. Nec parum ad id facere videtur dura meninx, quæ in quibusdam, præcipue junioribus, ita calvariæ intus adhæresit, ut ea ex levi ictu valentius concutiatur; quæ res, vel periculosam inflammationem movet, vel efficit, ut arteriæ atque venæ, quæ per utramque meningem discurrunt, rumpantur & sanguinem mittant.

§. 543.

Maxime omnium infantes periclitantur, si iis calvaria fracta vel fissa est. Hæc enim modiolum, quo adultis exciditur, ferre non potest. Ossa vero puerorum, quia tenera sunt atque cerea, mollesque commissuras habent, non ita facile franguntur.

§. 544.

Tempora si percussa sunt, gravis, ac sæpe lethalis vulneris periculum est. Ea enim parte & os admodum tenue est, & tum sub cute qua tempora conteguntur, tum intus sub osse, majores arteriæ assurgunt, quæ ruptæ sanguinem periculosius fundunt; præcipue illa arteria, quæ ex carotide externa educta, per ossis sphenoidei foramen ad duram meningem fertur, & huic alimentum subministrat, sæpe in medio osse bregmatis hujusque anteriori ac inferiori angulo, quasi recondita & innata, hæret, quæ ossis fragmentis, vel ferramentis, si in curatione ad hæc deveniendum est, lædi potest.

§. 545.

Veteribus, & inter hos, HIPPOCRATI, *a* omnis crotaphitis læsio valde terribilis fuit; qui existimaverunt, semper, vulnerato unius lateris musculo, alterum convelli. Sed sine nervorum distentione hos musculos incisos, *b* quin etiam collisos, *c* sanescere, his temporibus compertum est.

a De Capitis vulneribus Text. XIX. T. II. p. 696. in Coac. no. 369. T. I. p. 572. & de ossium in temporibus fractura no. 57. p. 538. Nec PARAEUS id ausus est. Vid. L. IX. Cap. XIX. p. 292.

b Vid. GARENGEOT *des Operat.* T. III. Obſ. XV. p. 131.
c Vid. La MOTTE *Chirurgie* T. II. p. 292.

§. 546.

Majori in periculo ſunt, quibus futuræ percuſsæ fuerunt, & & ex his præcipuæ ea, quæ ab occipite per medium caput ad frontem procedit, & ſagittalis dicitur. Nam dura meninx futuris potiſſimum inhæreſcit, & ſagittali ſeptum ex dura matre, vel proceſsus falciformis, qui cerebrum dividit. Etiam in hoc ſinus major venoſus reconditus eſt, ex quo, ſi rumpitur, funeſta ſanguinis profuſio oritur. Sinus alii venoſi in eo ſepto, quod cerebellum a cerebro diſcernit, & ſub ea futura ſunt, quæ Græcam literam Λ exprimit, qui laterales vocantur. Ob id non tutum eſt, futuram modiolo quo calvaria exciditur, comprehendere, quamvis id a nonnullis factum eſse legamus. *a*

a HIPPOCRATES hoc vetat de Vuln. Cap. Text. XVII. p. 698. Sed JACOBUS BERENGARIUS, alias CARPUS dictus, teſtatur, ſe ſæpe excidiſſe commiſſuras, nec deprehendiſſe quidquam aliud, quam, quod in aliis calvariæ ſedibus exciſis evenire ſolet, de Fractura Calvæ p. 83. VVERDENBERGIUS in literis ad HILDANUM ſe hoc in Italia vidiſſe aſſeverat. Obſ. Cent. II. Obſ. VIII. pag. 86. & GARENGEOTTUS in præfat. novæ Edit. Chirurgiæ p. 16. prodidit, ſe in puero ſex annorum ſeptem foramina modiolo feciſſe, & ex his unum ſuper futuram ſagittalem, & aliud ſuper coronalem. Haud vero is addit, num puer evaſerit. Exiſtimo, futuras, propter eas rationes, modioli uſum haud facile admittere, nec id a circumſpecto chirurgo tentandum eſſe, quamvis forte nonnullos temeritas adjuverit. Si prope futuras noxa eſt, præſtat, os utrimque perforari. Conf. ROHAULT l. c. pag. 89.

§. 547.

Eadem fere pericula iis ſunt, quibus os frontis ſuper ſupercilia fiſsum, vel fractum eſt. Notum enim eſt, ibi os duplex eſse & intus ſinus habere, qui membrana mucum ſecernente cinguntur. Si itaque interior oſſis pars confracta eſt, vulnus vix ad ſanitatem pervenire poteſt. Nec his ſedibus modiolus accommodari poteſt, tum propter hos ſinus, tum quia os interius inæquale eſt, & chirurgus periclitatur, ne modiolo cerebri membrana, illudque ipſum, lædatur.

§. 548.

Occipitium craſſiſſimum eſt, ſub eo vero conditum eſt cerebellum, ex quo nervi educuntur, qui ad ea organa pertinere videntur, quæ vitalem motum præſtant. Quare, ſi illud, vel ab oſse, vel a ſanguine, premitur, cita mors ſequi ſolet. Inferius

os pluribus muſculis contegitur & in interna media parte illud inæquale eſt, ita, ut ex eo tuberculum exſurgat, quod ex duabus ſpinis, una oblonga, altera tranſverſa, utraque prominentiori, coaleſcit. Nec ideo huic oſſi modiolus admoveri, niſi e latere ſummaque parte, poteſt. *a*

a Plagæ, quæ occipiti inferuntur, quidem periculoſiores ſunt, haud tamen ſemper ex iis mors ſequitur. Vide hiſtoriam, ubi os occipitis a lapidis ictu colliſum deſederat, & ſanguis ſub eo & ſub dura matre ex ruptis arteriis effluxerat, ubi nihilominus homo ſine febre alioque malo ſigno convaluit in LA MOTTE *Chirurgie* T. II. p. 322. De tumore duro in medio cerebello enato vid. Obſ. III. BRISSEI. Mihi olim laudatus Argentoratenſium Chirurgus LE MAIRE retulit, ſe aliquando ægrum curaſſe, cui non minima occipitis pars cum notabili corticis cerebelli portione enſe ablata fuerat.

§. 549.

Gravius ceteroquin vulnus eſt, ſi telo retuſo calvaria fracta atque colliſa, quam, ſi ea telo acuto diſciſſa fuit. Peſſima vero plaga eſt, quam plumbea glans injecit, quia, propter hujus perniciſſimum motum, & calvaria, & ipſum cerebrum, graviter percutiuntur commoventurque *b*. Latentes rimulæ, & quæ alia parte ſunt, quam, qua ictus fuit, quia difficilius reperiuntur, etiam non ita facile ſanantur.

b Vid. exemplum in PARAEO L. IX. Cap. VIII. p. 275.

§. 550.

Plurimum etiam in his vulneribus confert ætas, anni tempus, corporis habitus, victus. Alias retuli, nihil peſtilentius eſse his vulneribus, quam grave, paluſtre atque impurum cælum. (402.) Quare etiam in majoribus valetudinariis, ubi aër impuris halitibus fœtus eſt, hæc vulnera ægre ſaneſcunt. Ea etiam multum alienari, ſi haud protinus obligantur, ſed aëris, maxime gelidi, injuriis diu expoſita fuerunt, compertum eſt. Quantum fragores ſtrepituſque iis noceant, ex PARAEO *c* diſcimus.

c Lib. IX. Cap. XIV. p. 283.

§. 551.

Igitur, ubi vel certis indiciis cognoſcitur, vel aliqua conjectura percipitur, capüt fractum eſse, & ubi mala ſigna periculum oſtendunt, calvaria deoperienda, & rima, vel fractura patefacienda eſt. Plaga vero vel ex vulnere eſt, ubi talem, neceſse eſt, habeamus, qualem accepimus, vel eam manu fieri oportet, ubi ea fere commodiſſima eſt, quæ duabus tranſverſis

lineis literæ X. figuram accipit, ut deinde a ſingulis procedentibus angulis cutis ſubſecetur. Nam ſic ſedes præſtatur modiolo, cujus uſus neceſsarius eſſe poteſt. Videndum vero, dum cutis, & alia quæ ſupra calvariam ſunt, ſubſecantur, ne quid ex ipſa membranula quæ ſub cute calvariam cingit, ſuper os relinquatur; ſiquidem hæc, terebris lacerata, vehementes febres cum inflammatione excitaret. Diſſimilis vero caſus diſſimilem ſecandi modum requirit. Si os fiſſum eſt, non vero perfractum, valentius imprimi ſcalpellum poteſt, quo ſimul & cutis & perioſtium incidantur. Ubi vero os totum perfractum eſt atque labat, ſuſpendenda magis manus eſt, ne oſſis fragmentum intus deprimatur, neque illud cerebrum ejuſque membranam urgeat. Si ſanguis ex plaga fertur, is impoſitis linamentis puris, vel, ſi id res requirit, compreſſa vel devincta arteria, ſiſtitur. Inter cutis ſubſectæ angulos & os imponi debent linamenta, ne iterum glutinentur.

§. 552.

Poſtquam ſanguis conquievit, iterum deoperienda calvaria eſt, illaque ſpongia vino calido madente detergenda. Si os haud perfractum eſt, ſed ſummum tantum colliſum exaſperatumque, illud radi & lævari ſatis eſt. Si quæ parvula oſſis fragmenta eminent, eximi; &, ſi ex membrana dependent, forfice abſcindi; ſi vero cum ipſo oſſe cohærent & retuſa ſunt, in ſedem ſuam dari debent, ut glutinentur. Id, quod haud glutinatur, emoritur, & tandem a parte ſana recedit.

§. 553.

Nam neceſſe non eſt, ut in omni fiſſa fractave calvaria ad ferramenta veniamus, quibus illa excidi ſolet. Quod ſi enim nulla mala indicia ſunt, vel, ſi illa quæ adfuerunt, levantur; & ſi nulla ſanies, nec ea, pro modo vulneris, nimis multa, ex ulcere effertur; & ſi ex nudato oſſe caruncula excreſcit, modioli uſus ſupervacuus eſt. Rimæ enim, ſi nulla alia noxa acceſſit, in calvaria æque ac in alio oſſe, callo implentur. Ad id vero non parum conferre exiſtimo, ſi protinus poſt acceptam plagam ſanguinis plurimum detrahitur, danturque medicamenta paulo valentiora alvum ducentia; (63.) quibus efficitur, ut, ſi forte intus arteria, vel vena aliqua in cerebri membranis ex ictu rupta, aliquid ſanguinis miſerit, illud diſcutiatur. Igitur,

ſi mala ſigna haud accedunt, vel hæc leviora ſunt, eaque nulla graviora ſequuntur, experienda prius ea curandi ratio eſt per ſanguinis miſſionem & impoſita diſcutientia.

§. 554.

Si vero non niſi calvariæ exterior pars percuſſa eſt, & rimæ ad diploën, non vero ad alteram & internam ejus partem, ſeu laminam vitream tranſeunt, metuenda caries eſt. (526.) Optimum eſt, modiolo vitium comprehendere & os totum excidere. Si etiam latius vitium eſt, quam, ut modiolo comprehendi queat, exitus datur humori, qui in diploë diffuſus eſt, & id quod in oſſe corruptum eſt, aridum fit & a ſano ſolvitur. Si ejus quod vitiatum fuit, ambitus major eſt, expedit, iterum modiolum adaptare. Sunt, qui os ferramentis radunt, donec integrum id ſit, quod relinquitur: ſed multo melius, id totum excidi, arbitror.

§. 555.

Si calvaria, exterius conciſa, ἕδραν ſeu ſedem (528.) habet, non alia curatio eſt, quam, quæ jam propoſita fuit. (524. 525.) Oſſis enim fragmento proſpiciendum eſt, quo illud, vel cum alio glutinetur, utque ſuper id membrana increſcat; vel, ſi hoc fieri nequit, ut aridum factum ab alio ſecedat.

§. 556.

At, ſi fragmentum, enſe abſciſſum, undique reſolutum eſt, quod genus ἀποσκεπαρνισμὸς veteribus dictum fuit *a*; illud, ſi nondum alienatum eſt, ſervari poteſt, ſi cutis non prorſus abſciſſa fuit, ſed cum oſſe dependet. Si enim, purgato vulnere, os in ſedem ſuam datur, cutis vero faſcia, vel ſutura, adducitur, raraque adhibetur deligatio, os iterum glutinatur.

a Exempla vide in PARAEO L. IX. Cap. VII. p. 274. LE DRAN T. I. Obſ. 22. p. 146. Confer ſupra (528.) citatam ſcriptionem.

§. 557.

Experimentis cognitum eſt, in θλάσει, ſeu, ubi os in junioribus ſine fractura deſidit, ſupervacuam eſſe plerumque omnem curationem, ad quam non prius decurrendum eſt, quam, ſi ea eveniunt, quæ cerebrum premi teſtantur. Nonnumquam enim id quod depreſſum eſt, per ſe & ſine medentis auxilio reſtituitur *a*, ſæpe etiam θλάσις ſine incommodo relinquitur *b*. Si curatio neceſſaria videtur, optimum eſt, os juxta eam partem quæ deſedit, modiolo excidere, & illud ea ratione excitare, ac

mox dicam, cum ad ea pervenero, quæ fracta deſederunt. Sunt, qui extrinſecus cuti emplaſtrum glutinoſum imponunt, idque adducunt, ut cum cute etiam os attollatur; id vero, quod non ſine ſummo dolore fieri poteſt, parum proficit. Experiri licet cucurbitulam, quæ cum igne imprimitur *c*. Majus vero periculum oriri poteſt, ſi res terebra (*tirefond*) agitur; quia, ſi illa os perrumpit, gravis metus eſt, ne id findatur & cerebri membrana graviter lædatur *d*.

a Hoc a ſanguinis motu fieri, & ſi valentius attolluntur arteriæ, quæ per teneriora calvariæ oſſa in pueris diſcurrant, a vero propius eſt. Vid. PARAEUS L. IX. Cap. V. p. 270. & Exemplum in Ephem. N. C. Dec. II. A. 3. Obſ. 194. p. 377.

b Vide plures hiſtorias in MAGATO Lib. II. Cap. XIX. p. 41. Mihi aliquando accidit, ut ad hominem evocarer, qui ex tertia ædium contignatione delapſus, ab initio ſine ſenſu quaſi dormiens erat. Quia conjectura erat, caput offenſum eſſe, Chirurgus, capillos deradens, monſtravit profundiorem & majoris ambitus ſinum & depreſſam calvariam. Dum miramur, cutim ſuper eam colliſam vexatamque haud eſſe, homo expergefactus & ſectionem metuens dixit: nihil ibi ſubeſſe alieni, ſibi a teneris hunc ſinum fuiſſe. Is etiam ſine noxa convaluit.

c Id, & cucurbitulam, propoſuit HILDANUS Cent. II. Obſ. V. p. 87.

d Vide SCULTETUM in Armament. Decl. Tab. XXIII. p. 117.

§. 558.

Si os, quod deſidit, etiam perfractum eſt (ἔνθλασις 529.) illud non ſolum cerebrum ejuſque membranam urget, ſed interdum etiam ex fractura, quibuſdam velut aculeis, pungit. Inter ea quæ accidere ſolent, ſi cerebrum premitur, (532. 533. 534.) in hoc caſu gravis movetur inflammatio, quæ etiam ad ſuppurationem ſpectat. Quare, ſi curatio negligitur, ex cerebro per rimam patentiorem pus fertur. Si aër accedit, ulcus putreſcendo intenditur, & caro intus corrupta naſcitur, quæ, veluti fungus, celerius, etiam ſuper calvariam increſcit.

§. 559.

Oportet igitur protinus os, quod deſedit, excitare. Plures hoc moliti ſunt excogitatis variis ferramentis, terebra, (*tirefond*) nec non ſic dictis elevatoriis, quorum alterum, quia tribus fulcris, ſeu pedibus, nititur, triploides vocatur *a*; alterum vero nomen ab inventore, HILDANO *b*, accepit. Sed hæc machinamenta cum terebra ſunt: quare ſemper metus eſt, ne hac interior oſſis pars perfringatur. (555.) Nec terebra in os, quod undique reſolutum eſt & labat, ſine periculo adigi poteſt. Longe

itaque melius eſt, os, quod deorſum inſedit, recte *c* attolli. Si vero, nec rima ſatis patet, nec fragmentum ex facili removeri poteſt, vectis demitti nequit, niſi prius modiolo foramen in oſſe quod integrum eſt, fiat, juxta id quod deſedit, quo vecti ſpatium & aditus ſit. Ubi vero id quod fractum eſt, vecte attollitur, videndum, ne hoc foraminis oræ valentius premantur: quare ſemper inter os vectemque collocandus digitus eſt.

a Vid. SCULTETUS Tab. III.
b Vid. HILDANUS Cent. I. Obſ. IV. p. 79.
c Vid. GARENGEOT *des Inſtr.* T. II. Cap. III. Art. XI. p. 152. & XIII. p. 158.

§. 560.

Si vero os, quod deorſum inſedit, excitatum fuit, etiam cura habenda eſt, ut humor, qui ſub calvaria effluxit, evocetur, utque fragmenta quæ labant, maxime ea quæ acuta membranam infeſtant, removeantur. Excidendum etiam, quidquid ſpinoſum & intus eminet. Sæpe foramen non ſatis magnum eſt, ad extrahenda fragmenta: quare alia foramina, mediante modiolo, facienda ſunt, & eorum ſepta excidenda, donec exitus datur intus lædentibus.

§. 561.

Quæ medicamenta duræ meningi & cerebro ſuperdanda ſint, infra docebo. Quia autem metus eſſe poteſt, ne os quod perfractum & vecte excitatum fuit, labet, ita caput deligandum eſt, ne illud iterum deſidat. Ob id ſuper oras oſſis quod integrum manſit, fulcienda circumponendaque ſunt linamenta pannique multiplices: id autem, quod fractum eſt, ſaltem molliter contegendum, quo, dum caput faſcia comprehenditur, oſſis fragmentum minime prematur. Ea vero faſcia opus eſt, quæ capital majus dicitur.

§. 562.

Tandem etiam calvaria finditur; (530.) ex quo ſæpe incidit, ut intus arteria, vel vena rupta aliquid ſanguinis mittat. Hoc autem ſi ex iis quæ ægro eveniunt, & quæ ſupra retuli, (532. 534. ad 539.) intelligitur, non protinus ad modioli uſum veniendum eſt. Si enim rima patentior eſt, inciſa cute humor per hanc educi poteſt. Et, ſi ſanguinis parum effluxit, illum aliis auxiliis diſcuti poſſe, ſupra retuli. (551.) In his itaque curationibus perſeverandum erit, donec mala ſigna, calvariæ ſe-

ctionem neceſſariam eſſe, oſtendunt; maxime, ſi hæc non minuuntur, ſed increſcunt. Super fiſſam vero fractamque calvariam emplaſtra, vel ſupra propoſitos ſaccellos, (518.) imponere, ſupervacuum, immo noxium eſt, ſine ſanguinis detractione. Calor enim extrinſecus impoſitorum medicamentorum, humoris per rupta vaſa exitum augere poteſt, & ipſum humorem citius in longe nocentiorem putreſcentemque convertere. Neceſſaria etiam eſt abſtinentia, quies, & potus diluens; quibus diligenter ſervatis, aliquando graviores noxæ, ſine ferramentorum uſu averti poſſunt.

§. 563.

Si vero increſcentis morbi notæ adſunt, haud differri debet hæc efficacior medendi ratio; quam, ubi experiri ſtatutum eſt, neceſſe eſt, ut is qui curare vult, omnem apparatum recte diſpoſitum in promptu habeat. Sunt vero ex ferramentis: 1) Scalpellus, quo cutis inciditur & a calvaria deducitur; 2) Terebellum acuminatum, quo prius ſinus exiguus fit, ut clavum recipiat; 3) Modiolus, ſeu ferramentum concavum, teres, imis oris ſerratum, Trepanum recentioribus dicitur; 4) Per modiolum medium clavus, interiore orbe cinctus, demittitur, qui pòſt, ubi iter modiolo impreſſum eſt, educitur; 5) Ferramentum, quo clavus ex modiolo educitur; 6) Terebra, quæ in ſinum quem clavus fecit, adigitur, &, qua officulum, ex calvaria exciſum, ejicitur (*Tirefond a*); 7) Penna ſucciſa, vel ſpecillum, quo foraminis altitudo exploratur; 8) Peniculus ad ſcobem, quæ modiolo inhæret, excutiendum; 9) Scalpellus exciſorius, qui retuſus infra lenticulam habet, ad oras foraminis circumradendas lævandaſque aptatus; 10) Vectes varii, majores minoreſque, quibus oſſis fragmenta, quæ deſiderunt excitantur; 11) Membranæ cuſtos, ſeu μηνιγγόφυλαξ, quo dura meninx deprimitur, ut humor qui ſub calvaria eſt, exitum habeat *b*; 12) Penicilli plures, quibus humor qui ſub calvaria vel cerebri membrana, concretus eſt, extrahi poteſt; 13) Volſera, qua oſſis minora fragmenta educuntur; 14.) Scalpellus anceps, quo alias vena inciditur, quem, quia eo dura mater aperitur, linamentis involvunt, ne hominem alioſque terreat.

a Sunt quidam ex recentioribus, qui forcipe utuntur ad id aptata. Vide ejus figuram ex SHARPIO fig. XII.

b Apud veteres hoc nomen erat laminæ æneæ firmæ paululum reſimæ ab exteriori parte lævi. Hæc demitti ſic ſolebat, ut exterior pars ejus cerebro

propior eſſet, & ſubinde ei ſubjiciebatur, quod ſcalpello diſcutiendum erat, ut medicus ſcalprum exciſorium malleolo audacius ferire poſſet. Vid. CELSUS Lib. VIII. Cap. III.

§. 564.

Si vero foramen vulnuſque deligandum eſt, ad id neceſſaria ſunt: 1) Linteolum ex ſindone in orbem ſectum, quod intus demittitur & calvariæ ſubjicitur. Per hoc trajectum linum molle eſt, cujus capita inter ſe deligata extra plagam relinquuntur, ut illud commode tolli poſſit; 2) Pulvilli in orbem contorti, ſeu minores glomi, qui, in foramen injecti, cerebrum, ne ex eo vitiata caro increſcat, continent *a*; 3) Ad id etiam idonea eſt lamina minor plumbea, crebris foraminibus pertuſa, & utrimque anſulam habens, in exteriori parte, quæ cerebro propior eſt, lævis, quæ in foramen immiſſa etiam carnem, ne increſcat, coërcet *b*; 4) Pulvilli aliquot variæ magnitudinis ad os contegendum; 5) Pannus multiplex, quibus hæc omnia conteguntur; 6) Ceratum, vel emplaſtrum; 7) Mantile, quod, ſi circa caput vinciendo circumdatur, capital magnum dici conſuevit

a Vid. fig. IV. ad §. 21.
b Vid. BELLOSTE c. l. Cap. XIII. p. 102.

§. 565.

Locus etiam quærendus eſt, cui commode aptari modiolus poteſt. Jam vero ſupra retuli, hoc tutum non eſſe, ubi intus in ipſo oſſe majores arteriæ ſurſum procedunt; id quod in anteriori & inferiori angulo bregmatis deprehenditur. (543.) Nec minus id periculoſum eſt, ubi arteriæ, venæve, per foramina calvariæ inſculpta feruntur, qualia inveniuntur in parte ſumma & poſteriori oſſium bregmatis, juxta ſuturas, per quas hæc oſſa inter ſe & cum oſſe occipitis committuntur. Nec ſuturæ excidi debent, niſi ultima neceſſitas medentem ad id cogat. Majus tamen periculum eſt, ſi exciditur ſutura ſagittalis propter proceſſum falcatum, &, qui hoc continetur, ſinum venoſum, quam, ſi exciditur ſutura coronalis, vel, quæ a græca litera Λ nomen habet. Quia & hic proceſſus, & in eo ſinus, etiam ſub oſſe coronali ad os ethmoideum procedunt, nec frontis media, eaque pars, quæ ſuper id eſt, quod inter ſupercilia eſt, tuto perforari poteſt. In parte infima, ſupra orbitam, os duplex eſt, & ſinus habet, qui illud perforari haud ſinunt. Os

occipitis in media parte habet tuberculum, ubi & ſinus ille, qui in ſepto cerebri, ſeu proceſſu falcato eſt, dividitur in duos laterales, qui utrimque excurrunt, & illi ſepto inhærent, quod cerebrum & cerebellum diſcernit. Sinus autem annexi ſunt oſſi, in quo eorum etiam veſtigia impreſſa cernuntur. Inferius occipitium pluribus muſculis contegitur. Igitur nec huic oſſi modiolus aptari poteſt, niſi in ſumma, & non media, ſed laterali parte, quæ futuræ proxima eſt. Nec hunc ferre poteſt os, quod perfractum eſt. Si vero calvaria fiſſa eſt & rimam habet anguſtam, expedit hanc modiolo comprehendere, ita tamen, ne clavus in rimam demittatur, ſed aptetur loco ab ea propinquiori. Rima ſi latius patet, vel, ſi os enſe inciſum eſt, & modioli curatio neceſſaria videtur, hic aptari debet e latere plagæ & interpoſito exiguo ſpatio.

§. 566.

Oportet vero ante omnia os nudari. Jam ſupra præcepi, (549.) cutim, ubi nulla plaga ex vulnere eſt, ad os uſque incidi debere, idque commodiſſime fieri duabus lineis inter ſe tranſverſis ad ſimilitudinem literæ X. Nec vero alienum eſt, cutim duabus lineis lunatis, quarum cornua ſibi obverſa ſunt, incidere, & partem orbiculatam una ſecando excidere. Si juxta futuram foramen faciendum, magis opportunum eſt, cutim ſecare duabus lineis ad ſimilitudinem literæ T. Si vero dividendus eſt muſculus crotaphites, præferenda eſt ſectio, quæ literam V repræſentat, ſic, ut vertex ejus in parte inferiori ſit, baſis vero in ſumma, & ad os bregmatis. Quæ moderatio adhibenda ſit, ſi ſuper oſſibus fractis labantibuſque cutis ſubſecari debet, alias retuli. (549.) Nimis durum videtur, mox angulos ſectæ cutis forfice præcidere: præſtat illos relinquere, & inter eos atque os linamenta ponere. Neceſſe enim eſt, ut prius ſanguis ex facta ſic plaga fluens prorſus quieſcat, quam modiolus oſſi admoveri poteſt; quare vulnus impoſitis linamentis, vel puris, vel ex alcohol expreſſis, deligatur, & ipſa curatio in poſterum differtur. Si vero mala indicia, ægrum in præcipiti eſſe denunciant, haud exſpectandus alius dies eſt, ſed quam primum id ſanguis ex facto vulnere erumpens, qui etiam aliis auxiliis ſupprimi debet, permittit, calvariæ ſectio properanda eſt.

§. 567.

Vulnere ſic per noctem habito, curatio loco calido, lucido, &, ſi res id permittit, in conclavi, adhiberi debet amplo, cujus aër purus eſt & ſiccus, vel, ſi cælum grave & paludoſum videtur, bonis odoribus & ſuffitu correctus. Foribus etiam peſſulum obdere expedit, ne perflatus ſit, qui offendere patefactam cerebri membranam poſſit. Curatio hoc modo ordinatur. Homo, cui aures goſſypio obturantur, collocandus eſt in lectulo, ita, ut capiti ſubjectus ſit durus ſcorteuſque pulvinus. Is etiam, ſi ſatis valens eſt, conſidere poteſt in demiſſiori ſedili. Caput miniſter contineat. Chirurgus digitis prehendit modioli capulum, ſeu manubrium, cum terebello acuminato, (561. 562.) quo prius ſinus exiguus ſit, qui clavum recipiat, ut, eo inſiſtente, circumactus modiolus delabi non poſſit. Sunt, qui hoc negligunt, & mox rem modiolo clavum habente agunt. Ubi vero modiolus circumagendus eſt, ejus clavus in illum ſinum qui terebello impreſſus fuit, demittitur. Summo vero capulo is qui mederi vult, imponit lævam manum, & huic vel frontem, vel mentum. Qui exercitatiores ſunt, ſolam manum imponunt. Si circumagendus eſt modiolus, is ſemper ab initio paululum in adverſam partem circumduci debet, & pòſt ita agi, ut oræ ferratæ oſſi imprimantur. Eſt vero quidam premendi modus, ut & foretur & circumagatur, quia ſi leviter imprimitur, parum proficit, ſi graviter, non movetur. At, ubi jam iter modiolo impreſſum eſt, medius clavus educitur & modiolus per ſe agitur. Interea ſcobis, quæ huic inhæret, detergitur, & penna ſucciſa, vel ſpecillo, foraminis altitudo, num illa undique æqualis ſit, exploratur. Si officulum exciſum, terebra ejici debet, neceſſe eſt, ut hæc, quæ cochleæ in modum intorta eſt, illi ſinui quem clavus fecit, adaptetur, ne officulum, ſi id terebra tollendum eſt, prematur & deſidat. Scobis ſanguinea ſignificat ad diploën ventum eſſe, quo tempore etiam os mollius eſſe, ex modioli motu, & ex ſtrepitu quem is facit, intelligi poteſt. Sed tunc majori cura agendum, ſuſpendendaque magis ſiniſtra manus, & lentius ducendus modiolus eſt; ſubinde etiam foraminis altitudo, & num illa undique æqualis ſit, examinanda. Si enim illud aliqua parte profundius eſt, in adverſam partem inclinari & paulo magis premi poteſt modiolus, quo id,

quod relictum eſt, prius excidatur. Ubi ſcobis iterum albida, & ſi hæc, mediante penicillo, (*ſauſſe tente* 562. 12.) excuſſa eſt, orbis modiolo impreſſus inferius obſcurior eſſe cœpit, & quaſi cæruleus, intelligitur, os fere perforatum eſſe. Igitur modiolus ſæpe attollendus omniaque diligentius exploranda ſunt, ne os inopinato perrumpatur, & ora modioli ſerrata lædat cerebri membranam. Oſſiculum vero tollitur, vel illa terebra, (561. 6.) vel forcipe ad id facta *a* (561. 6.)

§. 568.

Ubi ſic calvaria perforata eſt, ſcalpello exciſorio (561. 9.) foraminis oræ circumradendæ, &, quidquid ſpinoſum eſt & intus eminet, excidendum eſt. Illo vero ferramento, quod membranæ cuſtodem vocavi, (561. 11.) deprimitur cerebri membrana, quo exitus detur humori intus concreto. Qui non effluit, evocari poteſt penicillis, (561. 12.) donec nullum ejus veſtigium appareat. Non parum etiam ad excutiendum humorem confert, ſi æger interea ſpiritum cohibet, & tuſſiens ſternuenſque cerebri membranam commovet atque attollit. Quod ſi vero is ſub dura meninge coiit, neceſſe eſt, hanc ſcalpello (561. 14.) haud timide & ita incidere, ut plaga latius pateat. Arteriis tamen, quæ per hanc membranam feruntur, parcendum eſt. Si quæ ſunt oſſis fragmenta, illa vel removeri debere, vel, ſi majora deſederunt, excitari, jam ſupra præcepi.

§. 569.

Si parvulum oſſis fragmentum intus inditum eſt, idque acutum, duram matrem vexat eique inhæret, id ſæpe ſine hujus graviori noxa tolli nequit. Melius eſt in hoc caſu, membranam incidi, quam valentius trahi atque vellicari. Immo, ſi neceſſarium videtur, aliud foramen modiolo faciendum eſt, quo calvariæ ſinus latius pateat, & fragmentum commode tolli poſſit. Non raro id etiam fieri oportet, ſi majus fragmentum, quod totum perfractum eſt & labat, duramque meningem infeſtat, per foramen extrahi nequit. Si plura foramina facienda ſunt, neceſſe eſt, ut prius alterius orbe comprehendatur. Sic enim ſepta haud relinquuntur, quæ ſcalpro exciſorio & malleo excidenda forent. Illud enim, quod ſic relinquitur & ex ora eminet, ſine negotio ſcalpello exciſorio tollitur.

§. 570.

Quod vero ad curationem attinet, quæ adhiberi debet cerebri membranæ, ſi illa patefacta, aſt ceteroquin integra eſt, optimum eſſe duco, ſi linteolum (563.) purum, & ſuper hoc etiam ſicca linamenta imponuntur, præcipue, ſi non omnis humor evocari potuit, quem ſic linamenta bibere poſſunt. Alii thuris pollen inſpergunt, atque id membranæ, ſi ea integra eſt, inducunt, illud vero linteolo & linamentis ſiccis contegunt. Expedita vero cognitio eſt, ſi dura meninx inflammata vel alienata fuit ex colore. Inflammata enim rubet, & alienata albidior apparet. Igitur, ſi illa inflammata eſt, linteolum, poſtquam per foramen demiſſum & cerebro inductum fuit, reſpergi debet aqua vulneraria, cui parum eſſ. ſuccini, maſtichis & croci adjici poteſt. Videndum vero, ne hæc medicamenta acria ſint & cum ſale tartari parata. Neceſſe eſt, omnia ſimul adhiberi, in quibus adverſus inflammationem periculoſiorem auxilium eſſe alias retuli.

§. 571.

Si vero non dura mater tantum, ſed & ipſum cerebrum, aliqua parte corruptum eſt, & ex foramine pus, vel ſanies, vel alius corruptus humor fertur, ingerenda ſunt medicamenta ad ulcus purgandum idonea. Optimum eſt eſſentia ſuccini, cui aliquot guttulæ olei terebinthinæ admixtæ ſunt. Si vero ulcus valde impurum eſſe videtur, pauca eſſentia myrrhæ addi poterit. Si hæc valentiora videntur, dilui queunt aqua vulneraria. Commodus etiam eſt liquor, quo Galli crebrius utuntur, qui balſamum Fioravanti vocatur. Inimica ſunt acria, aquoſa, pinguia & nimis digerentia. Optima ſunt ſic dicta ſpirituoſa; nocere tamen poſſunt, ſi valentiora ſunt, quia dura mater quæ valde nervoſa eſt, iis nimium adficitur. Spirituum uſu etiam omnem ſuppurationem cohiberi, alias retuli.

§. 572.

Si vero ulcus in cerebro eſt, & ſi hoc aëre, vel medicamentis nimium mollientibus ac digerentibus alienatum, & ſi vulneri laxior vinctura adhibita fuit, per calvariæ foramen, ſuperque hanc ipſam, tumor excreſcit rarus, mollis, putris carnis inſtar, qui, cum celerius in majorem molem augetur, fungus cerebri dicitur. Is avertitur evitatis his omnibus, ex quibus is naſci-

tur, & ſi in calvariæ foramen, quod vel ex vulnere eſt, vel a modiolo factum, demittuntur illi minores atque paulo duriores glomi ex linamentis formati, (563. 2. fig. IV.) & his imponuntur multiplices ac gradati panni. Multi etiam uſus eſſe potest in hoc caſu illa plumbea & crebris foraminibus pertuſa lamina Belloſtii: (563. 3.) quæ omnia, & ſi liquores illi ſpirituoſi ſuperhabentur & vulnus rarius ac celerius deligatur, cerebrum ſic excreſcere haud patiuntur.

§. 573.

At, cum fungus jam increvit, is ſcalpello præcidi debet & reſpergi alcohol, quo etiam ſanguinis profluvium ſupprimitur. Supra imponenda ſunt linamenta ex ſpiritu maſtiches & ſuccini expreſſa. Neceſſe vero eſt, ut, impoſitis linamentis panniſque, adhibeatur paulo adſtrictior faſcia, quo illud, quod iterum excreſcere poteſt, contineatur. Nonnulli medicamentis uti malunt ad carnem ſupercreſcentem exedendam idoneis. Ergo inſpergunt pulverem ex ariſtolochia, ſabina, caryophyllis, maſtiche, olibano & vitriolo uſto; quæ, quum acria ſint, minus tuta ſunt. Nam cerebrum graviter afficiunt & magnam in eo ſuppurationem movent.

§. 574.

Quod ſi pura membrana, & æger, ſine malis ſignis eſt, caput ſic deligatum contineri debet, donec foraminis ora, ſeu os quod emortuum fuit, a parte ſana receſſit; id quod non protinus, ſed interpoſito plurium dierum ſpatio, fieri ſolet. Interim oſſi nudato imponi debent linamenta ex alcohol expreſſa. Ubi tempus proceſſit, os labare incipit, tandemque caruncula excreſcit, quæ intra integram atque emortuam partem ſubit, & id quod inter oſſa vacuum eſt, implet. Hæc caruncula in callum duratur, qui quaſi oſſis cicatrix eſt. Sub finem vero callus, proceſſu temporis ſolidatus, in os degenerat.

§. 575.

Quamdiu callus adhuc tenerior eſt nondumque confirmatus, qualis in corporibus imbecillis diu quandoque eſſe ſolet, is contra ea quæ extrinſecus incidere poſſunt, tuendus eſt, impoſita aurea, vel plumbea lamella, vel etiam panniculo denſo craſſoque.

§. 576.

Reliqua autem curatio eadem eſt, quæ in omnibus. Celerius,

& quantum res permittit, rarius vulnera reſolvenda ſunt. Id bis per diem fieri, tunc ſaltem neceſsarium eſt, ubi magnus puris modus ex vulnere, & præcipue ex cerebro fertur. Omnia, quæ vulneri ſuperdantur, tanto magis ea, quæ per effractam, vel exciſam calvariam demittuntur, prius calefieri oportet. Avertenda ubique aëris noxa eſt, evitandaque ſunt omnia, quibus vulnera infeſtari (391. 402.) queunt. Nullibi magis neceſsaria eſt abſtinentia, victus tenuis, potuſque aquoſior. Nec quidquam magis ſanguinis miſſionem deſiderat, quam ſi plaga capiti illata eſt. Quia vero metus eſt, ne ſanguis ex rupta quadam vena miſſus ſub calvaria coëat, expedit, illum protinus, & nulla interpoſita mora vel dubitatione, mitti, ejus etiam quam plurimum detrahi. Neminem medentium hanc occaſionem, qua plures, qui in præcipiti ſunt, ſervari poſſunt, decet omittere.

VULNERA FACIEI.

§. 577.

Vulnerum, quæ in facie incidunt, non alia curatio eſt, quam, qualem ſupra præcepi. (375. ad 390.) Ea potiſſimum diligentia in his adhibenda eſt, ut cicatrix inducatur minime fœda, utque illa nec excreſcat, nec concava ſit, ſed ſanæ cuti æqualis.

PALPEBRÆ SUPERIORIS CASUS.

§. 578.

Ubi muſculis qui in fronte ſunt, plaga tranſverſa illata fuit, & hæc cum oculo qui ſub ea eſt, ita deligatur, ut cutis multum inter ſe diducatur lataque cicatrix fiat, accidere poteſt, ut palpebra ſuperior attolli nequeat, quod vitium πτώσις τῦ βλεφάρυ vocatur. Si vero illud accidit, ut pili, ſeu cilia, ad ipſum oculum obvertantur, φαλάγγωσις [a], nomen eſt. Hoc vitium etiam oritur, ſi muſculus ille quo ſuperior palpebra tollitur, reſolutus, vel tranſverſa plaga diſsectus eſt.

[a] Vid. AETIUS Lib. VIII. Cap. 68. p. 135. edit. Ald.

§. 579.

Jam a vetuſtiſſimis auctoribus *a* huic malo inventa curatio eſt, qua cutis quæ in palpebra abundare videtur, exciditur & vulnus glutinatur. Quo vero hæc curatio minus dubii habeat, recentiores inſtrumento utuntur ad id facto *b*. Compoſitum eſt ex duobus argenteis bacillis, quæ in altero extremo commiſſuram, per quam, velut per cardinem, clavus trajectus eſt, in altero vero cochleam habent. Hac ultima mediante, bacilla quæ crebris foraminibus pertuſa ſunt, coarctari poſſunt. Eum vero qui curaturus eſt, ſedulo conſiderare oportet, quantulo cutis detracto futurum ſit, ut naturaliter ſe habeat palpebra; longiorem vero cutim iſtis bacillis ita includere, ut id quod excidendum eſt, ex iis promineat. Prius vero tranſui laxior palpebra debet, & acus minor filum ſericum inceratum ducens, per illa bacillorum foramina & cutim ita tranſmitti, ut in quoque foramine filum paulo longius relinquatur. His conſtitutis ſcalpellus adhibendus eſt, & eo omne id quod ſuper bacilla palpebram continentia eminet, præcidendum. Ubi cutis ſecta fuit, ita tollenda bacilla ſunt, ut fila per palpebram trajecta in hac relinquantur. Filorum autem capita pòſt inter ſe deligantur & oræ vulneris junguntur. Superdanda ſunt medicamenta, quæ glutinant. Optimum eſt, imponere linamenta balſamo de Mecha illita. Summa cura id quod ita ſutum fuit, tuendum: quare etiam uterque oculus obligandus & per aliquot dies ita continendus eſt.

a Vide CELSUM Lib. VII. Cap. VII. No. 8. PAULUM & AETIUM l. c.
b Hoc primus delineavit GEO. BARTISCH in Ὀφθαλμοδουλεία P. IX. Lib. XIV. p. 178. Lites de eo agitatæ fuere inter RUYSCHIUM & RAVIUM. Vide RUYSCHII Epiſt. XIII. & RAVII Reſponſionem ad defenſionem RUYSCHII, ubi adjecta eſt figura.

§. 580.

Si vero oculus aperiri nequit, quia muſculus reſolutus eſt, expedit prius imponere medicamenta roborantia, linamenta ex ſpiritu (§. 81.) expreſsa, & his ſuperdare ſaccellos ex herbis roborantibus. (518.) Si hæc parum proficiunt, experiendæ cantharides ſunt. Minimum enim emplaſtrum, quod ex iis compoſitum eſt, imponi poteſt mediæ palpebræ. Veteres in hoc caſu ferramentum candens admoverunt, id quod vero circumſpectius fieri oportet, & demiſsa prius in oculum lamella plumbea.

ΛΑΓΟΦΘΑΛΜΟΣ.

§. 581.

Aliud vitium ſuperioris palpebræ eſt, ſi illa parum deſcendit, ideoque oculum non contegit. Atque id quoque evenit, ſi vulnera colliſa, vel in ipſa palpebra, vel in muſculis, qui in fronte ſunt, non recte fuere curata. Huic vitio mederi haud licet, ſi id in corpore tenui eſt, & quod cutim macie adductam habet, nec etiam, ſi multum palpebræ deeſt. Si vero corpus plenum, & parum palpebræ deeſt, id curatio reſtituere poteſt.

§. 582.

In oculum, diductis palpebris, inſerendum eſt cornu, (Gallis *emboitement*,) vel lamella plumbea. Neceſſe vero eſt, ut ante, quam hæc in oculum demittuntur, is axungia quadam ſuperinungatur & ei tenerioris veſicæ (323.) fruſtulum inducatur. His conſtitutis, palpebra adducitur, & cutis cum adipe infra ſupercilium inciditur, lunata figura, cornibus ejus juxta utrumque oculi angulum deorſum ſpectantibus. Ea vero moderatio adhibenda eſt, ne & palpebræ cartilago, neque muſculus quo ea attollitur, lædantur. Ultimum enim ſi incidit, attolli palpebra non poteſt. Cutis vero ſic inciſa tantum diducitur, ut, hiante plaga, ima palpebræ ora paululum deſcendat. In plagam vero conjiciuntur lamella plumbea prius ei aptata, vel linamenta ſicca, quæ, diductam cutim conjungi, prohibent. Oculus, impoſitis pannis, faſcia quæ paulo valentius adſtringitur, comprehenditur. Eſt ferramenti quoddam genus, quo oculus multum comprimi poteſt. (*fig. XIII.*) Ubi tamen cavendum, ne ei, nimium his irritato, ſuperveniat inflammatio. Si curatio bene cedit, cicatrix latior naſcitur, quæ, ſi eum locum implevit, recte oculus operiri poteſt.

ECTROPIUM.

§. 583.

Nonnumquam inferioris palpebræ vitium eſt, quo parum ſurſum attollitur, ſed pendet & hiat, neque poteſt cum ſuperiore committi. Ἐκτρόπιον Græci vocant. Atque id evenit ex mala

curatione, ſi ex cicatrice cutis contractior eſt. Aliquando intus ſub palpebra tumores naſcuntur. Nonnumquam infantes cum hoc vitio in lucem eduntur, quorum oculi digitis obſtetricantium nimium vexati fuerunt. In ſenibus reſolvitur quandoque muſculus, quem orbicularem vocant. Si fiſtulæ lacrymali efficacior chirurgia adhibetur, quandoque, vel ſcalpello, vel ferro candente, cutis læditur, qua palpebræ in oculi angulo interno inter ſe committuntur, quæ res etiam ἐκτροπίῳ occaſionem dare poteſt.

§. 584.

Si cutis contractior eſt, eadem ratio chirurgiæ eſt, quam ſupra (581.) poſui. Plagæ tantum cornua ad maxillas, non ad oculum, convertenda ſunt. Si vero intus ſub palpebra caro increvit, hanc ad imam radicem acu incurva perforare & pòſt ſcalpello excidere commodiſſimum eſt. Excidenda eſt paulatim ſecando, & ita, ut ſcalpellus acui quæ trajecta fuit, & ipſi oculo obvertatur. Sic enim acus oculum lædi non ſinit. Expedit vero ſanguinem fluere pati, &, ubi is conquievit, plagam ſcalpello altius concidere, immo ei admovere lapidem infernalem. Major enim vis adhibenda eſt, ne tumor iterum increſcat & revertatur. Summa etiam moderatione opus eſt, ne his adurentibus oculus irritetur: quare prius neceſſe eſt, illum axungia, vel balſamo de tutia ſuperinungi, & veſicam inter eum ac palpebras inſeri. Si muſculus orbicularis reſolutus eſſe videtur, experienda ſunt ea, quæ ſupra (379.) poſui. Nam, ſi ex aliis occaſionibus vitium enatum eſt, illud nullam curationem recipit.

§. 585.

Ἐντρόπιον eſt, ubi palpebræ inferioris ora oculo obverſa eſt. Huic rarius mederi licet, ſi interior palpebræ tunica inciditur, & plaga ea ratione qua poſui, diducitur atque glutinatur.

SUTURA PALPEBRÆ.

§. 586.

Si tota palpebra vulnere diſſecta eſt, ea ſui poteſt. Neceſſe vero eſt, ut prius, quam acus tranſmittitur, inter eam atque oculum inſeratur lamella plumbea. Hæc, poſtquam ſuta eſt pal-

pebrâ, tollitur, & in oculum conjicitur veſica, balſamo de tutia, cui parum balſami de Mecha admixtum eſt, illita.

VULNERA OCULORUM.

§. 587.

Si vulnere pertuſa eſt cornea, vel ſclerotica, omnis humor ex oculo effluit, quem vero protinus iterum renaſci jam veteres haud ignoraverunt *a*. Si nihil aliud vitii acceſſit, vulnus glutinatur, impoſito albo ovi & inſerta inter palpebras veſica. In oculum etiam conjici poteſt balſamum de tutia, cui parum balſami de Mecha adjectum eſt. Neceſſe vero eſt, ut oculus conquieſcat: quare uterque oculus obligandus, & æger in lectulo continendus eſt.

a Id GALENUS in puero viderat, qui vero hoc ſingulare eſſe putavit. Vid. L. I. de Sympt. cauſis Cap. II. T. VII. p. 48. Præterito ſæculo plures ludificatus eſt BURRHUS, callidus arcanorum venditator, qui de medicamento gloriatus eſt, quo oculorum humores reſtitui poſſint. Vide ejus Epiſtolam a THOMA BARTHOLINO editam.

STAPHYLOMA.

§. 588.

Aliud vero ſub ictu oculi periculum eſt, ne, dum aqueus humor ex plaga corneæ illata effluit, ſimul prolabatur tunica vuea, quod vitium, quia ſimilis figura acino fit, σαφύλωμα dicitur. Hoc ſi accidit, quia cornea malo ulcere exeſa eſt, lumen amittitur oculuſque rumpitur, ideoque ſupervacua omnis curatio eſt. Si vero ex vulnere devolvitur tunica vuea, ſervari poteſt oculus, qui vero etiam non nimium diſtantem curationem deſiderat.

§. 589.

Homo protinus reſupinari debet, idque omne quod ex vulnere prolapſum fuit, condi. Hoc commode fieri poteſt ſpecillo ex balænaria virga ſecto. Quo melius vuea in ſedem ſuam reducatur, oculus leniter premi poteſt. Si plaga anguſtior eſt, quam ut id quod prolapſum fuit, refundi poſſit, ea ſcalpello exiguo falcato incidenda eſt, donec ſatis pateat. Magna vero moderatio adhibenda eſt, ut, neque illa media corneæ pars

quæ pupillæ obverſa eſt, neque prolapſa tunica, ſecando, premendove, lædantur. Prius enim ſi incidit, cicatrix quæ relinquitur, aciem hebetat, &, ſi vuea premitur atque irritatur, periculoſior ſequitur inflammatio.

§. 590.

Poſtquam ſic vuea reſtituta eſt, licet iis medicamentis non inutiliter uti, quæ glutinandis oculorum vulneribus idonea ſunt. (586.) Oportet etiam cum his inferi veſicam. Ad inflammationem vero avertendam ea curatio neceſſaria eſt, quam alias propoſui. (292.) Quo vulnus citius coëat, oculus modice comprimendus eſt: quare ſuper linamenta extrinſecus oculo impoſita dari poteſt plumbea lamina, & mediante faſcia adſtringi, vel aptari machina ad id facta. *Fig. XIII.*

§. 591.

Ad hanc rem etiam pertinet, corpus recte jacere, ut ſuperior ſemper pars ea ſit, in qua vulnus eſt. Igitur, ſi hoc inferius eſt, collocari homo ſupinus debet, coxis elatioribus, capite demiſſo. Si in latere, in id, ubi oculus integer eſt; ſi vero in ſumma oculi parte plaga eſt, oportet hominem fere erecto capite eſſe. Æger continendus tamdiu eſt, donec vulnus glutinatum & in oculo renatus humor eſt.

§. 592.

Si enim id quod elapſum fuit, jam vetuſtate alienatum videtur, altera curatio eſt, illud hamulo, vel filo trajecto, attollere & ad ipſas radices excidere, ulcus autem ſanare: qua curatione vero omnis oculi acies corrumpitur.

VULNERA NASI.

§. 593.

Naſo ſubeſſe oſſa atque cartilaginem, nemo ignorat. De oſſibus fractis infra dicendum. Cartilago vero acu haud tuto trajicitur: quare, ſi futura neceſſaria eſt, ſola cutis ea comprehendi debet. Inimica ob id etiam ſunt omnia medicamenta pinguia & nimium digerentia. Magis opportuna eſt eſſ. balſamica. Si vero interior membrana quæ a pituita nomen habet, læſa fuit, intus injici, vel naribus duci, debet aqua vulneraria, cui adjici eſſentia ſuccini poteſt, vel alius liquor, ad hæc opportunus.

§. 594.

Naſum penitus præciſum iterum glutinari poſſe, nonnulli prodiderunt *a*. Alii anniſi ſunt, ut hunc, vel ex ipſius hominis, vel ex alius cute, ex brachio plerumque, exciſa adductaque ſarcirent *b*.

a Adducitur Hiſtoria ex HENR. MOINICHEN Obſerv. Med. c. LYSERI Cultro Anatomico editis Obſ. 23. p. 212. Hic enim teſtatur, ANTONIUM MOLINETTUM in prælectionibus de patre ſuo, Chirurgo Veneto, prodidiſſe, eum, cujuſdam qui hanc ſcelerum pœnam pertulerat, naſum abſciſſum, calente pane per medium fiſſo excepiſſe, & injecta ſutura glutinaſſe. Sed MOLINETTUS in Diſſert. Anat. Pathologicis L. IV, Cap. XII. p. 174. nullam hujus curationis mentionem facit; id autem affirmat, ſe anno MDCXXV. vidiſſe *nares* a parente nobili Polono *elegantiſſime reſarcitas*. (hæc ejus verba ſunt) Illa hiſtoria, quam GARENGEOTTUS *des Operations* T. III. Obſ. VI. p. 55. propoſuit, fidem auctoris non parum imminuiſſe videtur.

b De hac curtarum narium curatione legi meretur GASP. TALIACOTII Chirurgia curtorum per inſitionem; liber, qui certe egregia & eleganti doctrina abundat. Sunt vero plures, qui putant, omnia quæ in eo propoſita ſunt, commentitia eſſe & jactandi ingenii cauſa a TALIACOTIO ſcripta. In horum numero fuit JOH. ANDR. A CRUCE in Chirurgia T. II. L. II. Cap. III. p. 82. Quo minus vero cum eo aliiſque ſentiamus, vetant teſtimonia præſtantiſſimorum & fide digniſſimorum Scriptorum. Teſte enim CORTESIO in Miſcell. medicis Dec. III. p. 83. TALIACOTIUS hanc artem accepit a Turpienſibus medicis ex Boiana familia natis, in qua, ut olim medicina in familia Aſclepiadarum, hæc ars a quodam PETRO BOIANO inventa tradita fuiſſe dicitur. Et ipſe TALIACOTIUS, ſe hanc artem non inveniſſe, ſed a medicis quibuſdam in Calabria accepiſſe, fatetur in præfat. Etiam acriter contra eos pugnat, qui, artem vanam eſſe, ſibi aliiſque perſuadent L. I. Cap. XVII. p. 44. Adducit auctores plures, qui de ejus veritate ante tempora quibus ille ſcripſit, teſtimonia gravia dederunt, ALEXANDRUM BENEDICTUM, VESALIUM, PARAEUM, GOURMELENUM, SCHENCKIUM Cap. XIX. p. 49. Immo rem experimentis a ſe factis confirmat L. I. Cap. XXIII. p. 69. Etiam in Epiſtola, quam ad MERCURIALEM dedit, & quæ in hujus Libro de Decoratione, Cap. XVIII. in edit. Francofurti Anno MDLXXXVII. impreſſa legitur, is plures nobiles viros nominat, quibus a ſe nares reſtitutas fuiſſe aſſeverat. Atque non ſolum MOLINETTUS c. l. ſed etiam FIENUS in Chirurg. Lib. XII. Cap. I. & HILDANUS Cent. III. Obſ. 31. p. 214. & in Epiſtola ad JOH. GRIFFONIUM in Epiſt. Cent. Ep. XXII. quem propter hanc curationem puellæ feliciter adhibitam laudat, teſtantur, ſe tales homines vidiſſe, quibus ſartæ fuerint & reſtitutæ nares. Conf. G. F. DE FRANCKENAU Diſs. med. de Reſtit. in integrum, Sat. Med. p. 501. SALTZMANNI Diſs. de Chirurgia Curtorum Anno MDCCXII. & H. A. R. Sc. MDCCXIX. p. 36. TALIACOTIO in Theatro Anatomico Bononienſi ſtatuam poſitam eſſe dextra naſum tenentem, teſtatum reliquit VVAGENSEIL in Exercit. varii argum. p. 61.

VULNERA MALARUM.

§. 595.

Malarum vulnera, ſi altiora ſunt, ſui debent. Aliquando accidere ſolet, ut parotidis canalis, cui nomen a Stenone eſt, vulnere diſciſſus ſit. Is enim ex dicta glandula eductus fertur ſuper maſſeterem muſculum, per muſculum buccinatorem penetrat, & juxta alterum vel tertium dentem maxillarem ſuperioris maxillæ ori inſcritur. Cum hic ſalivæ ductus diſciſſus eſt, humor multus, tenuis, dilutus ex vulnere exit & illud glutinari haud ſinit. Quare vulnus tandem in ulcus degenerat. Saliva eo tempore copioſior effertur, quo homo loquitur, vel cibos mandit & maxillam movet.

a Vide STAHLII Theor. medicam. p. 720.

§. 596.

Hoc ſi vel ex vulnere, vel ulcere incidit, ſalivæ nova via in os aperienda eſt. Ergo ſubula, vel aliud ferramentum acutum mucronem habens, in ipſum vulnus ita demittendum eſt, ut membranam quoque, qua os ab interiori parte finitur, tranſeat. Ne intus aliquid lædatur, neceſſe eſt, ut is qui mederi vult, digitum in os demittat & objiciat mucroni. Per plagam ſic factam, mediante ſpecillo, vel acu recta averſa, trajicitur filum ex ſerico paulo valentius & tortum, quod in ea relinquitur. Quia neceſſe eſt, ut interioris vulneris oræ occalleſcant, os crebrius ſpiritu ardente perluendum eſt. Callum ſatis durum eſſe, intelligitur, ſi in vulnere nullus ſenſus eſt. Quo vero ſaliva ad interiora feratur, educendum filum & lapide infernali non niſi exterioris ulceris callus erodendus eſt, relicto interno. Ubi vero ſic ulcus exterius in mala purum factum eſt, neceſſe eſt, illud comprimere & ſuperdare glutinantia, quo ſaliva in os defluat. Si vulnus mox penetravit, vel, ſi illud colliſum eſt, filum non, niſi ſub finem curationis, immitti debet. At vero, ubi cicatrix inducenda eſt, oportet ægrum nec loqui, nec cibos mandere, nec buccas inflare.

b Vid. CHESELDENS *Anatomy* Lib. III. Cap. III. p. 133. ALEXANDER MONRO *in the Medical Eſſays* Vol. II. Obſ. XIII. p. 249. Mihi notum eſt exemplum, ubi vulnus recens ſcalpello tenui acuto illatum, & ex quo co-

pioſior ſaliva exiit, impoſitis pannis & adſtrictiori faſcia brevi fuit curatum. Opinor, ductum ſalivalem, quamvis valde exiguus is ſit, fuiſſe non diſciſsum, ſed inciſum.

AURIUM VULNERA.

§. 597.

Auris quandoque vulneratur, cujus major pars cartilaginoſa eſt. Vulnus, ſi recens eſt, adduci poteſt, & protinus glutinari. Si ſutura opus eſt, ea ſola cutis, non vero cartilago, comprehendi debet. Si vulnus jam alienatum fuit, neceſſe eſt, ut a cartilagine aliquid, velut ab oſſe, abſcedat; quare ſuperdari debet eſſ. maſtichis, ſuccini, elemi. Si tota auris abſciſſa fuit, homo gravius audit. Levamen adfert cochlea cava ex metallo confecta, qua aëris tremores colliguntur, augenturque, & ad interiora perferuntur.

LABRORUM VULNERA.

§. 598.

Labra, ſi vulnere diſſecta ſunt, difficilius ſaneſcunt, quod illa, dum cibus aſſumitur & ſermo explicatur, multum commoventur. Experiendum eſt emplaſtrum glutinoſum, & ſervanda quies atque abſtinentia. Si vero plaga major eſt, vel aliquid mutilatum fuit, ad illud ſuturæ genus veniendum eſt, quod curtis labris, & ſic dicto labro leporino, adhibetur.

LABRUM LEPORINUM.

§. 599.

Non raro enim pueri naſcuntur, quorum mediis labris aliquid deeſt. Fere ſemper hoc vitium, ſi ex utero eſt, in ſupremo labro eſſe ſolet. Cum labro etiam quandoque maxilla ipſumque palatum fiſſum eſt & mutilatum, ex qua re magna deformitas oritur.

§. 600.

Curatio quæ huic vitio adhibenda eſt, impedit, quo minus infantes lactantes mammam ſugere poſſint; quare ei hæc ætas haud idonea eſt. Differri minimum debet, donec pueri a lacte depulſi ſunt. Vagitus etiam nocere multum poteſt.

§. 601.

Ratio curationis ejuſmodi eſt. Oræ labri fiſſi utrimque forfice præciduntur. Illæ enim inter ſe junctæ coire nequeunt, niſi naturam recentis vulneris habeant. Magna vero cura cavendum eſt, ne nimium cutis præcidatur. Forfice etiam nullum cultratum mucronem habente inciditur illa membrana, qua labri ſumma pars cum gingiva committitur. Si etiam in ſuprema parte aliquid ex ora relictum fuit, id vel forfice concidi, vel ſcalpello præcidi debet. His factis, cutis utrimque digitis premitur & adducitur. Videndum vero eſt, ut recte inter ſe committantur oræ exaſperatæ, ne deformis cicatrix fiat. Per has itaque, mediante ferramento ad id facto, (379.) trajiciuntur acus acutæ, & quidem in pueris duæ, in adultis quandoque tres, quæ in labro relinquuntur.

§. 602.

Acuum vero plura genera ſunt. Ferreæ optime ſequuntur. Sed cum in vulnere relinquuntur, rubigo ei nocere poteſt. Ideo præferri debent, quæ ex auro fiunt crebrioribus mallei ictibus indurato. Dum trajiciuntur, expedit, inter labrum & gingivam demittere laminam plumbeam. Prima acus per ſupremam labri partem tranſmittitur, ultima per imam. Ita vero immittendæ ſunt acus, ut oræ ſibi æquales fiant. Melius autem cutis, quæ adducitur, ſequi poteſt, ſi malæ manibus famuli premuntur. Ubi acus ſic trajectæ in labro hærent, circumvolvitur linum, quo oræ, ne iterum diducantur, valentius continentur. Si acus longiores ſunt, & metus eſt, ne illæ cutim offendant, forcipe præciduntur, & earum extremis emplaſtrum aut linamentum ſubmittitur. Non alia vero imponuntur medicamenta, quam, quæ ſuto vulneri idonea alias præcepi. (381.)

§. 603.

Sed hæc curatio quaſdam etiam animadverſiones deſiderat. Ubi ex præciſis oris ſanguis fluit, is ſupprimi nullo medicamento debet. Sponte enim conquieſcit, poſtquam oræ adductæ & ſutæ fuerunt. Cavendum vero, ne is ab ægro deglutitus vomitum cieat, vel ſpiritum intercludat: quare caput ſublime habendum, quo ſanguis ex ore poſſit efferri; id quod præcipue obſervandum, ſi infans curatur.

§. 604.

Nonnumquam aliquis ex prioribus dentibus multum prominet, qui prohibere poteſt, quo minus oræ ſaneſcere & glutinari poſſint. Igitur is, antequam curatio ſuſcipitur, evellendus eſt. Ne etiam labrum & gingiva poſt curationem inter ſe cohæreant, intus dari & inter utramque partem demitti linamenta debent. Quia vero hæc varium humorem bibunt, quo vulnus alienari poteſt, neceſſe eſt, ea frequentius mutari. Minus hæc opportuna ſunt infantibus, cum guttur obſtruere & ſpiritum intercludere poſſint, vel ab his quandoque deglutiantur. His confert, plumulam, melle, vel alio medicamento ad id idoneo madentem, crebrius intus demittere, & ſic prohibere, quo minus illæ partes inter ſe coaleſcant.

§. 605.

Si vero, præciſis oris, vulnus valde, & adeo hiat, ut illæ contrahi ſatis nequeant, alia experienda ſunt. Emplaſtris glutinoſis, quæ malis imponuntur, adſuuntur utrimque fibulæ, per quas tranſmittitur linum, quod, valentius adductum, oras vulneris ita jungit, ut ſe contingant. Per ea emplaſtra etiam plura fila acu tranſmitti & eorum capita inter ſe deligari atque adſtringi queunt. Alii utrimque cutim figura vel linea lunata, & ad vulnus converſa incidunt, & hujus oras inter ſe multum diducunt, quo cutis, dum ad glutinandas prioris vulneris oras attrahitur, ſequi poſſit. Super lineam illam inciſam dant linamenta, vel lamellam plumbeam, ut caro increſcat, eamque impleat, utque cicatricis latitudo aliquid cutis præſtare poſſit.

§. 606.

Filum, quod circa acum volvitur, inceratum eſſe oportet & ſatis valens. Neceſſe vero eſt, ut quælibet acus proprium filum habeat, quod illæ, glutinatis inter ſe oris, ſine negotio poſſint educi. Faſcia præ aliis idonea eſt, quæ fundæ figuram habet. Eam vero injectam ante quartum diem reſolvi haud decet, nec prius futuras eximi, quam oræ fuerunt glutinatæ. Hoc fere quinto vel ſexto die eſſe ſolet, quo acus labare incipiunt. Ubi educuntur, digitis comprimendæ oræ ſunt, & ſumma moderatio adhibenda, ne id quod glutinatum fuit, diducatur. Nec expedit, uno die omnes acus extrahere, ſed prius ſupremam, vel mediam, & pòſt etiam inferiorem. Ubi illæ eximuntur, linum et-

iam commode tollitur. Poſtquam acus eductæ ſunt, panni oblongi gradati ſuperimponi poſſunt, & his injici habena medio in longitudinem inciſa, quam faſciam unientem vocavi. (15. 375.)

LINGUÆ VULNERA.

§. 607.

Rarum non eſt, linguam vulnerari, id quod, vel telo & gleba plumbea, vel ipſius hominis dentibus, fieri ſolet. Hæc res cum dolore etiam hanc habet moleſtiam, quod ſermo prohibetur & cibi mandi ac deglutiri vix queunt. Linguæ vulneratæ non alia ſuperdanda ſunt medicamenta, quam, quæ ſine noxa deglutiri poſſunt. Eſſentia ſuccini parvo ſacchari fruſtulo excipienda linguæ imponitur. Si vero ardor atque dolor urgent, magis commodum eſt, oleum amygdalarum dulce cum ſaccharo miſcere, & ei eſſentiam modo dictam adjicere. Nec, præcipue vulneri colliſo, alienum eſt mel roſatum, cui etiam eſſentia balſamica commode admiſcetur. Os crebrius elui poteſt decocto, quod & naturæ vulneris & tempori inflammationis accommodatum eſſe debet. Saliva, qua vulnera purgantur, non parum ad curationem confert. Si lingua inflammatur, ea altius concidenda eſt. Nec illud ignorari debet, non aliam fere partem in univerſo corpore cancro magis opportunam eſſe, quam linguam & utrumque labrum.

RESOLUTIO LINGUÆ.

§. 608.

Eſt chirurgiæ quoddam genus, quod adhiberi debet pueris, quibus a primo natali die lingua cum ſubjecta parte juncta eſt, & qui ob id nec ſine moleſtia mammam ſugere, nec, ubi adoleverunt, verba recte formare poſſunt. His membranam, qua lingua inhæret, ſcalpello reſecari oportet. Quo vero hoc ſine periculo fiat, & ne majores venæ quæ ſub lingua ſunt, vulnerentur, linguæ ſubmittitur ferramentum in extrema parte inciſum. (*Fig. XIV.*) Hac inciſura excipitur illa membranula, frenulum vocant, quam forfice incidunt. Eſt aliud ferramentum, (*Fig. XV.*) cui ſcalpellus minor affixus eſt, qui elatere move-

tur. Hoc, ſi in os inſeritur, & lingua attollitur, & venæ cuſtodiuntur, & preſſo elatere membrana illa ſine periculo inciditur.

a CICERONI hæc chirurgia cognita fuit. Vid. L. II. de Divinat. Cap. XLVI. T. IV. p. 1120.

CALCULI SUB LINGUA.

§. 609.

Calculi ſub lingua in ductibus ſalivam ferentibus nonnumquam concreſcunt, qui, ubi grandiores fiunt, ſummos dolores movent. Neceſſe eſt, eos, inciſis ſcalpello membranis, excutere & vulnus glutinare. Nam & hujus vulneris curatio in prioribus poſita eſt.

CERVICIS VULNERA.

§. 610.

Evenire poteſt, ut muſculis, qui in cervicibus ſunt, & quorum actione caput ſublime habetur, enſe altius incidantur. Hoc ſi incidit, caput in anteriora prolabitur, & attolli nequit. Nec illud contineri ſutura poteſt, ſed opus eſt faſcia, quam *Dividentem* appellant *b*.

b Vid. HEISTERI Chirurg. P. III. C. III. p. 1197. Tab. XXXVII. BASSIUS Tab. IX. fig. I. a. Longe tamen melius hæc faſcia caput continet, ſi ei additur alia habena duarum circiter ulnarum. Hæc prius capiti ita imponitur, ut fines utrimque a fronte & a cervice dependeant. Super hanc fronti injicitur alia longior faſcia in duos fines, ſeu capita, glomerata, eaque media. Capita, quæ in utramque partem ducta in cervice decuſſant, illam dependentem habenam comprehendunt & ſiſtunt. Procedunt faſciæ capita, & dexterius ſiniſtra, ſiniſtrum dextra ſub alas fertur, a quibus iterum per pectus ad cervicem tendunt. Priuſquam vero eo pervenerunt, retro dandum eſt id, quod ex habena a facie dependebat; quod etiam faſcia, cujus iterum unum caput ſuper alterum fertur, comprehenditur. Faſciæ capita ad hominis caput revertuntur, & circa hoc volvuntur, a quo per cervicem ad alas deſcendunt, tandemque ut diverſa ducta pectus amplectuntur & finiunt. In cervice illa habena decuſſanti faſciæ adſui, vel acu adfigi poteſt.

VULNERA COLLI.

§. 611.

Collum etiam multa periculi plena vulnera recipit. Nam in nulla corporis ſede tot & tam variæ partes ſunt ad vitæ uſum

neceſſariæ, quam in collo *a*. Præter nota enim corporis tegumenta ac plures muſculos, ſunt variæ glandulæ, illa major thyroidea, & præter hanc, aliæ jugulares & cervicales, trachea cum larynge, ſtomachus cum pharynge, arteriæ carotides, quæ ſub maxillis in internas externaſque dividuntur, venæ jugulares, ſuperius etiam in internas externaſque diviſæ, arteriæ & venæ vertebrales, quæ ab utroque latere per vertebrarum proceſſus, in cervice tenuibus cavis pervios, feruntur. Nervi paris octavi, ab hoc recurrentes *b*, nervi intercoſtales *c*, cervicales, & ex his phrenici aliique, os hyoides, vertebræ, &, quæ per has medias fertur, medulla.

a Vid. CONR. GRAFII Diſſert. de Caſu Autocheiriæ, Gieſsæ, MDCCXII. In hac hiſtoria vulneris legitur, quod ſibi αὐτοχειρ intulerat, in quo collum ab auricula ſiniſtra ad dextram inciſum, & præciſa fuit larynx, non totus præciſus, aſt inciſus ſtomachus, carotis externa, duæ jugulares externæ etiam affectæ. Nihilominus vero homo ad duodecimum uſque diem ſuperſtes fuit. Similem fere caſum retulit LA MOTTE Chir. T. II. Obſ. 212. p. 519.

b Vid. de nervo recurrente vulnere diſſecto GALENUS de Locis affectis L. I. Cap. VI. T. VII. p. 396. & LA MOTTE c. l. Homo verba quidem ore explicare poteſt, aſt ſubſurda & ſuppreſsa voce. Experimenta in brutis facta vid. in GALENO de Prænot. ad Poſthumum Cap. V. T. VIII. p. 837. Confer *the Medical Eſſays* Vol. II. Obſ. VIII. p. 114.

c Vid. experimenta, quibus nervi paris vagi & intercoſtales in animalibus præciſi fuere in Com. A. R. Sc. MDCCXXVI. p. 96.

§. 612.

Hæc vulnera oculis ſubjecta ſunt. Ipſæ vero ſedes, quas ex Anatomia diſcimus, indices ſunt partium percuſſarum. Scire etiam poſſumus ex iis proprietatibus, quas alibi propoſui, (362. ad 368. 370.) ex quibus, vel ſpes, vel deſperatio oriatur, & quæ promptiorem, quæ difficilem, quæ nullam curationem habeant.

§. 613.

Homo, cui arteria carotis, vel, ubi ea diviſa eſt, hujus interior ramus, præciſus eſt, ſervari nequit. Exterior, nec non vena jugularis externa, devinciri poſſunt, vel comprimi. (405. ad 409.) Exiſtimo etiam, nullam curationem ſupereſſe, ſi vena jugularis interna graviter vulnerata fuit. Utrum homo, devincta hac vena, ſuperſtes eſſe queat, in dubio relinquo. Minus in ea vulnus digito poteſt comprimi, donec illud glutinetur. Quibus ante diviſionem, vel carotis, vel jugularis præciſa fuit, eos plerumque mors celerrime, & antequam chirurgus acciri poteſt, rapere ſolet.

§. 614.

Quibus aſpera arteria tota præciſa fuit, iis nullo modo ſuccurri poteſt. Si vero illa percuſſa non ita magnum vulnus habet, id poteſt glutinari. Magna diligentia adhibenda eſt, ne ex vulnere ſanguis, vel medicamentum, vel aliud quid, in aſperam arteriam delabatur. Nam, hoc ſi incidit, tuſſis vehementiſſima hominem urget & ſtrangulat. Oræ vulneris adduci debent, & injectis medicamentis glutinantibus curari. Ubi vero vulnus non tantum diſciſſum, ſed etiam colliſum eſt, neceſſaria ſunt digerentia, quæ locis nervoſis idonea dixi. Ante omnia vero caput debet inclinari & ad pectus adduci, ſicque inclinatum in lecto tamdiu haberi, donec vulnus ad ſanitatem perductum fuit.

BRONCHOTOMIA.

§. 615.

Nonnumquam autem, ſi ſpiritus propter anguſtias, per quas is evadit, intercluditur & homo ſtrangulatur, aſpera arteria perforanda eſt. Hoc præcipue incidit in angina, & ſi per glottidem ſeu rimulam, quæ in larynge eſt, aliquid in aſperam arteriam delapſum fuit, quod tuſſi excuti haud poteſt.

§. 616.

Homo collocari debet in demiſſiori ſedili. A poſteriore vero parte miniſter caput ejus multum reclinatum contineat & immobile præſtet. Sub larynge & hujus cartilagine croicoide inciditur cutis cum aliqua glandulæ thyroideæ parte, & deoperitur aſpera arteria. Sanguis, qui ex facta plaga fertur, ſpongia alcohol madefacta extergitur & ſupprimitur. Ubi vero glandula thyroidea inciditur, vulnerari haud debet vena illa, quæ anterius ſuper aſperam arteriam fertur, ne ea ſanguinem fundat. Nec lædendi ſunt nervi recurrentes, qui e latere ſurſum ad laryngis muſculos procedunt (610. *a*). Inciditur vero membrana, quæ inter tertium quartumque circulum cartilaginoſum media eſt. Etiam cartilaginoſi circuli ſine majori periculo incidi poſſunt, quos tamen integros eſſe ſatius eſt. Ea diligentia adhibenda, ne mucro ſcalpelli, vel ſpecillum, vel aliud quid, illam membranam irritet, qua aſpera arteria ab interiori parte finitur, neque per factam plagam

ſanguis in eam feratur, cum hæc res vehementiſſimam tuſſim movere poſſit.

§. 617.

In vulnus itaque, quod factum eſt, ſuſpenſa manu demittitur ſpecillum: ſuper hoc injicitur argentea fiſtula, aut recta, aut incurva, quæ recurvatis in exteriorem partem labris, vel circumcingente quadam remora eſſe debet, ne tota intus delabi poſſit. Remora e latere debet utrimque forata eſſe, quo fiſtula commode ad collum alligari queat. Alii per cutim, glandulam atque aſperam arteriam, mox ferramentum trajiciunt, quod cannulam habet. Id enim prorſus ſimile eſt ei, quo aqua hydropicis emittitur (*troiſquarts*). Hæc curatio promptior, minus vero tuta eſt. Imponitur protinus fiſtulæ ſpongia ex vino calido expreſſa, ne aër nimis frigidus, qui pulmonibus novus eſt, irruat, coſque offendat. Ob hanc cauſam etiam is, qui curabitur, in conclavi calido eſſe debet.

§. 618.

Fiſtula in vulnere relinquitur & ad collum adſtringitur. Inter oram fiſtulæ & cutim ponuntur linamenta; ſuper fiſtulam vero injicitur emplaſtrum pannuſque, quorum media pars foramen habet. Foramini imponitur ſubtiliſſima ſindon ex raris ſtaminibus contexta. Simulatque fauces ad priſtinum habitum reverterunt, vulnus glutinandum eſt *a* (613.).

a Hæc chirurgia ab ASCLEPIADE inventa fuit, teſte GALENO in Medico, Cap. XIII. T. II. p. 329. & CAELIO AURELIANO Lib. III. Acutar. Cap. IV. p. 195. Illa non ſemper feliciter ceſſit: quare ARETAEUS Acut. Lib. I. Cap. VII. p. 111. & CAELIUS l. c. illam, ut vanam & periculoſam, prorſus repudiarunt. AVINZOAR in Lib. I. Theizir Tr. X. Cap. XIV. experimentum in capra fecit. Exempla, ubi homines ea morti erepti fuerunt, lege in RENATI MOREAU Exerc. de Laryngotomia c. Th. BARTHOLINI Tr. de Angina puerorum edito p. 132. (proſtat etiam in Epiſt. med. BARTHOLINI Cent. I. Ep. 81. p. 336.) qui eam bis feliciter adhibitam vidit, primo in hortulano, & deinde in milite, cui levis raucitas poſt curationem relicta fuit. Exempla vero recentiora vide in GARENGEOT *Operat. T. II. p.* 455. *in Tranſact. Angl. No.* 416. *p.* 448. *in Compendio* JOH. MARTYNS *Vol. VII. p.* 496.

§. 619.

Num hæc chirurgia, ſi protinus adhibetur, eos, qui aquis ſubmerſi præfocati ſunt, ad vitam revocare poſſit, uſus & obſervatio experimentorum oſtendet *b*.

b Singulari ſtudio hanc rem perſecutus eſt GEORGIUS DETHARDING in

Epiſtola ad SCHROECKIUM de methodo ſubveniendi ſubmerſis per Laryngotomiam, Roſtochii, MDCCXIV. At enim, hanc curationem non omnibus ſubmerſis opitulari poſſe, oſtendit Vir doctiſs. JO: HENR. KESSELRING, in Diſſert. de Morte ſubmerſorum in aquis, præſide CHR. LUDOV. CHARISIO, Regiom. MDCCXXXV, propoſita.

VULNERA STOMACHI.

§. 620.

Communes vero aſperæ arteriæ atque ſtomachi curationes ſunt. Per prioris vulnus aër exit, per poſterioris cibus & potus. Inſanabile eſt vulnus, ſi totus ſtomachus diſciſſus fuit. Ægro levamentum præſtari poteſt, ſi mediante infundibulo juſcula in vulneratum ſtomachum immittuntur. Ubi vero in ſtomacho vulnus eſt, idque hiat, neceſſarium eſt, caput inclinari & faſcia ad pectus adduci, (610.) quo oræ vulneris attrahantur. Cum autem vulnus, niſi purgatum ſit, glutinari nequeat, illud famem ſitimque deſiderat. Ubi vero aliquid aſſumpſit homo, vulnus reſolvendum & ſpongia ex calido vino expreſſa detergendum eſt. Ne etiam ægrum, qui nullum cibum accipit, fames perdat, is nutriri poteſt juſculis, quæ in alvum immittuntur. Prius vero, quam illa intus dantur, alvus aliis lotionibus eam moventibus ſubducenda eſt *a*.

a Commemorabile experimentum eſt, quod a RAMAZZINI factum in ejus Operibus p. 173. legimus, de moniali virgine, quæ per LXVI. dies, cum nihil deglutire poſſet, ſolis juſculis in alvum immiſſis ſervata fuit. Conf. HILDANUM Cent. IV. Obſ. 30. p. 311. De Clyſterum nutrientium uſu diſputatum olim fuit inter LITTRIUM & LEMERY. Vid. H. A. R. Sc. MDCCXVII. p. 25.

VULNERA PECTORIS.

§. 621.

Sequitur, ut de vulneribus dicam, quæ in pectore ſunt. Hæc, vel ex acuto telo, vel ex retuſo & gravi, atque ex glande plumbea eſſe ſolent. Evenire vero poteſt, ut vulnus ad interiora haud perveniat, ſed intra carnes deſinat; id quod ſcire licet, ſi id exploratur, obſervatis omnibus quæ alias præcepi. (358. ad 361.) Ad id vero explorandum ſpecillo lævi retuſo atque pleniori opus eſt, qualis eſt fiſtula argentea, qua urinam, ſi naturaliter non redditur, feminis emoliri ſolent chirurgi.

§. 622.

Sunt vero quædam, quæ eum qui curaturus eſt, decipere poſſunt. Si enim vulnus tenue, ſed altum atque curvum, corpus vero plenum eſt ac obeſum, incidere poteſt, ut quamvis nec ſpecillum demitti, nec mediante ſiphone lotio per illud immitti queat, & quamvis nec ſpiritus nec multus ſanguis ex vulnere feratur, nihilominus illud penitius penetret & intus condita viſcera arteriæ venæque percuſſæ ſint. Nam digito & ſpecillo reniti poteſt adeps vel muſculus, præcipue, ſi corpus interea, dum ſpecillum demittitur, non, ut decet, inclinatur. Nonnumquam etiam enſe tenui acuto diſciſſa eſt una ex cartilaginibus, quibus coſtæ finiuntur. Hoc vulnus nec hiat, nec ſpecillum admittit, nec ex eo ſanguis vel ſpiritus exit, & nihilominus intus viſcera majoreſque arteriæ ac venæ violatæ eſſe poſſunt *a*. Illud igitur vulnus in ſumma carne & abſque periculo eſt, in quod ſpecillum demitti haud poteſt, ex quo nec ſpiritus nec ſanguis effertur, & cum quo æger facile ſpirat *b*, ſi ceteroquin nullum emphyſema *c* eſt, & in vulnerato nihil eorum quæ terrere poſſunt, deprehenditur.

a Vide Exemplum in FAUDACQ p. 429.

b Eſt etiam quædam ſpirandi difficultas, ſi muſculi externi, etiam illi qui ad reſpirationem nihil faciunt, vulnerati & inflammati ſunt, v. g. pectoralis major. Hæc vero, quæ a dolore oritur, facile diſcernitur ab ea, quæ ab emiſſo in pectus cruore proficiſcitur. Accidere tamen poteſt, ut primis diebus æger facile ſpiret, pòſt vero nihilominus difficultate ſpirandi ſtranguletur, ſi forte minor arteria, vel vena, vel ductus thoracicus, vulnere diſſectus fuit, & ex iis humor pedetentim effertur.

c Emphyſema (519.) crebrius pectoris vulneribus, quæ ad interiora penetrarunt, ſupervenire ſolet, maxime, ſi ea curva ſunt & per quæ aer libere tranſire nequit. At enim vero, etiam in pectore, ut in capite, illud oriri poteſt, ſi aer, præcipue gelidus, in adipoſas cellulas extrinſecus irrumpit illaſque diſtendit. Ergo nec emphyſema certum indicium eſt, vulnus ad interiora perveniſſe.

§. 623.

Vulnus, quod in carne eſt, non aliam curationem requirit, quam, quæ alias propoſita fuit. Si vulnus altum eſt & curvum, expedit, illud protinus nova ſectione ampliari (373. 476. 477.), quo cruor, aliaque quæ intus hærent, poſſint excuti, & quo ad interiora vulneris perveniri liceat. Si illud tranſverſum eſt ſub cute, hæc ſupra ſpecillum inciditur (478.); vel, ſi vulnus nimis longum eſt, quam, ut hac ratione chirurgus illud

ſcalpello commode perſequi poſſit, ſpecillum demittitur, & cutis ſupra hujus caput altera parte inciditur. (478.)

§. 624.

Quandoque, ſi vulnus quidem in carnibus eſt, aſt in his altius & ad pleuram uſque penetravit, metus eſſe ſolet, ne pleura inflammetur, & ne pus illam perrumpat & in pectus deſtillet. Pus etiam quandoque ſerpit & tunicam adipoſam, quæ ſub muſculis, præcipue ſub pectorali & latiſſimo dorſi, eſt, rodit, quæ res magnis ſuppurationibus occaſionem dare poteſt. Igitur vel ob hanc cauſam vulnus ampliandum eſt. Oportet vero ægrum in ipſum vulnus inclinatum cubare, quo omnis humor exeat. Nec in ejuſmodi vulnus dari turunda debet, cum & hac puris exitus prohiberi poſſit. Imponuntur linamenta, vel pura, vel ex medicamento idoneo expreſſa. Injicitur faſcia, quam mantile cum ſuſpenſorio vocant. Nec hanc nimis adſtrictam eſſe oportet.

§. 625.

Vulnus etiam magnum, diſciſſum, & quod multum hiat, ſui poteſt. Minus tamen apta his vulneribus futura eſt, cum pectus propter ſpirandi neceſſitatem quieſcere haud poſſit. Si vero ea utendum, oportet illam non nimis raram eſſe.

§. 626.

Peſſimæ illorum vulnerum curationes ſunt, quibus vertebræ coſtæque fractæ, & in tergo, prope vertebras, tendines, aponeuroſes, aliæque nervoſæ partes, colliſæ ſunt. In his ſanguis mittendus & præter abſtinentiam adhibenda omnia ſunt, quæ adverſus inflammationem maxime poſſunt.

§. 627.

Coſtam perfractam eſſe, intelligitur ex dolore pungente, qui eo tempore quo ſpiritus trahitur, increbreſcit, &, ſi locus tactu indoleſcit. Protinus huic malo occurrendum eſt, quia id graves pleuræ inflammationes, & febris & ſuppuratio, & ſæpe vitæ periculum ſequitur. Neceſſe itaque eſt, ut contra coſtam cutis & carnes incidantur, utque id quod fractum eſt, digitis in ſedem ſuam excitetur. Fragmenta vero ſpinoſa, quæ pleuram, vel carnes vulnerant, extrahi, &, ſi inhærent, præcidi debent. Reliqua, quæ ad hanc curationem pertinent, infra, ubi de oſſibus fractis dicetur, uberius perſequar. Coſtæ oſſa ſunt rara, & quæ facile vitium contrahunt. Ad vulnus curandum non aliis medi-

camentis opus eſt, quam, quæ alibi expoſui. (523. 524.) Nec in his caſibus melius ſuccurritur ac inflammationis periculum avertitur, quam ſanguinis miſſione & abſtinentia.

§. 628.

Vulnus autem penitius & in ipſum pectus penetraſſe, ex variis indiciis ſcire licet. Conſiderari debet telum, quo vulnus illatum fuit (360.) Digitus, vel ſpecillum demitti, (358. 359. 621.) lotio mediante ſiphone immitti poteſt. Si extrinſecus vulneri emphyſema acceſſit, conjicere licet, pleuram percuſſam eſſe (621.) Certior vero nota eſt, ſi ex vulnere ſpiritus & ſanguis copioſior, iſque aëre remixtus atque ſpumans exit, vel, ſi talem vulneratus exſpuit; id quod incidit, ubi pulmo læſus eſt. Cur vero quandoque, nec aër, nec ſanguis, quamvis ejus non parum intus coiverit, ex vulnere exeant, ſupra retuli (621.)

§. 629.

Eſt tamen quædam differentia. Sanguis ſi effluit rubens atque ſpumans, is ex pulmone fertur; ſi rubens nullo aëre remixtus, læſa arteria, v. g. intercoſtalis eſt. Si exit obſcurus, vena icta eſt; ſi lacteus humor ſanguini admixtus eſt, is, ductum thoracicum diſciſſum eſſe, ſignificat. Oportet vero cum his conſiderari & ictum, qualis is fuerit, & vulnus, & internarum partium ſedes, quæ etiam indices ſunt, quid intus læſum ſit.

§. 630.

Majorem vero arteriam venamque, vel ipſum cor percuſſum eſſe, cognoſcitur, ſi magnus ſanguinis modus ex vulnere fertur; præcipue, ſi id in ſummo pectore eſt, & ſi præcluſo vulnere ſpiritus difficilius trahitur, ſi arteriarum motus elangueſcunt, inæquales ſunt, ac ſæpe intermittunt. Si color pallidiſſimus, ſudores frigidi, extremis partibus etiam frigidis, oriuntur, & æger animo linquitur; quæ omnia, eum in præcipiti eſſe, ſignificant. Si pulmo ictus eſt & ſanguis ex ore copioſe & ſine tuſſi fertur, ſignum eſt, majorem arteriam venamque in pulmone percuſſam eſſe. Si tuſſis non, niſi parum ſanguinis, extundit, arteriæ venæque minores vulneratæ ſunt.

§. 631.

At, ſi ſanguis in pectus confluxit, is moto corpore ita movetur, ut vulneratus ejus impetum ſentiat. Præter hanc vero etiam quædam aliæ notæ oriuntur, quarum commune eſt ſpiri-

tum difficilius trahi. Si enim ſanguis diaphragma onerat, homo caput ſublime habere ſine moleſtia non poteſt, &, ubi illud ita habet, ſpiritus facilius trahitur, quam redditur. Ægro vero in illud latus, in quo ſanguis incluſus eſt, cubare jucundius eſt. At, ſi valde multus humor effuſus fuit, iſque pulmonem adeo premit, ut ſpiritum haurire nequeat, homo paulo liberius ſpirat, ſi erecto corpore eſt, quam ſi cubat. Nam ſic ſanguis qui coiit, quidem ſeptum tranſverſum premit, non vero totum pulmonem ſtrangulat; id quod fit, ubi homo, qui pectus ſanguine plenum habet, ſupinus jacet. Si vero is in latus integrum inclinatus cubat, ſpiritus multum impeditur, aſt longe facilius redditur, quam trahitur. Humor enim mediaſtinum premit, & prohibet, quo minus diaphragma ſatis deſcendere poſſit.

§. 632.

Non raro autem pulmo pleuræ adhæreſcit. Si ea parte vulnus eſt, & ipſe pulmo læſus eſt, ſanguis qui in pectus confluere nequit, per vulnus fertur, & ex ore prorumpit, quare æger ſatis facile ſpirat.

§. 633.

Mediaſtinum autem percuſſum eſſe, ſcire licet ex ipſo, qui illatus fuit, ictu; ex telo, ſi altius penetravit; ex hominis poſitu, & ſi in medio pectore dolor urget. Homo etiam, quem ſupinum jacere juvat, ægre ſpiritum trahit. Accidere poteſt, ut in utroque pectoris cavo ſanguis confluat.

§. 634.

Præter notas, quæ pulmonem vulneratum eſſe oſtendunt (626. 627. (30.), etiam hoc experiri licet. Lotio in vulnus immitti poteſt, quæ, ſi ſuo proprio genere ſaporis in ore ſentitur, pulmonem læſum eſſe ſignificat. Jam a veteribus proditum legimus, hominem cui pulmo graviter ictus eſt, ſi in ipſum vulnus inclinatus ſit, loqui; ſi in aliam partem, obmuteſcere. *a*

a Vide CELSUM L. V. Cap. 26. §. 9. PARAEUM Lib. IX. Cap. XXX. p. 308. Cauſa forte hæc eſt: Spiritus pulmone hauſtus per hujus vulnus, ſi id majus eſt, effertur; & ideo ejus tantum, quantum ad vocem formandam neceſſarium eſt, laryngi reddi nequit. Ubi vero vulnus coſtis adprimitur, ſpiritus illud permanare haud adeo facile poteſt. Rem aliter explicat GENGA in Comment. in HIPPOCR. Aphor. ad Chirurgiam ſpectantes Sect. VI. Aphor. XVIII. p. 259. qui putat compreſſo mediaſtino ſermonem prohiberi, cum eo diaphragma nimis adducatur.

§. 635.

Non ſolum vero latentium, ſed & futurarum rerum quaſdam notas habemus, quæ ægrum vel conſolari, vel terrere poſsunt. Protinus omne vulnus, quod in pectus penetravit, timendum eſt; minus tamen, quod ex gladii ictu, quam, quod etiam colliſum, vel ex glande plumbea eſt. Raro & interdum eo tempore, quo pulmones adſpirantes ſe contrahunt, accidere poteſt, ut pectus vulnere confodiatur & intus nihil violetur. Poteſt ſecunda valetudo ei contingere, qui nec magnum, nec altum vulnus in pulmonem habet, ſed, quod in ſumma hujus parte eſt. Grave periculum habent vulnera, quæ penitius penetraverunt, præcipue, quæ glans plumbea impreſſit. Hos enim, qui ſic vulnerati ſunt, ſi nec ſanguinis profuſione exhauriuntur, nec inflammatione ſtrangulantur, tabes invadit, cum iis pulmonum exulceratio accidere ſoleat. Sanabiliora ſunt vulnera, quæ infimo pectori ſupra diaphragma illa ſunt, quia his nec majores arteriæ venæque ſubeſſe ſolent, & quia ipſum vulnus præſidio eſt, ex quo humor qui intus confluxit, exire poteſt. Magis ob id timeri debent ea, quæ in elatiori pectoris parte ſunt. Si telum per utrumque pectus perrupit, ſi cor, major aſperæ & ſanguinem ferentis arteriæ ac venæ ramus percuſsus eſt, mors in propinquo eſse ſolet. Si homini, qui gravi ſanguinis profuſione exhauſtus, diu quaſi intermortuus jacuit (626.) intra viginti quatuor horas calor atque arteriis vis redit, ei ſalus contingere poteſt.

§. 636.

Hæc vulnera glutinari non poſsunt, niſi evocato prius ex pectore, & aëre, & omni qui intus coiit, humore. Aër cum ſanguine, ſi plaga non magna eſt, educitur ore hominis, qui vulnus exſugit. Si omnis humor omniſque aër ſic extractus fuit, ſi pòſt vulnus diſciſsum protinus deligatur, idque per aliquot dies non detegitur, homo vero & ſanguinis miſſione & abſtinentia utitur, vulnus ſæpe intra tam paucos dies ſaneſcit, ut hæ curationes quibuſdam minus ſapientibus prodigioſæ viſæ fuerint, & quaſi a præcipua & magica arte profectæ. Oportet vero eum qui ſic medetur, certum eſse, nihil alieni in pectore fuiſse relictum. Si nullus homo eſt, qui vulnus exſugat, aër ſanguiſque extrahi poſsunt ſiphonibus ad id idoneis *a*.

a Vid. *L'Art de ſuccer les plaïes par* ANEL.

§. 637.

Hæc curatio vero locum non habet, ubi major arteria venaque intus affecta ſanguinem fundit. Numquam enim ſanguinem ex pectore emitti decet, priuſquam ille intus conquievit. Interdum vero, cum preſſo pulmone omnis ſpiritus intercluditur, res cogit illum emoliri; id quod commode ex ipſa plaga fit. Neceſſe vero eſt, ut æger conquieſcat & ut non niſi parum ſpiritus hauriat, quia metus eſt, ne ſanguis, dum pulmo pectuſque diſtenduntur, copioſior efferatur.

§. 638.

Sanguinem vero intus conquieviſſe, conjicere licet, ſi ſpirandi difficultas haud intenditur: qua re explorata is evocandus eſt. Fieri hoc poteſt per ipſum vulnus, ſi illud in inferiori pectoris parte eſt. Si anguſtius vulnus eſt, illud incidendum eſt, donec ſatis pateat, habita cura, ne pulmo lædatur *a*. Neceſſe vero eſt, ſi pulmo vulneratus non fuit, &, ſi ex eo nulla ſanguinis profuſio timetur, ut æger, ſpiritus quantum poteſt, pulmone hauriat, dum interea vulnus impoſito digito contegitur. Quando ſic ſpiritu dilatati fuere pulmones, tollitur digitus, & æger jubetur tuſſire. Tuſſi enim humor ex vulnere extunditur.

a Ad id idoneus eſt ſcalpellus anceps, cujus mucro retuſus eſt. Eum debeo claro Argentoratenſium Chirurgo ſupra laudato LE MAIRE Vid. fig. XVI.

§. 639.

Si ſanguis in pectore concretus nihilominus remanſit, neceſſe eſt in vulnus lotionem compellere, ut cruenta quæ coiverunt, diſcutiantur. Opportunum decoctum eſt ex hordeo, rad. altheæ, fl. verbaſci, malvæ. Si vero ſanguis jam computruiſſe videtur, adjici poteſt mel, vel aqua vulneraria, & paucum ſalis ammoniaci. Humor, ſi per vulnus, quod in elatiori pectoris parte eſt, emitti nequit, novum vulnus faciendum eſt; de qua chirurgia protinus dicam, prius vero, quæ ad vulneris curationem attinent, exſequar.

§. 640.

Evocato omni humore, vulnus deligandum eſt. Imperandum eſt homini, ut, ſpiritus quantum poteſt, hauriat, eumque contineat. In vulnus, quamdiu ſatius videtur illud nondum glutinari, conjicitur linteolum cæſitium, cujus oræ in fila reſolutæ ſunt. (22.) Superimponuntur linamenta mollia alio linteolo in-

voluta *a*, & ſuperdantur panni, injicitur mantile cum ſuſpenſorio. Summo pectori hoc faſciæ genus accommodari nequit, cui habena opportuna eſt, quæ ſub ala ſiniſtra obvoluta per pectus ad dextrum humerum tendit, ejuſque caput comprehendit; deinde ab ala dextra iterum per pectus decuſſando ad humerum ſiniſtrum fertur, quem etiam complectitur, ita ut aliquoties ad hanc rationem circumagatur. Si vero etiam vulnus in tergo eſt, faſcia, poſtquam humeri caput comprehendit, etiam per ſcapulas dari debet, & ſic utrumque vulnus contegi.

a Turundæ, ſi illæ majores durioreſque ſunt, vulnera multum alienare poſſunt & oras calloſas reddere; ex qua re fiſtulæ naſcuntur, quæ difficilius ſaneſcunt. Sanguinem etiam alia quæ intus ſunt, exire prohibent. (20.) Si pulmo læſus eſt, illum rarum, & ſpongiæ aſſimilem, irritant & inflammationem excitant, vel certe multum augent. Ergo convenit, illas omitti, &, ſi neceſſe eſt, plagam ampliari. Cannulæ, quibus alii utuntur, longe nocentiores ſunt. Quidquid vero in vulnus conjicitur, illud lino vinciri debet, cujus lini capita extra plagam relinquenda ſunt, ne id in pectus devolvatur.

§. 641.

Quamdiu aliquod humoris veſtigium apparet, vulnus glutinandum haud eſt, ſed inditum linteolum (22.) relinquendum. Vulneratum oportet ſemper in vulnus inclinatum eſſe, ut ſi quid humoris intus ſupereſt, emittatur. Ubi vero is omnis evacuatus fuit, ſine mora vulnus glutinandum eſt. Multum confert, ſi vulnus raro reſolvitur, & omnis aër magna adhibita cura avertitur. Quo tempore vulnus contegendum eſt, monendus æger, ut ſpiritum hauriat atque contineat, quo is qui per plagam introrupit, diſcutiatur. Si duo vulnera ſunt, numquam utrumque reſolvendum eſt, ſed interea, dum alterum curatur, alterum diligentius operiri debet. Periculum enim oritur, ne pulmo, aëre per utrumque vulnus irruente preſſus, nimium contrahatur, quæ res exitioſa eſſe poteſt. Aër frigusque peſtifera etiam his vulneribus ſunt, quare ea celerius & admoto igne ableganda ſunt. Reliqua curatio nullam peculiarem animadverſionem deſiderat.

§. 642.

Si pulmo percuſſus eſt, & ſanguis ex eo periculoſius ruit, nullum aliud auxilium eſſe poteſt, quam quies & abſtinentia. Ubi videntur id ſuſtinere ægri vires poſſe, ſanguis ex talo mitti poteſt, ut alia parte emiſſus deſinat fluere, qua nolumus. Ubi vero parum ſanguinis ex vulnere exiit, eum inciſa vena detrahi

longe magis neceſſarium eſt, quod pulmones ex retenta in iis materia inflammationem atque mala ulcera accipiunt.

§. 643.

Si pulmo pleuræ ita adhæret, ut nullus ſanguis in pectus defluere poſſit, is omnis ex vulnere fertur. Hoc autem oportet crebrius reſolvi, & ſanguinem aliumque humorem, evocari. Periculum enim eſt, ne humor, ſi coërcetur, pulmonem a pleura diducat, ficque perrumpat, & in pectus deſcendat, ex quo non niſi majori negotio emitti poteſt.

§. 644.

Caſus aſperior eſt, ſi arteria, quæ ſub quaque coſta ad anteriora fertur, vulnere præciſa eſt & ſanguinem fundit. Admoveri, & ad eam valentius apprimi debet pulvillus ex alcohol expreſſus. Sæpe res requirit, ut ob id vulnus nova ſectione amplietur. Si periculum urget, vulnus vulneri adjici, & juxta illud, quod curandum eſt, aliud fieri ſub coſta debet, & aliud ſupra illam. Per has duas plagas demittitur acus curva, averſa, vel retuſa, qualis in chirurgia aneuryſmatis adhiberi ſolet, filum ducens, quod, extracta iterum acu, in vulneribus relinquitur. Linum adſtringitur & arteria devincitur, inter quam atque linum demitti pulvillus poteſt. Repertum fuit aliud ferramentum *a*, quo linum mox ſine facta prius plaga trajici poteſt; quod vero corpori pleno atque obeſo vix idoneum eſſe arbitror.

a Vid. GARENGEOT *des Operations*. T. II. p. 430.

§. 645.

Emphyſema, ſi ex intus pertuſa pleura, &, quia plaga curva eſt, enaſcitur, requirit, ut vulnus protinus ſectione amplietur. Tumori adhibenda eſt lenis fricatio, & ſuperdanda ſunt diſcutientia, (519.) atque inter hæc etiam epithemata. Expedit, tumorem, ſi id res patitur, impoſitis pannis & arcte circumdata faſcia paulo valentius comprimere *b*. Ecchymoſis etiam ſcalpelli curationem requirit, quo vulneris oræ conciduntur.

b Emphyſema, ex quo fere totum corpus intumuit, vid. in C. A. R. Sc. MDCCXIII. p. 5. & aliud ex coſtarum fractura e. a. p. 154. Conf. LE DRAN Obſ. T. I. Obſ. XXXVII. p. 282. FAUDACQ p. 449. ſq. præ ceteris doctiſſ. Viri JOH. HENR. SCHULZE Diſſ. de Emphyſemate, Halæ, MDCCXXXIII.

§. 646.

Evenire poteſt, ut glans plumbea illata corpori ſit, quæ vero ex longinquo miſſa in pectus penetrare non potuit, ſed ſe

intra duas coſtas demerſit, ibique hæret. Magna cura illa revellenda eſt. Si enim in pectus delabitur, diaphragmatis motum ſiſtere & citam mortem adferre poteſt *a*. Igitur, ſi ea altius inſidet & recipi commode non poteſt, quia labat, ſub ea acus incurva trajicienda eſt, ligulam vel linteolum trahens, quo glans comprehenditur, ut retro recipi atque tuto extrahi poſſit.

a Vide ſimilem caſum in FAUDACQ p. 447.

EMPYEMA.

§. 647.

Supereſt, ut de chirurgia dicam, qua pectus vulnere perforatur, ut humor qui intus confluxit, poſſit effundi. Illa vero non ſolum neceſſaria eſt, ubi vulnus in elatiori pectoris parte eſt (630.), ſed etiam, ſi vel ex vulnere, vel ex inflammatione, ἐμπύημα, ſeu ſuppuratio, orta, vomica vero rupta eſt. Hujus enim humor ſubita multitudine ſeptum medium onerat & ſpiritum intercludit. Raro hæc medendi ratio iis opitulatur, quibus hydrops, ſive id morbi genus eſt, quo in pectus multa aqua contrahitur. Nec in vulnere eam admitti poſſe, niſi prius ſanguis intus erumpens conquieverit, ſupra præcepi. (636.) Magnum tamen diſcrimen eſt, ſi vomica a coſtarum parte, vel, ſi a pulmone, naſcitur. Ultimum enim ſi accidit, ex vomica rupta plerumque malum ulcus manet, quod pulmonem exeſt & phthiſin adfert. Idem periculum eſſe ſolet, ſi caſus vetuſtior eſt, &, ſi ſanguis, vel pus, quod intus ex vero etiam empyemate confluxit, jam computruit, ex quo etiam exulceratio accidere ſolet.

§. 648.

Suppurationem vero futuram eſſe, ex certis indiciis deprehendi poteſt. Si pleuritis vehemenſque & acuta febris circa dies, quos κρισίμους Medici vocant, nec ſudore per totum corpus diffuſo, nec ſanguine ex naribus & hæmorrhoidibus profluente, ſoluta fuit, ſi in urina nihil ſubſedit, nec ea purulenta proceſſit, ſi neque per alvum bilioſa purulentaque deſcenderunt, vel, ſi hæc exigua fuerunt, & quibus æger levatus haud fuit, empyema futurum eſt. Id etiam timeri poteſt, ſi ab initio morbi ſanguis vel nullus detractus, vel id factum fuit ſerius, & cor-

pus malis medicamentis affectum est. Febris enim, quamvis se multum remittat, numquam prorsus quiescit, sed interdum intenditur, ut æger etiam inhorreat. Sentit ille cum his obscurum manentemque dolorem & gravitatem ea parte, quæ ab initio vehementius doluerat; Fastidio urgetur, & purulentus in ore sapor est, nec corpus refectionem accipit; Tussicula vexat, quæ tamen nihil emolitur; ex quibus omnibus præsagire licet, vomicam futuram esse, quæ circa vicesimum diem ut plurimum erumpere solet.

§. 649.

Aliæ vero notæ ostendunt, quo latere pus ex vomica rupta confluxerit. Res enim plerumque manifesta est, si sanguis ex vulnere coiit. Vomica vero nasci solet eo loco, qui ab initio acuto vehementique dolore affectus fuit. Homo, ea rupta, impetum intus circumfluentis humoris sentit, cui in latus in quo pus est, cubare jucundius est. Si enim in latus sanum cubat, id ex pondere aliquo onerari videtur. Multo etiam pure intentum latus magis se attollit & aliquantum intumescit. (conf. 630.)

§. 650.

Si igitur res cogit, vel sanguinem vel pus emoliri, aperiendum pectus est. Æger cubare in ventrem debet, eoque sic collocato, ante omnia inveniendus locus est, quo pectus tuto perforari potest. Esse vero is solet inter nonam decimamque costam, juxta vertebras, ad tertium circiter digitum ab horum processibus transversis, & ad quintum vel sextum, a media spina. Ubi locus repertus est, ex atramento linea super eum duci eaque incidi debet.

§. 651.

Prius vero incidenda cutis adepsque est, plaga recta, ad inferiora descendente, quam, ne strictior sit, longam esse oportet. Pòst vero hominis ventri submittendus pulvinus, & altera transversa plaga facienda est, qua & musculi & pleura aperiuntur. Magna vero cura adhiberi debet, ne pulmo lædatur, & ne arteria intercostalis præcidatur: quare scalpellus ab hac longe esse, & ad summam inferioris costæ partem multum inclinari, ubique etiam leviſſima manu teneri debet.

§. 652.

Pectore sic perforato, pus vel cruor erumpit. Vulnus illo

ancipiti ſcalpello (637. *a*) poteſt ampliari. Si magna vis puris intus confluxit, non protinus omne, ſed ejus major pars, effundi, & hæc curatio dividi debet. In vulnus conjiciendum, & in hoc relinquendum eſt linteolum cæſitium (22. 639.) Si ad detergendam malam materiam id neceſſarium videtur, intus infundi poſſunt ſupra commemoratæ lotiones (638.) Non raro illæ melius omittuntur, cum & humor, & ipſe aër qui cum his intus fertur, ſæpe plus noceant, quam illæ proficiunt.

§. 653.

Si, vulneris & ſanguinis emittendi cauſſa, novum vulnus factum fuit, prius, & quod caſu inflictum eſt, glutinari; ex altero vero, id quod humoris ſupereſt, poteſt emitti. Quæ ad reliquam curationem, ægri etiam poſitum, pertinent, ſupra (639. 640.) comprehenſa ſunt.

§. 654.

Pus, quod in pectore coiit, quandoque per alvum atque urinam efferri, obſervationibus compertum eſt *a*. Hujus rei cognitio, cum ſecuritatem ægro polliceatur, etiam ad hanc medendi rationem pertinet. Nam idonea auxilia haud inveniuntur, ſi ſalutaria a pernicioſis non diſcernuntur.

a Vide GALENUM de locis Affectis Lib. VI. Cap. V. T. VII. p. 517. HIPPOCRATES vero in Coacis No. 429. de purulentis pronunciavit, mortis ſignum eſſe, ſi iis pus per alvum fluat. Hoc vero intelligendum videtur de phthiſicis, & quibus pulmo corruptus eſt, non vero de empyemate. Commemorabile exemplum legitur in Comm. A. R. Sc. Anno MDCCXXXI. p. 724.

§. 655.

Magnum etiam periculum adfert pus, ſi ejus coitus in mediaſtino factus eſt. Hujus rei cognitio difficilis eſſe ſolet. Conjecturam facit dolor, ſi in medio pectore ſub ſterno ſentitur, & ſi ea indicia, quæ ſupra propoſui (647.) adfuerunt, & ſi nihilominus ex perforato pectore nihil puris effluxit. In hoc caſu jam olim chirurgia propoſita fuit, qua ſternum modiolo exciditur *b*; ad quod auxilium decurrendum, ubi ultima experiri ſtatutum eſt.

b Hanc chirurgiam olim adhibuit GALENUS de Adminiſtrat. Anat. Cap. XIII. T. IV. p. 262.

VULNERA ABDOMINIS.

§. 656.

De vulneribus, quæ abdomini inferuntur, etiam dubitari potest, num illa altius & intus penetraverint. Hoc ex iisdem notis, quas supra proposui (621.) cognoscitur, & si plaga non alium humorem, cibum, potum, chymum, chylum, lympham, bilem, stercus, urinam, vel horum odorem exhibet, si nec ea quæ per os vel alvum, redduntur, rufo sanguine mixta sunt, si non alia mala signa, & quæ periculum ostendunt, rigor, horror atque febris, inflammatio, dolor, spiritus difficilis, singultus, nervorum distentio, animi defectio, sudor frigidus, vel, qui non per totum corpus æqualis est, superveniunt.

§. 657.

Etiam in hoc vulnerum genere evenire potest, ut ex minori, ast altius penetrante, plaga nihil exeat. Igitur hæc (655.) sedulo consideranda sunt, & videndum, num spiritus facilis sit, & num, contrectato ventre, tumor vel durities sentiatur. Nam, ubi sanguis in ventrem confluxit, is indurescit atque distenditur, præcordia sursum contrahuntur & dolent, spiritus ægre trahitur. Tandem, si homo non sanguinis profusione rapitur, accedere solent inflammationis internæ notæ.

§. 658.

Periculum habent vulnera, quibus musculorum, qui in abdomine sunt, tendo (lineam albam vocant) percussus est. Solent enim graves inflammationes cum signis malis, & quæ valde terrere possunt, cum acuto dolore, vomitu, singultu, nervorum distentione, immo cum periculo mortis, oriri. Protinus ea necessaria sunt, quæ adversus inflammationem maxime valent.

§. 659.

Magnam etiam inflammationem accipere solent musculorum rectorum aponeuroses, si in eas mucro gladii, vel alius teli, desedit, illæque exigua tantum parte fissæ sunt. Id vero cognoscitur, si circa levem plagam durus tumor permanet, isque cum inflammationis, aliisque malis signis increscit. Quod ubi incidit, necesse est, vulnus scalpello latius aperiri (83. 187. 199.) quo illud satis pateat, & humori exitus detur. Super illud au-

tem utendum eſt medicamentis, quæ ad pus in locis nervoſis movendum idonea ſunt, ſuperdatis aliis adhibitiſque omnibus auxiliis, quæ adverſus inflammationem poſſunt.

§. 660.

Vulnus magnum altumque, quo & cutis & muſculi diſciſſi ſunt, etiamſi illud haud ad interiora pervenerit, aliud, graveque, periculum facere poteſt. Nam peritonæum quo intus abdomen incluſum eſt, molle illud onerantium viſcerum oſtenditur, ut inteſtina atque epiploon continere ſatis nequeat. Inde herniæ genus oritur, de quo infra dicam. Quo vero illud avertatur, vulnus protinus ſuendum eſt, non alia ratione, ac mox de aliis vulneribus dicam, in quibus hoc futuræ genus, quod gaſtroraphiam nominant, neceſſarium eſt. Ceteris vulneribus, quæ ad interiora haud pervenerunt, eadem curatio adhibenda, quam in pectoris vulneribus (622. 623.) expoſui.

§. 661.

Vulnus vero ad interiora penetraſſe, per notas ſcire poſſumus, quas alias (627. 628. 629. 655.) propoſui. Si ſpecillo utendum eſt, illud non nimis tenue, neque acutum eſſe, & quam leviſſima manu teneri debet, quoniam periculum eſt, ne eo id, quod occurrit, violetur. Frequentius, ſi abdomen ictu perforatum eſt, epiploon atque inteſtina evolvuntur, quæ oculis ſubjecta ſunt.

§. 662.

Quid vero intus læſum ſit, aliæ notæ ſignificant. Ipſum enim telum conſiderari debet, ut ſcire poſſimus, quo, & quam alte, illud pervenerit. Specillum oſtendit, num plaga recta ſit, num curva, num flexa & tortuoſa, qualis fieri poteſt, ſi vulneratus eo temporis articulo, quo is percuſſus fuit, corpus repente in aliquam partem inclinavit. Et viſcerum ſedes, quarum notitia ex Anatome petenda, indicant, quid intus percuſſum ſit. Haud tamen illud debet ignorari, viſcerum poſitum ex variis occaſionibus non parum mutari. Nam ubi corpus erectum eſt, altius deſcendunt viſcera, & ipſum, quod his innexum eſt, diaphragma. Multum etiam intereſt, an homo vulnus acceperit jejunus, vel, poſtquam ſe aſſumpto cibo potuque replevit. Nam & hæc res efficit, ut, aucto ventriculi pondere, viſcera magis deprimantur. Conſtat etiam inter omnes, ſeptum tranſverſum cum

omnibus viſceribus, quæ illi innexa ſunt, eo tempore deorſum ferri, quo pulmones ſpiritum hauriunt; iterum vero adſcendere alio tempore, quo illi adſpirantes ſe contrahunt.

§. 663.

Ad ſingulas vero ſpecies ſi veniendum eſt, ubi ſeptum tranſverſum percuſſum fuit, præcordia vehementer dolent, accedit inflammatio, febris. Spiritus rarus eſt & ægre ducitur, homo crebrius ſingultit, nonnumquam vomit: Quæ omnia aſperiora ſunt, ſi percuſſum fuit medium ſepti tranſverſi, quod nervoſum eſſe conſtat.

§. 664.

Si ventriculus vulnus accepit, inſequitur præcordiorum dolor, nauſea, anxietas; crebriori vomitu cruenta & bilioſa ejiciuntur. Si quid cibi vel potionis aſſumptum eſt, id cito redditur, vel ex vulnere effertur. Solet etiam & ſingultus & ructus frequens eſſe.

§. 665.

Eædem fere (663.) inteſtini vulnerati notæ ſunt. Ex tenuiori inteſtino exit chylus, ex craſſiori ſtercus, quorum odor ex vulnere ad nares fertur. Venter tumet & indureſcit, cruenta per alvum deſcendunt. Homo eumdem dolorem patitur, quem is, qui colico morbo afflictus eſt. Frequens etiam eſt vomitus ac ſingultus.

§. 666.

Ubi jecur percuſſum eſt, vel ſanguinis profuſio hominem repente exhaurit, vel, ſi is ſuperſtes eſt, ſpiritus cum moleſtia ac dolore ducitur. Accedente inflammatione, ſeu hepatitide, totum corpus decoloratur & ictericum fit. Ubi vero bilis receptaculum, illaque itinera per quæ hæc emittitur, vulnerata ſunt, bilis ex vulnere fertur.

§. 667.

Renibus percuſſis, urina in adipem, quo renes comprehenduntur, hujuſque cellulas, fertur. In his vero mala ulcera, & quandoque gangræna, enaſci ſolent. Dolor acrior cum prurigine ac calore eſt, quia humor ſerpendo penetrandoque adipem aliaſque partes vorat. Pauca urina & cum difficultate redditur, in qua quædam cruenta concreta ſunt, aut ſanguis per urinæ iter editur. Ubi vulnere præciſus ureter eſt, dolor ad inguina

teſticuloſque deſcendit, quem dolorem alias patiuntur, quibus calculus ex renibus in ureteres prolapſus devolvitur.

§. 668.

Meſenterio autem vulnerato vehemens dolor eſſe ſolet, præcipue, ſi nervi præciſi fuerunt. Toto enim meſenterio crebros nervos intextos eſſe compertum eſt *a*.

a Vid. RUYSCHII Adverſ. Dec. II. Cap. IV. p. 8.

§. 669.

Uterus ſi percuſſus eſt, ſanguis per naturam deſcendit. Non attinet dicere, hoc ex alia occaſione accidere poſſe.

§. 670.

Urina, ſi in viris per alvum excernitur, ſignificat, veſicam ea parte vulneratam eſſe, qua cum inteſtino recto committitur.

§. 671.

Evenire poteſt, ut ex recenti vulnere pus cum ſanguine profluat; id quod accidit, ſi qua parte fuit vomica, olim ex alia cauſa excitata, & jam telo percuſſa ruptaque.

§. 672.

Periculoſa vulnera ſunt, quæ altius in abdomen penetrant. Raro incidit, ut vulnus ad interiora & per medium abdomen ad oppoſitam partem ita perveniat, ut intus nihil ſubſit, quod ictum fuerit. Plerumque enim ex diſciſſis vaſis ſanguis profluit, vel diſciſſis nervoſis ſedibus vehemens dolor & inflammatio movetur, vel humor ex percuſſis receptaculis effuſus corrumpitur, quo integræ partes tandem afficiuntur vitianturque ita, ut hominem, vel gangræna, vel tabes tollat.

§. 673.

Vix ad ſanitatem perveniunt, quibus ſeptum tranſverſum percuſſum fuit. Certior tamen deſperatio eſſe ſolet, ſi media atque tendinea ejus pars icta fuit.

§. 674.

In præcipiti ſunt, quibus ventriculus percuſſus fuit, præcipue, ſi duo tergora vulnerata ſunt. Nulla vero ſpes ſupereſt, ſi icta fuit ima ventriculi, nec non ea pars, ubi pylorus eſt, & is in ſummum inteſtinum coarctatur. Servari quandoque poſſunt, quibus in ſuprema parte vulnus eſt *a*.

a Id teſtantur cultrivororum exempla. Vide de cultrivoro Pruſſico ſcripta BECKHERI & LOTHI, & de femina relationem HUBNERI.

§. 675.

Idem fere periculum adferunt inteſtinorum vulnera. Glutinari poſſunt interdum minora & recta, præcipue ſi vulneratum inteſtinum ad peritonæum commode adduci poteſt. Inteſtinum, ſi utrimque perforatum eſt, plerumque mortem maturat. Facilius ſaneſcit craſſum, quam tenue. Nonnumquam homines ſervati ſunt, quibus inteſtinum totum diſciſſum fuit *a*, immo alii, quibus major pars fuit corrupta & ablata *b*.

a Vide BLEGNY Zodiacum Med. Gall. anno MDCLXXX. menſe Junio Obſ. IV. pag. 123. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. II. A. VIII. Obſ. 229. & illum caſum a Celeber. Viris ABR. VATERO in Diſſert. de Vulnerum in inteſtinis lethalitate, Witteb. MDCCXX. & POLYCARPO GOTTLIEB SCHACHERO in Diſſert. de Inteſtinorum ſitu præternaturali, Lipſ. MDCCXXI. deſcriptum. Confer. *Tranſact. Angl.* No. 366. p. 89. & in Compendio Vol. VII. p. 515. Tab. XVII. fig. 81.

b RAVIUS in Orat. de Methodo Anatomen docendi & diſcendi p. 36. profitetur, ſe curaſſe inteſtinum ileum, quod ad longitudinem trium ulnarum per vulnus prolapſum, & per quatuordecim dies aeri expoſitum fuerat, magna cum ſuppuratione. MERIUS in Comm. A. R. Sc. MDCCI. p. 370. teſtatur, in femina cui hernia inflammata fuerat, corruptum fuiſſe inteſtinum ad longitudinem quatuor, vel quinque circiter, pedum; quæ vero convaluit, relicto etiam in inguine foramine, per quod ea, quæ per inteſtina deſcendere ſolent, emiſſa fuerunt. Similes fere hiſtorias habet CHESELDEN *in the Anatomy* p. 148. ſeq. Tab. XXIII. & XXIV. & Celeberr. HEISTERUS in Obſerv. Med. Miſc. theoreticis & practicis Helmſt. anno MDCCXXX. propoſitis. Conf. *the Medical Eſſays* Vol. I. Obſ. XX. pag. 227. ubi tandem ulcus, quod in inguine relictum fuerat, iterum fuit glutinatum. FAUDACQ *Reflexions ſur les plaïes* p. 562. vulnus deſcribit valde colliſum, quippe pluribus minoribus plumbeis glebulis (*mit Schroot*) colo illatum, & quod ad ſanitatem iterum perductum fuit. Vulnus coli, ex quo alvi etiam fæx exierat, perfecte ſanatum deſcripſit GAETANUS TACCONI. Vid. Commerc. Literar. anno MDCCXXXVIII. hebd. XLII. pag. 329. Ex his clarum eſt, inteſtinorum vulnera, etiam vehementiora, curationem recipere poſſe.

§. 676.

At, quibus jecinoris ſumma vel extrema pars leniter vulnerata eſt, ii conſervari poſſunt. Ubi vero hoc viſcus medium percuſſum eſt, & ubi læſæ ſunt majores arteriæ ac venæ & bilis itinera, vulnus mortiferum eſt.

§. 677.

Periculum etiam certum eſſe ſolet, ſi alia viſcera, lien, pancreas, hujuſque meatus, nec non receptaculum chyli, vulnus acceperunt. Mors etiam plerumque ſequitur, ſi meſenterium percuſſum fuit. Id enim & multas majoreſque arterias venaſque, tum ſanguinem, tum chylum ferentes, crebros etiam nervos,

habet, & adipem innatum, ob quem illud corruptioni & gangrænæ valde opportunum eſt. Omentum celerrime corrumpitur; ſine noxa vero id quod corruptum eſt, abſcinditur.

§. 678.

Uterus cum periculo ſummo vulneratur, maxime in gravida, in qua arteriæ venæque multum diſtentæ ſunt. Plerumque enim feminæ brevi profuſione ſanguinis, vel inflammatione moriuntur *a*.

a Gravidæ mulieris tumidus uterus facile vulnerari poteſt. Vid. Exemplum, ubi non ſolum is, ſed & ipſe partus, minori glande plumbea (*Schrot-Korn*) percuſſus fuit, in Diſſert. de Utero gravidæ una cum fœtu vulnerato, quam JOHAN. MART. REICHARD Argentorati anno MDCCXXXV. propoſuit.

§. 679.

Non ita mala ſunt vulnera renum, quæ in ſumma & externa horum parte ſunt; mortifera vero, quæ penitius penetraverunt. Si enim ex plaga, qua ren percuſſus, vel ureter præciſus eſt, urina exit, illa futuram mortem, vel maturiorem, vel ſeriorem, denunciat.

§. 680.

Non ſemper mortem ſequi, ſi veſica vulnerata eſt, docet illa chirurgia, quæ calculoſis adhibetur. Interdum etiam evenit, ut glans plumbea, quæ per abdomen in veſicam perrupit, in hac, glutinato exterius vulnere, relicta fuerit, cui poſtmodum accrevit calculus *b*. Nihilominus vero hæc vulnera pejora ſunt, & quæ magnum periculum faciunt.

b Vid. HILDANUS in Obſ. Chirurg. Cent. III. Obſ. 67. p. 250. & de Lithotomia Cap. III. p. 710. TH. BARTOLINUS in Epp. med. Cent. III. Ep. XXXV. pag. 128. aliud exemplum a MORANDO propoſitum in *Tr. de la Taille au haut Appareil* p. 224. Conf. H. A. R. Sc. anno MDCCXXV. p. 30. & CHESELDENS *Treatiſe on the High Operation* Tab. X. Lit. D. TULPIUS in Obſ. Med. Lib. III. Cap. IX. p. 195. habet hiſtoriam de homine, cui hypogaſtrium cornu tauri ſilveſtris ictum fuit. Poſt curatum vulnus homo calculo laborare cœpit, & tandem valde magnus fuit ex veſica extractus, in hujus autem medio repererunt turundam, ſine dubio in vulnere olim relictam.

§. 681.

Quod ſi ex certis indiciis conjicitur, intus, quamvis vulnus penitius penetraverit, nihil eſſe violatum, protinus proſpiciendum eſt, ne quid aëris, ſanguinis, vel alius humoris, in ventre maneat. Niſi igitur aliud quid hoc prohibeat, (prohibere vero poſſunt inteſtinum ac epiploon, ſi hæc per vulnus prolabuntur) æger, quamdiu aliquid profluit, certa ratione collocari, & in

vulnus inclinari debet, quo omne quod intus eſt, profluat. Melius etiam id expellitur, ſi æger ſubinde ſpiritum continere jubetur. Humor etiam ore alîus hominis, vel mediante ſiphone, educi poteſt (635.) Si plaga nimis anguſta eſt, illa nova ſectione latius aperiri debet. Demitti etiam in vulnus poteſt lotio (638.), qua ea quæ intus ſunt, eluuntur, donec purus humor per vulnus redditur. Tandem vulnus, ut in aliis, carne repletur, & cicatrix inducitur.

§. 682.

Sanguis vero non prius his auxiliis evocari poteſt, quam, ſi intus conquievit; cujus rei nota eſt, ſi abdomen haud magis intumeſcit. Si enim fluere non definit, æger in præcipiti eſt (629.) Non ſatis tutum, quod vero unicum eſt præſidium, ſanguinem alia parte emittere, quo is a vulnere avertatur, & quo ipſa hominis imbecillitas ſanguinis profuſionem prohibeat (636. 637. 641.)

§. 683.

In omnibus abdominis vulneribus nihil magis proficit, quam ſi alvus crebrius levi lotione ex emollientibus compoſita ducitur. Levatis enim ſic inteſtinis, abdomen molle fit, & vulnus celerius glutinatur. At enim, ſi in craſſo inteſtino vulnus eſt, clyſteres ſine pernicie adhiberi non poſſunt, quia id quod in alvum conjicitur, per vulnus in abdomen effertur.

§. 684.

Frequentius incidit, ut ex vulnere, ſi id paulo latius patet, & omentum, & inteſtina evolvantur. Omentum mox conſiderari debet, num illud, quod brevi corrumpitur ac emoritur, integrum ſit. Solet enim eſſe, ſi rubet ac calet, ubi illud protinus ſuper inteſtina reduci debet. Accidere vero poteſt, ut ſub eo ſit inteſtinum, quod, ſi ei immoratur & in ventrem compellitur, contortum manere poteſt & ἕλεὸν morbum afferre: quare illud, antequam conditur, diligentius, ſumma tamen cum moderatione, exſolvi debet. Id vero, quod ex omento lividum, nigrum & emortuum eſt, oportet protinus forfice abſcindere. Sed vero ante quædam facienda ſunt, ne ex ſanguinis profuſione periculum ſit. Id quod prolapſum eſt, paulatim adducitur & explicatur, ne qua arteria, vel vena lædatur. Trajicitur per illud medium acus major, lino incerato ſequente. Lini duo capi-

ta prius ex ſuperiore parte, pòſt ex inferiore, inter ſe adſtringuntur; quod vero infra vinculum eſt, forfice, vel ſcalpello præciditur. Poſt hæc, quod ſupereſt, iterum conditur; lini autem capita quo omentum vinctum fuit, debent extra vulnus dependere.

§. 685.

Non vero ſemper hæc curatio neceſſaria eſt. Si enim plaga anguſta & omentum ſolum, non vero cum eo inteſtinum prolapſum eſt, illud, ſi ab oris vulneris arcte comprimitur, emoritur & ſine noxa tollitur; reliquum, pure orto, cum vulnere coaleſcit *a*.

a Vid. LE DRAN T. II. Obſ. 90. p. 238.

§. 686.

Si vero omentum ſic cum peritonæo coiit, & æger inter curationem erecto capite ſupinus cubavit, accidere poteſt, ut eo adducatur ventriculus. His, percurato etiam vulnere, quam primum ſe, vel cibo, vel potione, paululum repleverunt, vomitus oritur, quia omentum diſtendi ventriculum non ſinit. Nec huic vitio auxilium eſt.

§. 687.

Si inteſtinum, vel ſolum, vel cum epiploo, evolutum fuit, & illud mox conſiderari debet, num integrum ſit, num vulneratum. Quod integrum eſt, retento ſpiritu diſtenditur; perforatum autem conſidit, & materiam quæ per id deſcendit, exhibet. Vulneratum etiam raro prolabitur. Si integrum eſt, refundi debet; id quod non ſemper ita facile eſt, maxime, ſi id diu aëri expoſitum fuit, & ſpiritu, vel ſtercore retento multum intumuit. Magna vero cum feſtinatione ſuccurrendum eſt, ne inteſtina aëre circumdata alienentur. Ubi enim pallida, livida, nigra ac frigida facta ſunt, utplurimum omnis medicina inanis eſſe ſolet. Si jam ſicciora ſunt, aqua non nimis calida irrorari poſſunt, cui parum olei adjectum eſt. Imponi poteſt ſpongia, vel linteum, calida, vel calido etiam lacte, madefactum. Ad calorem naturalem tuendum etiam facere poteſt, ſi animal recens occiſum & adhuc calens ſuperhabetur. Illud vero ignorari non debet, nimium calorem fere nocere, cum eo ſpiritus qui incluſus eſt, rarior fiat, & inteſtinum magis diſtendatur.

§. 688.

Ubi autem id reponi debet, reſupinandus homo eſt. Multum enim intereſt, hominem recte jacere, ut ſemper ſuperior ſit ea

pars, quæ vulnus habet. Si igitur ſupra umbilicum vulnus eſt, æger caput ſublime habeat. Si infra umbilicum, ille demiſſo capite ſit, & coxis elatioribus. Si plaga in latere eſt, is ſemper in id quod integrum eſt, debet inclinari. Oportet vero chirurgum ita condere inteſtina, ut, permutatis ſubinde digitorum vicibus, leniter premat, &, ut ſemper priora repellat, quæ poſteriora, prolapſa ſunt. Repoſitis omnibus, venter hominis leniter concuti poteſt, ut ſingula in ſuis ſedibus conſidant. Curioſe etiam proſpiciendum eſt, ut inteſtinum & omentum, quæ refundi debent, in ſuas ſedes & ventrem reducantur. Nam incidere poteſt, ut illa ſub cute intra muſculos & horum aponeuroſes condantur; qua re mortifera inflammatio excitatur.

§. 689.

Quod ſi vero plaga anguſtior, & inteſtina, quia vaſtiora, tument, retro compelli nequeunt, experienda alia ſunt. Expedit, illa digitis magis educere, quo retentus ſpiritus & eo delapſum ſtercus latius diſſipentur. Sæpe etiam prodeſt ſanguinis miſſio, quæ & inflammationi & ſpaſmis medetur & plagam ſtrictiorem laxat. Multi inteſtina acu compungunt, quo retentus ſpiritus exire poſſit, id quod quia inteſtina non parum irritantur, ut in iis etiam inflammatio & ſuppuratio moveatur, ſine pernicie fieri haud poſſe exiſtimo.

§. 690.

Interdum tamen hæc omnia parum proficiunt, ſed vulnus nova ſectione latius aperiendum eſt. Hæc res vero ſummam moderationem poſtulat, ne inteſtina lædantur, neque, qua arteria venave incidatur, & ne etiam omento, ſi id vexatum fuit, majus vitium accedat. Demitti in vulnus debet ſpecillum, ſulcum in longum ductum habens, cujus mucronem retuſum eſſe, medium autem ſcutulum habere oportet *a*, quo reprimuntur inteſtina, ut illa a ſcalpello longe ſint. Scalpellum enim ſuper ſpecillum etiam in vulnus demittitur, adhibita cura, ne illud aliquid lædat. Pòſt vero, dum ſimul, & ſpecillum, & ſcalpellum, educuntur, inciditur cutis cum ſubjectis muſculis ac peritonæo, donec vulnus ſatis patere videtur.

a Vid. GARENGEOT *des Inſtr.* T. I. Cap. VII. Art. I.

§. 691.

Multi aliis ferramentis utuntur. Adhiberi enim poteſt Syrin-

gotomus vulgo regius dictus (*biſtoury-royal*) *a* vel Herniotomus, ſeu ſcalpellum falcatum, quod ferramento abſconditur & preſſo elatere exſurgit (*biſtoury-cache*) *b*. Hoc, cum mucro facile lædere inteſtina poſſit, haud ita pridem immutavit & huic chirurgiæ magis idoneum reddidit LE DRAN *c*. PETITUS repertor fuit alius ſcalpelli, quod aciem habet, lima, non cote, acutam, & mucronem retuſum ac rotundum. Hoc, niſi valentius impreſſum, ſcindere haud poteſt, neque ideo inteſtina adeo facile lædere *d*.

a Vid. HEISTERI Chirurg. Tab. V. fig. 3.
b Vid. GARENGEOT *des Operat.* Tom. I. Cap. VII. Art. III. p. 232.
c Vid. LE DRAN Obſ. T. II. p. 26.
d GARENGEOT c. l. Art. II. p. 227.

§. 692.

Ubi autem plaga ſtrictior eſt, & evolutum inteſtinum, accepto ſpiritu vel ſtercore, ita tumet, ut ſine periculo, nec ſpecillum, nec aliud ferramentum in plagam demitti poſſit, manu recludendum inteſtinum, & interpoſito digiti ungue, deorſum verſus, ſcalpello circumſpectius incidenda ſumma cutis eſt, magna adhibita moderatione, ne mucro uſque ad inteſtinum deſidat, illudque vulneret. Monendus ob id æger eſt, ut ſe contineat, qui levi motu ſalutem in extremum pæne diſcrimen adducere poteſt. Ubi diducta cutis erit, etiam muſculi ſic, ſuſpenſa manu, ſemper altius impreſſo ungue, aperiri poſſunt, donec laxior ſit plaga, eaque ſpecillum admittat.

§. 693.

Sed hæc Chirurgia etiam alias quaſdam animadverſiones deſiderat. Si vulnus nova ſectione ampliari debet, cavendum, ne arteria epigaſtrica, quæ ſub muſculo abdominis recto ſurſum fertur, vulneretur, ex qua mortifera ſanguinis profuſio oriri poſſet. Si autem vulnus juxta umbilicum eſt, ſcalpellum ita inclinari debet, ne attingat ligamenta, quæ ex arteriis & vena manent, quas in infantibus ad umbilicum pertinere conſtat. Nam illas in junioribus aliquando adhuc cavas & pervias reperiri, ut ſanguinem tranſmittere poſſint, obſervatione cognitum eſt. Neque etiam, niſi cum periculo, læditur linea alba (651.): quare, ubi vulnus vulneri adjiciendum eſt, oportet omnes has ſedes evitari. Ubi inteſtina repoſita ſunt, curioſe proſpiciendum eſt, ne ſanguis, vel alius humor in ventre relinquatur. Prohibetur, ſi æger in vulnus inclinatus cubat, & eo tempore, quo vulnus ob-

ligari debet, ſpiritum retinet. Id vero ſæpe prohibet metus, ne ea, quæ, ex vulnere prolapſa in ſuaſque ſedes reducta fuerunt, iterum evolvantur.

ENTEPOPAΦH.

§. 694.

Inteſtina, ſi perforata ſunt, aliquando ſaneſcunt, ſi vulnus peritonæo, vel alii cuidam parti, alii etiam inteſtino jungitur, & cum eo glutinatur *a*. Difficiliorem tamen fere curationem habent tenuia, quam craſſa, & tolerabiliora ſunt vulnera recta oblonga, quam obliqua & tranſverſa. Etiam de inteſtinis ſuendis cogitaverunt chirurgi, quæ futura adhiberi poteſt, non, quod certa fiducia ſit, ſed, quod dubia ſpes certa deſperatione ſit potentior *b*. Ante omnia vero conſiderandum, an iis color ſanus ſit. Si enim livida, aut pallida, aut nigra ſunt, aut ſenſu carent, ſupervacua & inanis hæc curatio eſt.

a Illud enim ante omnia tenendum eſt, inteſtinorum, ventriculi, aliorumque receptaculorum vulnera, ſi ſaneſcunt, non ita glutinari, atque alia vulnera. Nam neque oræ ita adducuntur, ut ſe contingant, & inter ſe coeant, neque vulnera ſupercreſcente carne implentur, ſed pars vulnerata jungitur aliis quæ prope ſunt, cum quibus media cicatrice concreſcit. Vide ſectionem hominis, qui olim abdomini plures plagas, etiam inteſtina penetrantes, intulerat, & iterum convaluerat, in C. A. R. Sc. MDCCV. p. 40.

b Judicium CELSI de hac chirurgia L. VIII. Cap. XVI.

§. 695.

Si itaque hanc futuram experiri ſtatutum eſt, promitur ex abdominis vulnere percuſſum inteſtinum, junguntur inter ſe oræ, & chirurgus digitis, pollice ac indice, lævæ manus, prehendit inteſtinum, miniſter vero illud etiam altera parte continet, ut vulneris oræ ſibi recta oppoſitæ ſint. Expedit vero, digitos quibus inteſtinum prehenditur, linteolo circumdatos eſſe, calida madente, quo mollius prehendi queat. Trajicitur per oras acus minor lævis, cuſpidem acutam triquetram habens (377.) quæ filo plenior eſſe debet, ut non neceſſe ſit, illam vi cogi, ſed, ut quaſi ſua ſponte ſequatur.

§. 696.

Solet vero vulgo ea futura inteſtinis adhiberi, qua pelliones utuntur, & qua filum ſuper oras in orbem fertur, illaſque comprehendit. Quia vero filum, ſaneſcente vulnere, iterum educi

debet, ſutura, ſi quis ea uti velit, ita injicienda eſt, ut acus non uno ictu per utramque oram tranſmittatur, ſed per unam poſt alteram, & non recta, ſed oblique. Filum etiam nimis valenter adduci non debet, quo mitius inſideat. Nec finis nodo ſiſtendus, nec alia ratione innectendus eſt, ſed capita fili longiora adduci debent, ut extra plagam propendeant.

§. 697.

Quia vero in hac ſutura acus inteſtinum ſæpius tranſivit, & filum etiam crebrius trajectum id vehementius mordet, illa magnam ac periculoſiſſimam inflammationem movere poteſt. Recentiores igitur hanc ſuendi rationem omittunt, & raram, illamque fere futuram adhibent, quæ aliis etiam vulneribus idonea eſt. Filum itaque per utramque oram tranſmittunt; hujus capita, nec deligant, nec in nodum nectunt, ſed digitis parumper contorquent eaque adducunt & extra vulnus relinquunt. Nec crebriori ſutura utuntur. Nam cum vulneratum inteſtinum ad peritonæi vulnus adducitur, id cum hoc glutinatur (693. *a*).

§. 698.

Hæc vero ſuendi ratio proficere poteſt, ſi plaga inteſtino illata minor & oblonga eſt. Tranſverſa vero plaga, & ſi inteſtinum totum diviſum ac præciſum eſt, alio auxilio eget, quod non minus difficultatis habet. Oportet enim, ſi fieri poteſt, inteſtini diſciſſi fines ex ventre promere, & illum qui ad alvum ſpectat, filo devincire; alterum vero qui ſuperne labitur, externo vulneri ita adſuere, ut is ea quæ per inteſtina deſcendunt, tranſmittat, & ut hæc per novam quaſi alvum excernantur. Quare etiam huic loco vaſculum ſtanneum aptari, idque ventri alligari debet, quo illæ ſordes excipiuntur. Miſerum hoc auxilium tolerabile miſerius malum facit, cum niſi illud adhibeatur, neceſſe ſit, ægrum perire. Id etiam non niſi iis convenit, quibus inferiora inteſtina, ileum, aut colon percuſſum fuit *a*.

a Conf. Obſervat. ſupra ad §. 674. citatas.

§. 699.

Inteſtina vero vulnerata numquam ſaneſcere poſſunt, niſi fames adhibeatur, vel victus, qui a fame propior eſt. Satietas enim vulnera excitat, eaque diducit, & ægrum ſæpe in ſummum, & mortis, periculum præcipitare poteſt. Dari poſſunt, partitis vicibus, pauca jurulenta juraque gelata, & quæ ægrum

non tam alunt, quam ſuſtinent. Si vulnus in inteſtino tenui eſt, in alvum etiam jura immitti poſſunt (619.)

§. 700.

Nec alia medendi ratio eſt, ſi ventriculus vulnus habet. Illum autem eo tempore, quo is repletus eſt, vulnerari commodius eſſe videtur, quam eo, quo jejunus ac vacuus eſt. Nam expulſa, quæ intus eſt, materia, & ipſe ventriculus & vulneris oræ contrahuntur. Nonnulli igitur præcipiunt, ut; ſi vulneris externi ſedes oſtendat plagam in ſuperiori ventriculi parte eſſe, &, ſi homo, qui ictus fuit, expletus ſit, etiam vomitus invitetur, eoque ventriculus citius vacuetur. Hoc vero non niſi leniſſimis auxiliis, & irritatis digito faucibus, fieri debere exiſtimo. Et his longum jejunium neceſſarium, omnis ſatietas mortifera eſt.

§. 701.

Repoſitis, & epiploo, & inteſtinis, evocatoque omni, qui intus confluxerat, humore, vulnus etiam quod in abdomine eſt, curari debet. Illud vero, ſi exiguum eſt, non prius glutinari debet, quam, donec, nec pus, nec alius humor, ex vulnere exit. Non vero facile immittenda turunda eſt, ſed in vulnus conjiciendum linteolum, &, ſi res poſtulat, vulnus latius aperiendum eſt. Si vero magis opportunum videtur, turunda uti, illam brevem, parvam, mollemque eſſe oportet. Ea plurimum nocere poteſt, ſi epiploon alienatum, vel inteſtinum percuſſum, ad peritonæi vulnus adducta ſunt. Imponuntur exterius pulvilli pannique, ſuperdatur emplaſtrum, cujus tamen medium foratum eſſe convenit, injicitur mantile cum ſuſpenſorio. Nam hæc faſcia pectori & ventri communis eſt.

§. 702.

Filum, quo inteſtinum ſutum eſt, nec non aliud, quo omentum devinctum fuit, ſi curatio bene cedit, pure orto, ſponte excidit & ſine negotio educitur; id quod quinto, vel ſexto circiter die fieri conſuevit, ubi æger in inteſtino velut quamdam pruriginem ſentit. Filum ſi ex ſecto inteſtino extrahi debet, ejus alterum caput quam proxime ad vulnus præcidendum eſt, quo illud facilius ſequatur. Dum filum educitur, digiti imponi debent vulneri, & in omnibus, ne aliquid diducatur lædaturque, magna moderatio adhibenda eſt.

ΓΑΣΤΡΟΡΑΦΙΑ.

§. 703.

Vulnus abdominis, quod magnum eſt & hiat, ſui debet. Illa vero ſutura, quæ aliis vulneribus adhibetur, haud ſatis continet; quare plures hæc vulnera ea ſutura comprehendunt, quæ pinnata dicitur. Fere magis idonea eſt, quæ ex communi & hac quæ cum pinnis fit, compoſita eſt.

§. 704.

Adductis oris, atramento notari poteſt cutis, qua perforari debet. Neceſſe vero eſt, ut inter ſuturam & utramque oram digiti ſpatium ſit. In duas acus curvas majores conjicitur filum, ex novem filis valentioribus ita compoſitum, ut quaſi unitas ſit. Lina vero hæc haud torta eſſe debent, ſed ſibi ad latus poſita, & media cera ita agglutinata, ut quaſi ligulam repræſentent. Tum acus ab interiori parte in exteriorem, per illam atramento factam notam, adhibito etiam ferramento (379.) trajectatur, ita, ut peritonæum, quod multum recedere ſolet, quoque perforetur. Eadem ratione etiam altera acus, idem filum ducens, per alteram oram tranſmittitur. Hoc vero permutatis manibus & ita fieri debet, ut dextra quæ mox acum trajecit, jam oras vulneris contineat. Summa etiam cura habenda, ut ea pars acuum, quæ acuta eſt, ab inteſtino longe ſit; quare cuſpis digito imponi & cum hoc in ventrem demitti debet. Si vulnus majus eſt, id ſimili ratione, ſecundo, vel tertio ſui oportet, ſemper acubus ab interiore parte venientibus. Trajectis ſic linis, omnis humor ex abdomine exprimi, oræ vero vulneris, impoſitis utrimque manibus, adduci debent. His tandem peractis, lina quæ in vulnere hærent, in tres æquales partes dividuntur. Unius partis capita inter ſe devinciuntur, non alia ratione, quam in communi ſutura, interpoſito etiam inter ea panniculo minori, qui commode ex panno ſerico incerato fieri poteſt. Id quod vero filorum reliquum eſt, dividitur & utrimque ſuper pinnam, vel aliud bacillum, devincitur. Cum vero hæc bacilla, ſi duriora ſunt, premendo offendere ſoleant, illa fieri poſſunt ex cereo tenui, qui panno ſerico incerato comprehenditur, vel ex eodem panno convoluto, quibus ſic adductæ oræ continentur.

§. 705.

Antequam vero vulnus, quod ſutum eſt, deligatur, illis filis proſpiciendum, quibus, vel omentum devinctum, vel inteſtinum ſutum fuit. Hæc enim ad vulnus adducuntur, exterius ſuper ventrem collocantur, ac mediante emplaſtro ſiſtuntur. Si & omentum deligatum & inteſtinum ſutum fuit, expedit, hæc fila varii coloris eſſe, quo melius diſtingui queant. Super vulnus non alia medicamenta dari debent, quam, quæ alias propoſui. Si vero vulnus colliſum eſt, vel, ſi devinctum fuit epiploon, pus impoſitis medicamentis movendum eſt. Ergo vulnus non nimis valenter ſutura intercludi debet, quo exitus ſit humori, & quo etiam medicamenta pus moventia in illud conjici queant. De turunda, quam multi, in hoc caſu neceſſariam eſſe, contendunt, aliquoties dixi, illam alienam eſſe, cum inteſtina & epiploon graviter irritare poſſit. Illa tamen cura etiam adhibenda eſt, ut humor qui intus coiit, profluat, & ne pus quod ex vulnere fertur, deſcendat; ad quam rem plurimum facit, ſi homo frequentius in vulnus inclinatus cubat. Si inflammationis timor eſt, vulnus & totus venter circumliniendus eſt oleo, quod roſam excepit, & cui parum vini, vel ſpiritus ardentis, admixtum fuit.

§. 706.

Ne oræ vulneris diducantur, neceſſe eſt, ut æger ſe contineat & in lectulo quieſcat. Quia id etiam fieri poteſt, ubi deſidendi neceſſitas eſt, & quia venter nixu inflari ſolet, crebrius lotiones in alvum immitti debent, ut hæc ſine niſu reſpondeat. Vitari etiam oportet ſternutamentum, quod lac, ſi naribus adducitur, prohibet, nec non tuſſis & anhelitus. Nec ſpiritus imis pulmonibus hauriendus eſt. Hæc etiam ei, qui convaluiſſe videtur, diu ita ſervanda ſunt, & adhibenda abſtinentia eſt. Nam omnibus, qui ſibi maturius indulgent, & in ejus, quod aſſumitur, vel tempore, vel modo, vel genere, peccant, plura & genera & tempora periculi eſſe ſolent. Diu etiam adhiberi & arcte circum ventrem dari vinctura debet, cui pila aſſuta eſt. Huic enim ſubjicitur minus confirmata cicatrix, & intus compellitur inteſtinum atque omentum. Accidere enim poteſt, ut hæc laxatis carnibus ac cute, deſcendant, atque ſic herniæ genus oriatur, de cujus curatione alio loco dicetur. Nam peri-

tonæum, ſi id vulnere diſciſſum eſt, aliis partibus jungitur & cum his concreſcit, oræ vero ejus haud coëunt, quare illi loco major infirmitas manere conſuevit. Hæc vero proprie ad abdominis vulnera pertinent, cetera & in curatione & in victu ſimilia iis eſſe debent, quæ in alio quoque vulnerum genere præcepi. Nec alia viſcera, ſi intus læſa ſunt, propriam curationem requirunt. In his enim præter ea, quæ in aliis vulneribus facienda ſunt, nihil movendum eſt.

VEXATA.

§. 707.

Hactenus vulnerum curationes propoſitæ fuerunt, nunc ad vexata veniendum eſt, de quibus etiam propria quædam noſcenda ſunt. Vexata, quæ aliis contuſa, vel collifa, nominantur, ſunt corporis vivi partes, quibus telum, vel aliud durum ac retuſum, ita impreſſum fuit, ut interius & ſub cute minores arteriæ venæque varium humorem ferentes laceratæ atque graviter adfectæ ſint, quare ex iis humor qui eas permanat, vel effunditur, vel is in motu ſuo impeditur & ſiſtitur.

§. 708.

Ergo etiam in vexatis corpuſcula per minores arterias manantia ſubſiſtendo iter claudunt, & obſtructionem efficiunt, quam ſæpe inflammatio ſequitur. Ex quibus manifeſtum eſt, vexata inflammatis proxima eſſe. In oſſibus autem, quæ etiam frequentius colliduntur, veram inflammationem non eſſe, alias (35.) propoſui.

§. 709.

Vexata itaque fiunt a rebus, quæ extrinſecus non alia ratione lædunt, quam, qua vulnera inferri ſolent (338. *a*)

a Præcipue vexata a corporibus duris fiunt. Cum vero fluidum majori vi in corpus, v. g. per ſiphonem, agitur, vel, cum corpus ex alto in aquam præcipitatur, etiam partes graviter adficiuntur; id quod probat, non a ſolis duris, ſed etiam a fluidis, vexata proficiſci. Etiam oriuntur a ſuctu, vel, ſi cutis ore ſugitur, vel, ſi ei mediante igne admovetur cucurbitula. Nam ex his partes ſugillatæ & cruore ſuffuſæ quoque relinquuntur. Tales vero maculæ etiam ex aliis interniſque cauſis oriuntur, id quod præcipue in varii generis puſtulis & in febribus, quæ cum ἐξανθήμασι ſunt, deprehenditur. Sæpe in his, maxime in malignis, ſanguis nimis tenuis ac ſolutus in exiguas arteriolas propellitur. Scorbuto ægris maculæ fiunt, quod a ſanguine impuro craſſoque & ideo ſubſiſtente arteriæ minores clauduntur, & is in

arterias lymphaticas urgetur. At enim in moribundis illæ majores maculæ lividæ ac obſcuræ naſcuntur, quia ſanguis ruber in vitali virtute defectas, laxataſque minores cutis arteriolas & venulas ruit, in quibus is coactus poſtmodum hæret.

§. 710.

Id, quod lædit, retuſum eſſe debet, telum enim acutum vulnus imprimit (341.) Si vexata cum vulnere ſunt, vulnus colliſum dicitur, de quo ſupra relatum eſt (341. 350. 370. 374. 384. ad 402. 462. ad 487.)

§. 711.

Non una vero ratione partes ſic offenduntur. Nam eas aliquando ictus lædit, aliquando caſus ab alto. Vexatorum etiam naturam habent partes, quæ valentius comprimuntur, intenduntur, diſtorquentur; quare hoc vitii genus luxatis fractiſque crebrius accidere ſolet.

§. 712.

Neque hæc ſola diſcrimina ſunt: quæ a cauſa proficiſcuntur, majora recipiunt ſedes parteſque, quæ vexatæ, vel contuſæ, eſſe ſolent. Hæ vero in duas ſpecies commode dividuntur, externas nimirum internaſque. Si de prioribus dicendum, ubi vexata eſt cutis, oritur ſugillatio, quam Græci ἐκχύμωσιν nominant.

§. 713.

Ἔκχυμωσις enim nomen eſt tumori, qui in ſumma cute eſt, qui rubet, pòſt livorem contrahit, cui, nec magnus dolor, nec magna inflammatio accedit. Oritur, ſi ſanguis ruber, vel in eas arterias, quæ lymphæ accommodatæ ſunt, vel in cellulas adipis, transfuſus eſt, & ſub perlucente cute conſpicitur. *a*

a Si alius humor, v. g. lympha, ab eadem cauſa in alium humorem vehentes atque inſenſibiles arterias, vel in adipis cellulas, transfunditur, enaſcitur etiam tumor, ſed alius generis, v. g. œdema, quod vero ex eadem cauſa, ex contuſione nimirum, ortum eſſe poteſt. Ecchymoſis vero etiam alia occaſione ex vulnere oritur, ſi hoc curvum eſt & obliquum & ſanguis, qui profluit, in adipis cellulas urgetur. Frequentius hoc incidit, ſi vena inciſa & etiam altera parte pertuſa fuit, vel, ſi ante ſectionem cutis a chirurgo nimis adducta fuit, & minor plaga, quæ in cute eſt, vulneri, quod vena habet, non reſpondet.

§. 714.

At, cum gravior ictus fuit, & vehementer etiam percuſſæ carnes ſubjectæ ſunt, aliæque partes, timenda eſt inflammatio, ſuppuratio, gangræna, ulcus, fiſtula.

§. 715.

Læſo perioſtio, hoc inflammatur, & inſequitur exoſtoſis, caries. Si totum os ita percuſſum fuit, id totum vitiatur. De quibus omnibus ad oſſa attinentibus alio loco ſcribere operæ pretium erit. In glandula graviter icta, vel pus oritur, vel ea ſcirrho occupatur, ex quo non raro cancer naſcitur. Si percuſſa fuit arteria, aneuryſma inſequitur (424.) Si nervus graviter ictus eſt, is reſolvitur & ſenſus intercidit, & membrum cui debilitas oritur, emacreſcit. Si vero is parum offenditur, oritur vehemens dolor & diſtentio. Articulo ita percuſſo ſupervenire ſolet gravis inflammatio dolorque, iſque nonnumquam contractus fit, & manet ἀγκύλη.

§. 716.

Ab his, quæ intrinſecus & in prominentibus membris fiunt, ad ea pericula venio, quæ in interioribus partibus ac viſceribus, ſi illa icta ac contuſa ſunt, incidere conſueverunt. Quæ vero eveniunt, ſi caput ictum fuit, alias propoſui (511. ad 514. 518. ad 526. 529. 530.) De medulla, quæ in ſpina eſt, infra dicam. Oculus, ictu læſus, inflammatur (284.), & in eo nonnumquam hypopyon (321.), aliquando etiam ſuffuſio, naſcitur, eique omnis videndi facultas eripitur. Si percuſſa fuit glandula, ex qua lacrymæ in oculum feruntur, oritur ſcirrhus, & propter hunc, σκληροφθαλμία (271.) Si ea pars in cantho interno ictum gravem excepit, cui lacrymarum iter, ſeu ſic dictus ſaccus lacrymalis, ſubeſt, ἀγχίλωψ & αἰγίλωψ oriri poteſt, quarum noxarum expoſitio etiam in alium locum differenda eſt.

§. 717.

Contuſo vero ac compreſſo pectori atque abdomini graviora etiam pericula ſunt. Nonnumquam enim intus majores arteriæ venæque, immo viſcera, rumpuntur laceranturque, ita, ut effuſo omni ſanguine, cita mors ſequatur. In liene hoc frequentius evenire, obſervationibus compertum eſt *a*. Ex eadem occaſione intus etiam aneuryſmata fieri, alias relatum eſt (422. 424.)

a Vide Lienum diſruptorum obſervationes a JOH. VAL. SCHEID Argentorati MDCCXX. propoſitas & JOH. PHIL. FYSELII Diſſ. de Ruptura Lienis, Erff. MDCXCVI. Hepatis diſrupti exemplum adducit VILARS *Cours de Chirurgie*, Tom. I. p. 415.

§. 718.

Si vero ictus paulo mitior fuit, & homo non tam cito tolli-

tur, alia quandoque inſequuntur, quæ cum lenta morte conſumunt. Læſo enim pulmone, is ſanguinem ſpuit, & relinquitur ſæpe phthiſis. Fracto ſterno, coſtiſque, gravem patitur inflammationem. Oſſa hæc rara etiam vitium contrahunt & mala ulcera excitant. Hepate percuſſo, oritur inflammatio, ſeu hepatitis, ſcirrhus, icterus, abſceſſus, ulcus, fluxus hepaticus, hydrops, tabes. Etiam in aliis viſceribus, pancreate potiſſimum, nec non liene, meſenterio, utero, ſcirrhos naſci, non ita rarum eſt.

§. 719.

Tandem etiam graviter percuſſo ac preſſo abdomine, valentius in variis ſedibus peritonæum diducitur, & omentum ac inteſtina pondere devolvuntur. Horum vitiorum, quæ herniæ nomine comprehenduntur, diſcrimina atque curationes alio loco exequar. In teſtibus compreſſis atque graviter ictis oriuntur etiam inflammatio, ſuppuratio, gangræna, ſcirrhus, ſarcocele, hydrocele, de quibus etiam infra ſcribam.

§. 720.

Vexata oculis expoſita ſunt, ſiquidem cutis color mutatur (712.) Accedit etiam duritia. Aliquando autem locus, qui percuſſus fuit, juſto mollior eſſe ſolet. Prius enim incidit, ſi concurrentes humores in minores & lymphæ idoneas arterias tranſfunduntur, ſi vero ſanguis ex ruptis arteriis veniſque in adipem emiſſus eſt, tumor plerumque mollior eſſe ſolet, atque digito cedens, niſi tumor ſub valida nervoſaque membrana ſit.

§. 721.

Conſiderari etiam debet telum, quo homo percuſſus fuit, & num ictus, quocumque modo is illatus ſit, fuerit mitior, vel vehementior (532.)

§. 722.

Internas ſedes percuſſas & violatas eſſe, haud certiora indicia habemus, quam ex iis, quæ homini accidere ſolent (533. ad 536. 629. ad 632. 655. 656. 660. ad 669.) Illud vero ignorari haud debet, in capite (511.), pectore atque abdomine, non raro interiores partes atque viſcera graviter affecta, commota, immo diſrupta atque lacerata eſſe, quamvis extrinſecus, vel nullum veſtigium, vel non niſi minor ſugillatio, conſpiciatur.

§. 723.

Quid vero de vexatis metuendum ſperandumque ſit, ex mo-

do dictis intelligitur (712. ad 719.) Majus periculum oſtendunt, ſi partes graviter percuſſæ ſunt, quæ, ad vitam neceſſariæ, haud facilem curationem recipiunt.

§. 724.

Nec vexatis ſugillatiſque alia ratione mederi licet, quam inflammatis. Si cutis percuſſa fuit & metuenda videtur ἐκχύμωσις, illa averti poteſt, adhibitis iis, quæ ſupra (62. ad 64. 76. ad 78.) præcepi. Ubi jam ecchymoſis tenet, hæc aliena ſunt, & adhiberi debent diſcutientia (56. ad 70. 79. ad 83.) Ubi autem tumor valde durus eſt, vel juſto mollior, medicamenta, quæ emolliunt, & alia, quæ diſcutiunt, varie miſceantur (80.) Tumor, ſi jam ad ſuppurationem ſpectare & pus alere videtur, requirit emollientia (89. ad 101.) Quæ vexatis glandulis ſuperhaberi debeant, etiam alibi (113. 89. ad 99.) relatum eſt.

§. 725.

Scalpelli autem operam deſiderat ecchymoſis altior majorque, præcipue, ſi cum vulnere eſt. Concidenda enim cutis, & quieſcens ſanguis evocandus eſt (477.) Ubi autem ſub cute, vel etiam ſub alia & nervoſa membrana, ſanguis concurrit, ſectione tumor aperiendus & ſanguis effundendus eſt (521. 522.)

§. 726.

Viſcera, ſi intus violata ſunt, non aliam curationem recipiunt, quam, quæ ad avertendam eamdem inflammationem opportuna eſt. Sanguinis miſſio, quæ etiam iteranda eſt (62. ad 69.), & cum his abſtinentia, a fame propior, primo loco ſunt.

OEDEMA.

§. 727.

Sed, cum de variis tumoribus dictum ſit, qui cum inflammatione ſunt, jam etiam tranſibo ad alia genera, quæ a veteribus frigida dicta fuerunt. Incipiam autem ab Oedemate & tumoribus, qui iis oriuntur, quos aqua inter cutem male habet.

§. 728.

Οἴδημα nomen eſt tumori pallido, molli, frigido, & qui ſine dolore atque ſine inflammationis indiciis eſt. Si digito comprimitur, is cedit, ita, ut plerumque ſinus per aliquod tempus in cute permaneat. Per ſe & ex parvulo incipere ſolet & diu paulatimque creſcere.

§. 729.

Oritur, ſi lympha, vel ſerum, per inviſibilia cutis foramina exire ſolitum, vel in lymphaticis, & his etiam minoribus, arteriis atque venis, vel in adipis cellulis, vel, id quod in vario hydropis genere fit, in aliquo cavo ſubſiſtit. Nonnumquam enim ipſa cutis, in cujus arteriis, ſerum afferre ſolitis, humor etiam hærere videtur, intumeſcit. Quidquid igitur & ſanguinis & lymphæ vitalem motum & ſeri excretionem impedit, poteſt œdemati occaſionem dare *a*.

a Oedema ex iiſdem cauſis oriri poteſt, ex quibus oriri ſolet inflammatio. Si enim corpuſcula, per minores arterias ſanguinem ferentes manantia, prorſus quieſcunt, & ſi ſanguis a corde motus majori vi ad hunc locum appellitur, is in minores & lymphæ accommodatas, e latere eductas arterias urgetur, oritur obſtructio & vera atque ſanguinea inflammatio (34.) Si vero manantia corpuſcula in extremis arteriis, quæ ſanguinis capaces ſunt, non prorſus ſubſiſtunt, motu tamen multo tardiori ac impeditiori feruntur, lympha a ſanguine recedit, & copioſior in illas minores arterias recipitur. Minores vero illæ arteriæ ſic diſtentæ œdema faciunt.

§. 730.

Crebrius autem œdema naſcitur, ſi ſanguis non libere per venas refluere poteſt. Membrum enim quodvis intumeſcit, ſi major vena ita comprimitur, ut ſanguis quidem haud omnino conſiſtat & quieſcat, aſt vero per eam difficulter atque ægre fluat. Eam ob cauſam gravidis, quarum iliacæ venæ ab uteri mole premuntur, pedes intumeſcunt, id quod etiam iis accidit, qui, in rheda ſedentes, vel equo vecti, iter faciunt, quorum etiam venæ, quæ per femora deſcendunt, premuntur. Si oſſibus fractis ferulæ pannique ita accommodati ſunt, ut venæ comprimantur, idem tumoris genus oriri ſolet.

§. 731.

Ut autem hoc incidit, ſi venæ ſanguini accommodatæ comprimuntur, ſic etiam œdemata naſcuntur, ſi venæ illæ exiguæ, quæ lympham recipiunt, a quacumque cauſa comprimuntur atque arctantur. Proinde, ſi qua parte glandulæ conglobatæ, vel etiam viſcera glandulis affimilia, intumeſcunt, & ſcirrho occupantur, corpus his tumoribus inæquale fit.

§. 732.

Neque tamen ex his ſolis cauſis œdema excitatur, ſed fere frequentius id a vitiatis in corpore ſuccis, ipſa præ ceteris lympha, proficiſcitur. Quibus enim malus corporis habitus ex icte-

ro, empyemate, magna ſuppuratione, malis & chronicis ulceribus, ipſa etiam phthiſi, eſt, iis hoc tumoris genus frequentius enaſci ſolet. Id etiam fieri poteſt, ſi corpus longo morbo vitiatum eſt, vel malis ac intempeſtivis medicamentis, quæ adverſus febres, ſcabiem, aliaſque valetudines, quandoque adhibentur, affectum, vel nimia ſanguinis profuſione aliiſque evacuantibus infirmatum & exhauſtum, quod ultimum in febribus acutis accidit, ſi nimium ſanguinis detrahitur, & ob id illa rubicundior ſanguinis portio deficit, quæ ad præparandos perficiendoſque omnes vitales ſuccos adeo neceſſaria eſt. Etiam cacochymia, & tandem cachexia, cum œdemate oritur, ubi aliquis per longum tempus intemperantius, tum eſca, tum potione, uſus eſt, & inuſitatos ac inutiles cibos aſſumpſit, ſe quotidie ardente ſpiritu, vel ſimilibus liquoribus, quibus lympha cogitur, nec non multa crudaque aqua injurgitavit, & quem quotidianus mœror laceravit atque confecit. Etiam his tumoribus præ ceteris obnoxius erit, qui corpus ignavia nimioque ſomno hebetat, nec non is, qui mox poſt cibum intemperanter lucubrare conſuevit, cui nocturno humore ac paluſtri cœlo gravato inviſibilis exſpiratio per cutim cohibetur, & cui urina naturaliter non redditur. Feminis, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet, & viris, quibus hæmorrhoides, ſanguinem fundere ſolitæ, ſubito ſuppreſſæ ſunt, hæc inflatio contingere ſolet. Corpus etiam intumeſcere poteſt, ſi illud vim acriorum frigorum hiememque perfrigidam, qua humores coguntur vaſaque rumpuntur, ſuſtinuit.

§. 732.

Eſt vero quædam differentia. Tumor, qui, digito preſſus, mox iterum conſurgit, ſignificat, humorem ſuis adhuc receptaculis vaſiſque lymphaticis contineri, ſi autem tumor mollior eſt, & qui digito preſſus cedit, ita, ut circumfluens etiam humor id quod non premitur, attollat, & ſinus impreſſus diu maneat, is oſtendit, rupta eſſe illa receptacula, & humorem in adipis cellulas eſſe emiſſum, qui caſus multo aſperior eſt. Peſſimum vero genus eſt, ubi, ruptis iiſdem, aqua vel in caput, pectus, vel in abdomen contrahitur, in quibus ita movetur, ut ejus impetus ſentiri poſſit.

§. 733.

Hi autem tumores, quorum omnium communis eſt nimia hu-

moris abundantia, variis nominibus diſcernuntur, quæ a diverſis ſedibus, quas infeſtant, trahere conſueverunt. Intumeſcunt frequentius pedes, cum ab his ſanguis per venas difficilius conſurgat; quibus tumoribus verum, & quaſi proprium nomen œdematum eſt. Si tumor per totum corpus enaſcitur λευκοφλεγματία, &, ſi magis adolevit, ἀνάταρκα vocatur. Si caput intumeſcit, oritur ὑδροκέφαλον externum; ſi in caput interius aqua contracta eſt, ὑδροκέφαλον internum; ſi in oculum, ὑδροφθαλμία; ſi in pectus, hydrops pectoris; ſi in imum ventrem, ἀσκίτης. Si in umbilico humor conſiſtit, ὑδρόμφαλον oritur; ſi autem is ſub ſcroto confluxit, & ei ſedes eſt inter illas tunicas, quibus teſtes comprehenduntur, vitium ὑδροκήλην appellant. Ab hoc differt tumor, qui oritur, ſi ipſius ſcroti tunica celluloſa ſimili colluvie tumet.

§. 735.

Multum etiam intereſt inter œdema, quod per ſe incepit, & inter illud, quod alteri vetuſto ac gravi & ancipiti morbo ſupervenit. Oedema enim, quod per ſe incepit, & quod a cauſis variis accidentibus, non ita malis, ortum eſt, ſæpe per ſe, & ſine curatione, finitur. Ergo in iis, qui, gravem ſanguinis profuſionem paſſi, convaleſcunt, nec non in gravidis, poſtquam pepererunt, ſine negotio id diſſipatur. Difficilius autem tollitur, ſi cum alio gravi diuturnoque morbo, cacochymia, cachexia, phthiſi, tabe, aliis hydropis generibus, longis & magnis ſuppurationibus eſt. Nec enim tuto tolli poteſt hoc poſterius œdematis genus, niſi curato prius eo morbo, e quo id enatum fuit. Si enim morbus depelli non poteſt, etiam hi tumores nullam curationem recipiunt, qui potius, ſi phthiſis & tabes ægris ſuperveniunt, mortis propinquæ indices eſſe ſolent. Oedema, quod ex febre quartana male curata relictum eſt, tollitur, ſi febris revertitur. Si ſcabies, medicamentis extrinſecus adhibitis prohibita, & ex hac curatione ortum fuit œdema, optimum etiam eſt, illam revocari. Qui arthritidi externis mederi volunt, iis crebrius tumor manet nulla arte diſcutiendus. Facilius tollitur œdema in junioribus, quam ſenibus, & melius æſtate, quam hyeme. Sæpe id, cujus inter initia non difficillima curatio eſt, ſi inveteravit, non ſine magna mole diſcutitur. Si vulneribus accidit, pus prohibetur. Numquam enim œdema ad bonam ſup-

purationem ſpectat, ſed in eo, ſi id emollientibus curatur, fiunt mala ulcera & gangræna.

§. 736.

Curandi vero ratio ex cognitis præcipue cauſis ducenda eſt, ad quas is, qui curaturus eſt, ſemper reſpicere debet. Illud, quod a cauſis, quæ extrinſecus accidunt, excitatum fuit, non aliis auxiliis eget, quam, quæ ipſi tumori ſuperdari ſolent. Ne pedes, compreſſis venis, intumeſcant, prohibetur faſcia, vel illo tibialis genere, quod alias (168.) laudavi. Hoc etiam utiliſſimum & valde opportunum iis eſt, quibus pedes poſt magnam inflammationem, eryſipelas, ulcera curata, intumuerunt. Neceſſe enim eſt, laxiorem cutim hac faſcia, non nimium, tamen vehementer, adſtringere.

§. 737.

Iis, quos Anaſarca male habet, ſi ea ex frigore orta fuit, incidenda cutis eſt, ſuper talum, ſatis altis plagis, quo per plures dies frequens humor feratur. Adjiciendæ vero ſunt exercitationes, & præcipue, fricationes totius corporis cum pannis ſuffitis, idoneuſque victus, quibus omnibus corpus, effuſa aqua, duratur, donec id ad priſtinum ſtatum revertit.

§. 738.

Quibus aqua in pectus, vel abdomen, contracta eſt, & viſcera adfecta ſunt, iis hæc curandi ratio levamen ſæpe adfert, ut morbus hominem, qui ſine ſumma difficultate ſpirare non poterat, emiſſa ſic aqua, diu, & aliquando per unum alterumque annum, trahere poſſit. Sæpe humor eadem ratione per ulcera exit, quæ per ſe, etiam in pedibus, oriri ſolent. In his vero caſibus ea diligentia adhibenda eſt, ne ulcera putreſcendo intendantur, & ne iis gangræna ſuperveniat. Igitur, ſi ulcera ſerpere videntur, imponi poteſt aqua vulneraria, addita, ſi id res poſtulat, eſſentia ſuccini. Si vero jam nigrities eſt, eaque ſerpendo increſcit, putre lenius exeſt aqua phagedænica. Solent vero hæc ulcera aliquando pura eſſe, aſt cum intolerabili dolore ac pruritu. Tum vero omnia, quæ reprimunt & putrem carnem exedunt, aliena ſunt, imponi debent linamenta ſicca, quæ crebrius mutari oportet, ne iis, qui humorem bibunt, ulcera magis exaſperentur. Urgente dolore, etiam quædam paregorica imponere licet.

§. 739.

Si os fractum eſt, & membro œdema accedit, ita ſuperdandi accommodandique panni ac ferulæ ſunt, ne vena prematur. Vulneris œdemate affecti oræ concidendæ ſunt, imponenda vero, quæ efficaciora ſunt ad pus movendum, ſuperdatis etiam diſcutientibus ex vino meraciori coctis.

§. 740.

Oedema autem, quod a vitiata lympha enaſcitur, tollitur aliis auxiliis, quæ, cum Medici doceant, ab iis requirenda ſunt. Si viſcera nondum affecta ſunt, opem inter alia fert ſquilla, quæ, vel cum nitro trita, vel ex vino cocta, dari poteſt. In hoc etiam caſu proficiunt thermæ Carolinæ, quibus humor attenuatur & ex corpore eliminatur. Si is in femina eſt, cui menſtrua non proveniunt, vel in viro, cui hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt, ſalutares illæ excretiones revocari debent. Si febrem, præcipue quartanam, medicamenta ſubito & intempeſtive data ſuſtulerunt, illa reducenda eſt; id quod optime fit, ſi purgantibus, reſolventibuſque permixtis, ſuperinfunditur vinum, & hujus quotidie cyathus ſumitur. Utiles etiam ſunt Becheri pilulæ per plures dies devorandæ.

§. 741.

Victus vero neceſſarius eſt ſiccus, ſine jurulentis, panis candidus ſiccus, ſeu bis coctus, carnes aſſæ, aromate, zingibere potiſſimum, conditæ. Prohiberi debet æger ab omni potione, quæ ſitim extinguit, & dari vinum paucum, aſt meracius. Præcipue hæc vitia longam ſitim longamque patientiam deſiderant, & plures, qui ſibi ex toto temperare nequeunt, ſe in exitium præcipitant, qui, ſi medentium imperio obtemperaſſent, ſervari potuiſſent.

§. 742.

Scabies medicamentis extrinſecus admotis prohibita, ſi œdema relinquit, hoc curari poteſt, datis decoctis aliiſque medicamentis ſanguinem purgantibus, & pulveribus ex ſtibio diaphoretico & ſulphure, quibus efficitur, ut ſcabies revertatur.

§. 743.

Poſt gravem ſanguinis profuſionem œdema victu potiſſimum datiſque jurulentis curatur, adhibita etiam fricatione, & quantum per vires licet, exercitatione.

§. 744.

Poſtquam vero ea medendi ratione illud vitium, ex quo œdema natum eſt, ſubmotum fuit, veniendum etiam eſt ad ea, quæ extrinſecus admota, his tumoribus medentur. Adverſus eos vero omnino neceſſarius eſt calor. Sudor evocari poteſt, ſi pedes in arenam calidam, vel furfures calidos, demittuntur. Furfuribus admiſceri poteſt rad. bryoniæ, herba abſinthii, ſabinæ, rutæ, perſicariæ. Superhaberi etiam debent cataplaſmata, quæ vero ſicciora eſſe oportet, quam alias cataplaſmata ſolent. Parari poſſunt ex farina volatili herba rutæ, perſicariæ, ſabinæ, agrimoniæ, centaurio minori, cum aqua calcis vivæ. Si tumor minui cœpit & cutis laxior eſt, frictio atque faſcia prodeſt (168. 735.), & ſuperdari poſſunt panni ex vino rubro fervido expreſſi, quo lithargyrium cum gummi myrrhæ, elemi, animæ, fuit decoctum. Humor, qui in œdemate hæret, ſi is non nimis coactus eſt, quandoque ſolvitur, ſi ſudor accenſo in laconico ſpiritu ardente evocatur. Valentius etiam reprimunt thermæ Carolinæ exterius admotæ. Vel, ſi lixivium illud, quod poſt illarum thermarum evaporationem cum ſale relinquitur, pediluviis admiſcetur.

HYDROCEPHALUM.

§. 745.

Hydrocephali duo potiora genera ſunt. Nonnumquam enim cutis, qua caput contegitur, aqua intenditur, & naſcitur tumor, qui ad immanem magnitudinem increſcit, & in quo, tamquam in vitro cornuque, humor per cutim apparet *a*. Raro aquæ ſedes eſt inter calvariam & pericranium: id quod ſi accidit, caput non ita intumeſcit, ſed preſſum, ſicut uter repletus atque arcte adſtrictus, renititur.

a Hoc genus delineatum vide in RUYSCHII Theſ. II. Tab. III. conf. p. 23.

§. 746.

Si autem in ipſum caput aqua contrahitur, hoc etiam, ſed cum aliqua duritia, intumeſcit, frons extuberat, oculi torvi ſunt eminentes humenteſque *a*. Nonnumquam caput tumoribus inæquale fit. Nam in mollibus offium commiſſuris, præcipue in ea, quæ inter occiput & bregmata eſt, ſe attollunt tumores,

qui ita increſcunt, ut tandem a capite dependeant *b*. Crebrius autem aquæ in ipſos cerebri ventriculos confluere ſolent.

a Vide figuram in M. A. SEVERINO de Abſceſſibus noviſs. obſerv. Cap. IX. p. 210.

b Vide RUYSCH Obſ. Anat. Chir. Obſ. LII. p. 69. fig. 45.

§. 747.

Si humor in interiora cerebri & hujus ventriculos contrahitur, etiam dura mater & cum ea pericranium intenduntur, immo ipſa etiam cutis attollitur, ut hydrocephalum plerumque ex utroque genere interno & externo quaſi compoſitum ſit.

§. 748.

Interno nonnumquam aliud vitium accedit, ſpina nimirum bifida. Si enim humor in anterioribus cerebri ventriculis increſcit, ille per aquæ ductum Sylvii in tertium ventriculum fertur, & ex hoc, ſi ei nullus exitus per infundibulum datur, per valvulam majorem cerebri perrumpens in quartum. Tandem ex hoc is ſibi utcumque viam facit in eam vertebrarum fiſtulam, per quam medulla cerebro commiſſa deſcendit. Hoc in ipſo partu incidere poteſt, in quo caput ab uteri ore valentius comprimitur *a*. In pueris ſingulæ vertebræ ex tribus oſſiculis conſtant, quæ media cartilagine continentur. Cartilago vero etiam eſt in parte poſteriori, ubi adultorum vertebræ proceſſus exigunt, quibus a ſpina nomen eſt. Hæc tenerior cartilago in pueris, &, ut videtur, etiam in nondum maturis ac in utero hærentibus partubus, ab increſcente humore ita premitur, ut illa teneriora ac cerea officula inter ſe diducantur, cutis vero ab humore, qui ſubeſt, attollatur. Hæc enim frequentior horum tumorum cauſa eſſe videtur *b*. Utrum ſpina etiam findi poſſit, ſi infans in arctiori utero ita compoſitus eſt, ut valentius, tum ejus coxæ, tum artus inferiores, comprimantur, dubium eſſe videtur *c*. Sæpe pueris, qui cum his tumoribus nati ſunt, pedes reſoluti ſunt incurvi & in interiora obtorti. Hoc vero etiam ideo incidere poteſt, quia ſpinæ medulla, ubi ex ea nervi educuntur, qui per artus inferiores pertinent, ab humore preſſa reſolvitur. Membris vero reſolutis, quia non æqualiter increſcunt, figura manet, quam forte a ſitu, qui eis in utero fuit, traxerunt.

a Vid. RUYSCH Epiſt. problem. XII. p. 24.

b Ex hoc tumore, ſi is inciditur, plerumque multus & limpidus humor

exit, infantes vero, eo aperto, celerius extinguuntur. Hoc vero tumoris genus ex aquarum in caput contractarum redundantia oriri, ex eo discitur, quia crebrius cum hydrocephalo esse solet. Immo experimentis cognitum est, protinus multum ex capitis tumore minutum fuisse, si lumborum tumor scalpello divisus fuit & humor emissus. Glutinata vero iterum illa plaga, capitis tumor ad oculum increvit. Vid. JOH. CORN. BRUNNERI Obs. in Ephem. Nat. Cur. Dec. III. A. 1. Obs. 152. p. 149. sqq. Conf. etiam Dec. II. A. 2. Obs. 158. p. 363. ut plures alias, in iisdem voluminibus legendas, observationes omittam; ex quibus clarum est, hunc tumorem cum hydrocephalo esse. Icones dederunt TULPIUS Obs. L. III. Cap. 30. VAN DER VVIEL Cent. II. Obs. 34. RUYSCHIUS Obs. Anat. 34. 35. 36. fig. 36. 37. qui similes tumores, etiam in nucha & infima ossis sacri parte vidit. BIDLOO de osse cribroso & nervis olfactoriis læsis in Opp. p. 187. APINUS. in Ephem. N. C. Dec. III. A. IX. & X. Obs. 180. &, qui eumdem casum describit, CAR. FRIDER. HOECSTETERUS in Diss. de Spina bifida, Altdorfii, MDCCIII. Plures etiam & similium tumorum & partuum monstrosorum icones conspiciuntur in TITSINGHII & ULHORNII scriptis. Conf. JOH. SALZMANNI Diss. de tumoribus quibusdam serosis externis, Arg. MDCCXIX.

c Magnam de hac re controversiam inter se habuerunt duo Amstelodamenses chirurgi, ABR. TITSINGH & HENR. ULHORN. Aliquid conferre potest situs infantis in utero, frequentior vero hujus vitii causa est aqua in caput vel in spinam contracta. Multi matris gravidæ phantasiam concitatam & visa in animis earum impressa, ut solam causam, amplectuntur. Obscurarum vero & incomprehensibilium causarum quæstio tunc minimum supervacua est, ubi evidentes, &, quæ explorari possunt, apparent.

§. 749.

Caput vero inflatur, si sanguis per compressas jugulares venas libere refluere nequit (729.), vel etiam, si interius infundibulum aliaque lymphæ itinera utcumque obturantur (728.) Hoc autem morbi genus non nisi in infantes incidit, in quibus, si cerebrum ab humore distenditur, calvariæ ossa, molles commissuras habentia, cedere possunt, & sic totius capitis inflatio oriri. In adultis vero ex eadem occasione oritur apoplexia, vel lethargus. Atque etiam venæ jugulares non raro in utero ab umbilico constringuntur. Id quod accidere quoque solet, si collum ab uteri ore partum non emittente comprimitur. Lympha vero vitiatur, si matri malus corporis habitus est, si ea nimia aviditate plus, quam debet, & alimenta, quæ mali succi sunt, crassioremque pituitam faciunt, assumit *a*.

a Hydrocephalum in puella XIV. annorum ortum ex illito adversus capitis tineam unguento, quod & arsenicum & sulphur habuit, vid. in Ephem. N. C. Cent. I. & II. Obs. 157. p. 323. In puella IV. annorum, quæ ex cunis præceps in pavimentum data fuerat, hydrocephalum ortum, & post obitum, inciso tumore, calvaria fracta inventa fuit. Vid. IDO VVOLFII Obs. XIV. p. 47. Tumorem etiam, qui hydrocephalum mentitur, excitare pueris solent sceleti mendiculi. Vide HILDANUM Cent. III. Obs. XVIII. p. 199.

§. 750.

Hydrocephali externi, & a cauſis, quæ extrinſecus accidere ſolent, orti, inter initia non difficillima curatio eſt. Si vero morbus inveteravit, & cum malo corporis habitu eſt, id nullam curationem recipit. Nec hydrocephalum internum medicinam admittit.

§. 751.

Curatio a Medicis potiſſimum requirenda eſt. Ubi vero res patitur, feſtinanter ſubveniendum erit. Infantibus dari poteſt oxymel ſquilliticum, quod profuturum eſt, ſi vomitu multa pituita rejicitur. Purgationis cauſa datur radix jalappæ, quæ commode pulticulæ adjicitur, vel reſina jalappæ cum amygdalis contrita, nec non ſyrupus de ſpina cervina, de ſcorzonera cum rhabarbaro, quibus crebrius non ita multis interpoſitis diebus utendum eſt. Mediis autem diebus cibo adjici poteſt radix ireos florentinæ. Omnia etiam urinam moventia, quia humores vitiatos extenuant, utilia ſunt. Igitur dari poteſt aqua petroſelini, fragorum, ut & ſuccus millepedarum ſylveſtrium, qui cum vino diluitur.

§. 752.

Moderandum vero inter hæc eſt, ut vires conſerventur. Cibum dare oportet ſine pinguibus, glutinoſis, inflantibus & aceſcentibus. Optima ſunt jura carnium cum pane ſicco candido, & cereviſia, quæ multum lupuli habet. Potioni etiam idoneum eſt decoctum ligni ſancti. Sitis vero ante reliqua neceſſaria eſt.

§. 753.

Ubi autem tumor minui cœpit, quotidie aliquoties utendum eſt fricatione cum linteis calidis ſuffitiſque. Poſſunt etiam radix ireos, florentinæ, bryoniæ, herba abſinthii, rutæ, majoranæ, ſerpilli, pulegii, roris marini ex vino rubro auſtero coqui & panni ex decocto expreſſi capiti ſuperhaberi. Sub finem his adjici poſſunt alia, quæ reprimunt, & inter hæc radix tormentillæ, biſtortæ, herba alchimillæ, millefolii. Multi hæc ex lixivio ſulphuris coquunt, quod vero vix ita tutum eſſe videtur. Cutim etiam flacceſcentem optime adſtringit & calvariæ oſſa adducit illa faſcia, quæ, in duos fines glomerata, caput arctius comprehendit, *la Capeline*.

§. 754.

Quod ſi tumor his non diſcutitur, adhibenda etiam eſt ſcalpelli opera. Occipitium conciditur, vel ferro candente aduritur.

Magis fere opportunum eſt, per perforatam cutim, ne illa nimis celeriter coëat, linum multiplex, & ita tortum, ut unitas ſit, trajicere, & bis per diem ducere, quo per plagam & aqua effluat & pus moveatur. Videndum vero, ne gangræna ulcus occupet, & ne ea cum periculo ſerpat.

HYDROPHTHALMIA.

§. 755.

Hydrophthalmia oritur, ſi in oculo venulæ limpidum humorem abſorbentes obturatæ ſunt. Oculus intumeſcit, cum aliquo etiam dolore, adeo, ut is palpebris operiri nequeat. Id vero ex variis cauſis fieri poteſt, plerumque vero ex graviori ictu, & ſi medicamenta reprimentia diu ſuperhabita fuerunt. Perforandus eſt oculus acu, ſcalpello ancipiti, vel alio ferramento, quod fiſtulam habet ei ſimilem, per quam hydropicis aqua ex ventre emittitur (*Troiſquarts*). Illud vero ferramentum, quod ſcleroticam vueamque tranſire debet, ei loco admovendum demittendumque eſt, per quem acus trajicitur, ſi ea ſuffuſio curatur. Eſt vero is inter corneam & angulum tempori propiorem fere medius, corneæ tamen paulo propinquior & aliquantum inferior. Aqua educitur, &, ubi oculus deſedit, inter palpebras demitti poteſt veſicæ fruſtulum cum quodam unguento (323.), cui axungiam viperarum adjicere licet. Exterius autem oportet oculum paulo valentius comprimere, vel impoſitis pluribus pannis & faſcia, vel ferramento, quod alias propoſui Fig. XIII. (589.) Neceſſe vero eſt, etiam percurato vulnere, oculum diu ſic deligatum contineri, ne tumor revertatur. Cum his dari debent medicamenta urinam moventia, præcipue ſuccus millepedarum ſylveſtrium cum meraciori vino, nec non potiones & juſcula viperarum.

PARACENTESIS.

§. 756.

Quibus venter ex aqua intenditur, his ea nonnumquam inter peritonæum atque abdominis muſculos hæret. Hoc genus plus doloris habet, non vero ita malus corporis habitus eſt, ac in aſcite. Feminis ſæpe intumeſcunt ovaria, cui vitio aſcites ſu-

pervenire ſolet *a*. Crebrius autem multa aqua in ventre contrahitur, cui hydropis generi nomen aſcites eſt. Huic quandoque mederi licet, ſi aqua emittitur. Non vero omnes in hoc morbo ſic curari poſſunt, ſed robuſti, qui febre ex toto carent. Nam, quibus jecur & alia viſcera affecta ſunt, & malus corporis habitus corruptuſque ſtomachus eſt, illi idonei huic curationi non ſunt, quæ ſæpe mortem maturare conſuevit. Id quod præcipue accidit, ſi ulcus qua parte eſt, quod, accidente per factam plagam aëre, exaſperatur. Nonnumquam tamen, ſi tumor adeo increvit, ut periculum ſit, ne, cohibito omni diaphragmatis motu, æger ex toto ſtranguletur, ea aliquod levamen miſero afferre poteſt. Neque enim in robuſtis aſcites hac chirurgia ſola evincitur: nam emiſſus humor non morbum tollit, ſed medicinæ locum facit, quam is, intus incluſus, impedit.

a Vide Diſſ. JUSTI THEODORI SCHORKOPFF de Hydrope Ovarii muliebris, *Baſ. MDCLXXXV.* ADAMI BRENDELII de Hydrope ovariorum muliebrium, *Viteb. MDCCI.* JOH. HULDRICI PEYERI de Ovario hydropico in Cadavere Virgineo reperto, *Baſil. MDCCXIX.* POLYCARPI GOTTLIEB SCHACHERI de Virgine aſcitica poſt paracenteſin purpura maligna extincta, *Lipſiæ, MDCCXXV.* & NICOLAI VVILLII de ſtupendo abdominis tumore, *Baſil. MDCCXXXI.*

§. 757.

Hanc vero chirurgiam antecedere exercitatio debet. Imbecillis ambulatio, geſtatio, clara lectio, pro exercitatione eſt. Omitti autem curatio debet, ſi homo crebrius tuſſit. Metus enim eſt, ne, aqua emiſſa, ſub tuſſi ſpiritus deficiat. Curatio ita ordinatur: æger ſupinus in lectulo cubat, ita, ut in illud latus quod perforandum eſt, inclinatus ſit. Ferramentum, quod in ventrem demittitur, fiſtulam habet argenteam, ex qua illud, quod acutum eſt, educitur; hæc autem relinquitur, ut per eam humor effundatur. Præferri debet ferramentum, quod non nimis tenue, ſed paulo plenius eſt. Perforari autem ſolet locus, qui medius eſt inter umbilicum & ſpinam ſupremam oſſis ilei. Violari enim haud debent muſculus rectus, cui ſubjecta arteria epigaſtrica eſt, & qui valida nervoſaque aponeuroſi continetur, nec etiam linea alba, nec ille tendo, qui inter obliquos rectoſque conſpicitur. Cura etiam habenda, ne ferramento qua vena incidatur, quæ plerumque obſcuro ſanguine refertæ ſatis conſpicuæ ſunt. Ferramentum, dum illud cuti admovetur, paululum ſuperiora

verſus inclinari debet, dum vero illud trajicitur, illud leniter verti & ita deduci debet, ut inferiori parti magis inſidat.

§. 758.

Multi curationem dividunt & non omnem humorem effundunt, ſed fiſtulam in vulnere relinquunt, quam demiſſo linteolo claudunt. Docuit enim experientia, eos, quibus omnis aqua effunditur, præcipue, ſi ejus major vis eſt, nonnumquam ſub ipſo opere animæ defectione mori. Hoc vero avertitur, ſi, dum aqua effluit, venter faſcia adſtringitur. Deficit enim æger, quia ſpiritum trahere non poteſt, cum effuſo humore abdominis muſculi multum laxati viſcera premere non poſſint & diaphragmatis motum juvare. Arteriæ etiam & venæ majores, quæ per abdomen deſcendunt, aquis valentius preſſæ, etiam dilatantur, quibus omnibus impeditur reſpiratio humorumque circuitus. Nullus vero metus eſt, ſi corpus circumdato vinculo conſtringitur *a*. Si vero tamen ægri imbecillitas prohibet, quo minus omnis aqua evocari poſſit, protinus etiam fiſtula recipienda & ſuper vulnus linamenta ex aqua vulneraria expreſſa deliganda ſunt. Poſtero vero die iterum ferramentum per alium locum cum fiſtula demitti, &, ſi quid humoris ſupereſt, evocari poteſt. Nihil enim magis peſtiferum eſt, quam, ſi per fiſtulam ad interiora perlabitur aër, qui viſceribus novus eſt & noxius. Faſcia etiam diu poſt curationem utendum, & ſimul adhibenda frictio eſt, cum linteis ſuffitis. Quod curationis reliquum eſt, a medicis docetur.

a Vid. JO: HENR. SCHULZE Diſſ. de Mechaniſmo muſculorum abdominalium, Halæ, MDCCXXXVI. §. 24. p. 20.

b Peculiare ligamen deſcripſit & figura expreſſit ALEXANDER MONROO *in the Medical Eſſays Vol.* I. p. 214.

TUMORES, QUI TUNICA SUA INCLUDUNTUR.

§. 759.

In capite, palpebris, & qualibet fere ſede corporis, oriuntur tubercula & tumores, qui a parvulo incipiunt & diu paulatimque creſcunt. Fere ſine dolore ſunt ſuaque tunica includuntur. Sedem habent in tunica adipoſa & celluloſa: quare non rarum eſt, illos etiam in interioribus ſedibus ac viſceribus oriri.

§. 760.

Habent differentias, ſed mediocres: quare variis vocabulis

diſcernuntur, non tamen diverſo genere curantur. Tumorem enim mollem ac cedentem, in quo humor liquidior, ceræ ac melli ſimilis, eſt, & qui preſſu circumfluit, μελικηρὶν nominant. Si tumori duro ac renitenti humor ſubeſt, magis concretus & pulticulæ ſimilis, immo aliquando durior, ἀθέρωμα vocatur. Στεαλώματα vero dicuntur, quibus pingue quiddam ſubeſt, ita, ut cutis etiam ſuper eam materiam labare videatur.

§. 761.

Quandoque etiam in his tumoribus alia eſſe conſueverunt. Reperiuntur in iis veſicæ humore liquidiori, qui igne cogitur, plenæ, quas ὑδατίδας nominare ſolent. Interdum in velamento vera pinguedo eſt. Nonnumquam idem tumor pulticulæ ſimilem ac concretum humorem & pinguem continet, ſeu ex duplici genere, atheromate & ſteatomate, compoſitus eſt *a*. Inventa etiam fuerunt quandoque quædam aliena, conferti pili, lapilli, crines, oſſa & alia *b*.

a Inſignem hujus generis tumorem aliquando vidi in juvene ſedecim circiter annorum. Is in ſcapula ortus fuerat, quantum ego reſciſcere potui, ex tinea, quæ medicamentis extrinſecus admotis prohibita fuerat. Tumor quem ab initio varia medicatione tentaverant, cum ad pugni circiter magnitudinem increviſſet, & ſine negotio tolli potuiſſet, committitur curationi agreſtis & temerarii empirici. Hic, tumorem, quem ſine dubio pro abſceſſu habuit, emolliendum eſſe dixit, & per ſat multum tempus lardum ſuperimpoſuit. Cum vero interea tumor ad immanem magnitudinem excreviſſet, is monet, jam tempus eſſe tumorem aperiendi. Ergo in inferiorem tumoris partem demittit cultrum majorem, quo educto, magna ſanguinis profuſio orta eſt, quæ etiam ipſum illum nebulonem perterruit. Sanguis tandem conquievit, & ego accerſor. Invenio hominem ſanguinis profuſione infirmatum & tumorem immanis magnitudinis, qui non ſolum ſcapulam, ſed totum fere tergum occupabat. Non difficile erat prædicere, omnem curationem ſupervacuam futuram eſſe, & miſerum hominem, cum is ab initio perperam curatus fuerit, jam ſervari non poſſe. Aliorum curæ traditus poſt aliquod tempus exinanito corpore obiit. Cum vero locus, quem is incoluerat, aliquot millia paſſuum a noſtra urbe abeſſet, miſſus mihi tumor fuit a corpore reſectus. Quamquam ex hoc omnis fere humor expreſſus erat, ille nihilominus pondus habuit undecim librarum. Inferius humor concretus erat verumque atheroma; ſupra hanc vero materiam, & ſub cute, erat alia, ad craſſitiem quatuor circiter digitorum, ſevo duriori ſimillima.

b Vide inter alia RUYSCHIUM de Atheromate ventriculi, Adverſ. Anat. Decad. III. p. 1. & POLYCARPI GOTTLIEB SCHACHERI Programma de atheromate pilis referto in ovario, Anno MDCCXXXV.

§. 762.

Enaſcuntur hi tumores, ſi receptacula, lymphæ aliiſque ſuccis accommodata, intumeſcunt. Hoc vero accidit, ſi humor ex varia occaſione in iis cogitur ac coacervatur, qui ideo venis

non poteſt reſorberi. A vero propius eſt, atheromatis & hydatidis ſedem eſſe potiſſimum in venis lymphaticis, quas valvulis ſuis diſtinctas eſſe novimus, nec non in glandulis, quæ ſub cute ſunt, & quas, ubi corpus frigore inhorret, oculis diſtinguere licet. Meliceris eſſe videtur in glandulis, quas Anatomici ſebaceas nominant. Steatomate autem adipis cellulæ occupantur. Nemo vero ignorat, cellularum oleo plenarum contextum in omnibus fere viſceribus ac ſedibus corporis eſſe, in quibus etiam hoc tumorum genus oriri quandoque ſolet. Venæ enim lymphaticæ & receptacula, glandularumque tunicæ, ſi ab humore intus contento premuntur ac diſtenduntur, formant illud velamentum, quo concretus humor includitur. Et, quia compreſſas venas ſanguis non permanare poteſt, illa materia indies augetur, & tunica, ſeu velamentum, craſſeſcit, & ipſæ venæ quæ per interiora tumoris diſcurrunt, non parum ampliantur. Arteriæ autem, quæ ſanguinem adferunt, quod in confiniis comprimuntur, plerumque exiles ſunt.

§. 763.

Non difficile eſt hos tumores ab alio tumorum genere, aneuryſmate, abſceſſu, ſcirrho & œdemate, diſtinguere. Nec enim dolor calorque, nec arteriarum ictus, vel pulſus, in his percipiuntur. Nonnumquam tamen etiam ad ſuppurationem ſpectant, &, rupta cute, humor qui intus coiverat, effluit. Niſi vero illa tunica a cute & ſubjecta carne ſeparetur & tota ejiciatur, id quod, vel manu, vel medicamentis, fieri poteſt, ulcus haud ſaneſcit, ſed, putri carne excreſcente, oritur ſarcoma, ſeu fungus, totumque ulcus inæquale fit, & in verum carcinoma vertitur.

§. 764.

Steatoma interdum quaſi loculamenta habet, in quibus, ſi id, vel per ſe, vel ſcalpello, apertum eſt, humor, accedente aëre putreſcit, & tunicas exeſt. Quare non raro tumor intus & in medio cavus fit, ſub cute vero & circum circa multum increſcit.

§. 765.

Oriri ſolent hi tumores, ſi vitales corporis ſucci vitiati ſunt. Quare ſæpe naſcuntur, ſi ſcabies, tinea, varia exulcerationum genera, reprimentibus fuere prohibita. Interdum autem oriri videntur, ſi illa receptacula violantur, comprimuntur, illatoque ictu læduntur. Etiam ex iiſdem occaſionibus, ex quibus

ſcirrhos fieri ſupra relatum eſt (256. 257.) quandoque hi tumores fiunt.

§. 766.

Tumor, qui recens eſt, nec durus, nec magnus, quandoque reſolvitur. Superhaberi debet emplaſtrum, diachylon ſimplex, diachylon compoſitum, emplaſtro diaphoretico mixtum, nec non galbanum, quod, aceto ſolutum, ſuper cutem injicitur, & ei ſuperdatur tegula, vel pannus calidus. Sunt, qui vaporem ex aceto, urina & ſale ammoniaco extollunt. Cataplaſmata, cum fibras multum laxare ſoleant, heic aliena ſunt. Numquam enim, neque his, neque aliis medicamentis efficiendum eſt, ut per ſe tumor aperiatur. Nam, quia illud velamentum non abſcedit, metus ſubeſt, ne ex hac vitiata caro increſcat & ſarcoma oriatur (762.)

§. 767.

Si tamen tumor quacumque ratione apertus eſt, & humor effuſus fuit, protinus etiam ejicienda illa tunica eſt. Optimum eſt, illam a cute & ſubjecta carne ſcalpello ſeparari. Hoc vero cum ſæpe difficile ſit, utendum eſt medicamentis, quibus velamentum illud eroditur. Validioribus vero opus eſt. Si enim non alia, quam pus moventia, intus in folliculum injiciuntur, timor eſt, ne hebes putriſque caro increſcat (762.) Si aliquid ex tunica relinquitur, vel idem accidit, vel, ſi ulcus ſaneſcit, tumor brevi tempore revertitur. Inter medicamenta vero præ ceteris idoneus eſt lapis infernalis, nec non ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva. Hæc velamento illi admoveri debent, admotis ſubinde etiam aliis digerentibus. Ubi conſumptum omne alienum eſt, vulnus glutinatur. Si tunica durior eſt, expedit, illam prius ſcalpello concidere, & pòſt ſuperdare medicamenta. Spiritus ſalis ammoniaci admovetur vel penicillo, vel ſpecillo, quod lana involutum in eum demittitur.

§. 768.

Expeditiſſimum vero eſt, hos tumores exſcindere. Plaga recta fit in cute, ita, ut velamentum, quo illa materia comprehenditur, haud violetur. Si tumor major eſt, plaga duabus tranſverſis lineis, quæ literæ X figuram accipiunt, incidi debet. Jam vero tumor, ſcalpelli manubrio, vel digitis, deducendus eſt a cute & integris partibus, & ſic totus excutiendus. Ubi tamen nimium adhæret, ſcalpellum admoveri poteſt; ſemper vero vi-

dendum, ne aliquid ex tunica relinquatur, & ne, velamento inciſo, concretus humor effluat. Si cutis jam affecta eſt & occalluit, illam etiam, ſi res poſtulat, latius præcidere oportet. Vulnus vero prius implendum, pòſt glutinandum eſſe, apparere cuilibet ex prioribus poteſt.

§. 769.

Raro ſanguis cum periculo fluit, ſi tumor ita vellendo excutitur, cum arteriæ, quæ tumori alimentum ſubminiſtrant, ab hujus mole comprimantur arctenturque. Venæ autem plerumque majores eſſe ſolent. Si vero majores arteriæ atque venæ tumori ſubjectæ, vel glandulæ, prope ſunt, & illæ jam intumuerunt, ſi ægrum, vel febris, vel tabes, male habet, & ſi fluens alvus eum exercet, hæc chirurgia, & præcipue ſcalpellum, ſine pernicie adhiberi nequit.

§. 770.

Ubi autem jam hebes putriſque caro cutim ſupercrevit eaque cum exulceratione mucoſa atque cum fœtore inæqualiter tumet, fungum appellare conſueverunt, cujus facilis tranſitus in carcinoma eſt. Hoc vitium difficilem curationem habet. Plerumque enim, ſi etiam ſcalpello exciditur, poſt inductam cicatricem tamen revertit, & non raro cauſam mortis adfert. Si tamen ſpes eſt, illum excindi ſine periculo poſſe, incidenda circum circa in orbem cutis eſt, & tumor vellendo ſubſecandoque tollendus. Plerumque tamen is altiores quaſi radices egit, & valentius inhæret, vel tendini, vel alii nervoſæ parti. Et hanc, altius etiam demiſſo ſcalpello, atque plaga majori tranſverſa, incidi, tendines etiam præcidi, neceſſarium eſt. Niſi enim hoc fiat, tumorem reverti experientia docuit.

XAΛAZION.

§. 771.

Non rarum eſt, tumores his non abſimiles in palpebris naſci, qui, ſi major iis durities eſt, χαλάζια vocantur. Nec alia ratione illi exciduntur, ea tamen adhibita differentia, ut, ſi ſub cute ſunt, ab exteriore; ſi ſub interiori palpebræ membrana, ab interiori parte id fiat. Videndum, ne tranſverſim incidatur ille muſculus, quo ſuperior palpebra attollitur: (581.)

quare hæc plagam rectam, a ſumma orbitæ parte cartilaginem verſus deſcendentem, deſiderat. Si accidit, ut aliquid ex tunica relictum fuerit, admoveri debent adurentia; (766.) ubi tamen multa diligentia adhibenda eſt, ne acrioribus oculus offendatur, quem prius lenibus medicamentis inungere oportet.

ΠΛΑΔΑΡΟΤΗΣ.

§. 772.

Πλαδαρότης vocatur tumor mollis, fungo ſimilis, qui in palpebra interiori naſcitur *a*. Is forfice præciditur, ſedes ſcalpello conciditur, & in oculum demittitur unguentum de tutia cum fruſtulo veſicæ tenerioris.

a In Introductione, quæ vulgo tribuitur GALENO Cap. XVI. T. II. p. 390.

GANGLION.

§. 773.

Non adeo abſimilis eſt alius tumor durus & renitens, qui etiam ſine inflammatione ac dolore eſt, & præcipue muſculorum tendinibus inſidet, quem γάγγλιον nominare ſolent. In tumore, qui recens eſt, humor eſſe ſolet ex coacta lympha albidus, immo pellucidus, ovi albo fere ſimilis. Si vero ganglion malis medicamentis affectum adeo increvit, ut id rumpatur, humor, qui etiam quaſi loculamentis continetur, accedente aëre corrumpitur & in acrem fœtidamque ſaniem, minime autem in pus, convertitur.

§. 774.

Sedes eſt in tendinibus, præcipue in tendine muſculi ſublimis, ſ. perforati, digitorum, aliquando etiam in tendine extenſoris communis. Oriri videtur, ſi humor, qui, axungiæ inſtar, tendines horumque vaginas lubricat, ſuper tendines, vel etiam inter hunc atque ejus vaginam concreſcit. Id vero incidere ſolet, ſi muſculi validiori actione & nixu multum adducuntur, vel nimium intenduntur *b*, & illa humorum pellucidorum receptacula rumpuntur.

b Haud ita pridem ganglion inſolitæ magnitudinis vidi, quod, cum curationem recipere non poſſet, bonum honeſtumque virum interemit. Is ante

plures annos, cum ex rheda deſiliret, ea ſede, qua magnus & vulgo dictus Achilleus tendo eſt, ſentit acutum dolorem, qui tamen brevi ſe iterum remiſit. Poſt unum alterumve annum tumor enaſcitur ſub eo tendine inter hunc & duo cruris oſſa. Tumor enim, quem medium tendo comprimebat, utrimque quaſi extuberare cœpit, qui vero ab initio greſſum haud prohibuit. Eo tempore is mihi tumorem oſtendit, ubi ego, prævidens, eum adeo increviſſe, ut medicamentis diſcuti haud poſſit, ſcalpellum vero his reconditis & nervoſis locis ſine periculo vix adhiberi poſſet, prohibui eum attingere. Interea cum eximius noſtræ ætatis chirurgus opportune noſtram urbem adveniret, & is in conſilium vocatus fuit, qui vero ſcalpellum admovere auſus non eſt. Et igitur eo jam tempore nobis non difficile erat proſpicere, aliquando neceſſarium futurum eſſe, ut crus præcideretur. Æger moræ impatiens varii generis emplaſtra aliaque medicamenta impoſuit. Adiit etiam exteros & magni nominis viros, quorum nonnullis, ut mihi poſtea retulit, viſum fuit, materiam concretam digerendam & ad maturitatem perducendam eſſe, id quod mox ab initio ego diſſuaſeram. Tandem, ut fieri ſolet, bonus vir ad omnis generis remedia decurrit, quorum non pauca etiam rudes & ignorantiſſimi empirici, inconſideratiſſimæ temeritatis pleni, ſubminiſtrarunt. His vero omnibus tumor concitatus, adeo increvit, ut is non minor eſſet hominis capite. Tandem extenuata cutis madeſcere, & æger febrem habere cœpit, quæ eum fere ſemper tenuit. Cum hoc denique tempore iterum ad eum, amicorum rogatu accerſituque, veniſſem, deprehendi, illud præſidium, quod mihi ſemper unicum viſum fuerat, membri nimirum amputationem, jam etiam magno cum periculo eſſe, cum corpus jam tenuatum, immo malis ſuccis ac febricula vitiatum eſſet. Illud tamen, ut unicum, quamvis anceps, propoſui. Æger vero numquam ad hæc extrema deſcendere voluit. Rupta in variis locis cute, per quatuor fere menſes incredibilis vis humoris acrioris & fœtidioris effluxit. Tumor, liquatis & putreſcentibus iis, quæ intus erant, cavus factus eſt, ambitus vero ejus multum adauctus, ut parum abeſſet, quin etiam is anteriora tibiæ contegeret. Febre interea aucta ſummaque macie orta, homo tandem, diutinis malis fatigatus, extinctus fuit. Ganglion fuiſſe nullus dubito, cujus vero & magnitudo & ſedes mihi inſolitæ viſæ ſunt.

§. 775.

Ganglion, ſi nec multum increvit, nec valde induruit, quandoque ſine alio auxilio iterum diſcutitur, maxime, ſi id, vel digito valentius premitur, vel pugno, lignove, percutitur, & illa, qua comprehenditur, tunica rumpitur. Quo facto, oportet & locum multum fricare, & ei laminam plumbeam imponere, hancque valentius adſtringere. Experiri etiam licet medicamenta, quæ multi extollunt. Emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti c. diachylo compoſito, oleum lumbricorum terreſtrium, ſcorpionum. Tentanda hæc ſunt; aſt vero etiam videndum, ne iis tumor, dum molleſcit, multum augeatur.

§. 776.

Quod vero ſic diſcuti haud poteſt, etiam oportet exſcindi. Et in hoc genere velamentum inviolatum ſervandum eſt, & eji-

ciendum cum eo, quod intus tenet. Si quando tamen illud ab inferiore parte tendini inhæſit, magna diligentia adhibenda, ne is ſcalpello lædatur, quæ res magnum dolorem atque inflammationem movere poteſt.

POLYPUS NARIUM.

§. 777.

Interdum in ea membrana, qua intus nares veſtitæ ſunt, & cui nomen a pituita eſt quæ in ea ſecernitur, naſcuntur caruncułæ, quæ majores tandem tumores fiunt, & polypi dicuntur. Hi tumores, qui plerumque imis narium partibus inhærent, modo ad labra tendunt, narem implent & magnam deformitatem adferunt, modo retro feruntur per illa foramina, quibus ſpiritus a naribus ad fauces deſcendit, ubi increſcunt adeo, ut poſt uvam conſpici poſſint & hominem tandem ſtrangulare. Niſi aliud vitium acceſſit, ii fere ſine dolore ſunt.

§. 778.

Inter eos tamen diſcrimen eſt. Interdum enim tumor latiſſima radice naſcitur & fit rotundus, muliebri mammæ ſimilis, quod genus nonnulli a polypo diſtinguunt & ſarcoma vocant *a*. Polypus enim ab initio caruncula eſt infra ad membranam cui inhæret, tenuis; ſupra, latior; quæ, ubi increſcit, plures quaſi pediculos, ſive radices membranæ inhærentes, format, a quibus nomen traxit.

a Vide GLANDORPIUM de Polypo Cap. III. VILARS T. II. Art. VIII. p. 334.

§. 779.

Differunt etiam colore. Polypus enim modo albus eſt, modo ſubruber. Interdum tumor, præcipue, ſi is a reſoluta laxataque membrana ortum habet, multum increſcit, alio tempore iterum minuitur. Prius illo tempore accidere ſolet, quo copioſior mucus ad hanc membranam fertur.

§. 780.

Ex variis occaſionibus hi tumores naſcuntur. Si multus humor in nares deſtillat & per illam membranam (776.) copioſior pituita profluit, hæc laxatur, intumeſcit, & oritur primum illud tumoris genus, quod fere rotundum eſt. Accidere etiam

poteſt, ut in ea tunica, quæ plures glandulas habet, ſcirrhus fiat, ad quem pituita, quæ calore ſpiſſatur, opportuna eſt. Contingit hoc, ſi forte nimia ſanguinis profuſio per nares, admotis reprimentibus, nec non adurentibus, vitriolo & ſimilibus, repente fuit cohibita, & his nimis valenter materia retenta. Nonnumquam ex alio, præcipue ex venereo, morbo teneriora narium oſſa ac cartilagines vitiantur, & mala ulcera fiunt, atque ozæna, quibus hebes putriſque caro increſcit.

§. 781.

Polypus, qui, tenuibus radiculis inhærens, mollis & ſine dolore eſt, cui nullum aliud vitium ſubeſt, in homine ceteroquin ſano tollitur. Qui vero ſcaber eſt & durus, & dolet, is fere καρκινώδης eſſe ſolet, & attingi non debet. Si ex polypo, vel medicamentis, vel ſcalpello, curato, radicula relicta eſt, is renaſcitur. Si is ferramentis reſolvitur, ſanguis periculoſius quandoque erumpit, cujus profuſio hominem interimere poteſt.

§. 782.

Si tumor rotundus eſt & a relaxata tunica ortus, adhuc mollis, nec ita magnus; expeditiſſimum eſt, illum ſcalpello incidere. Dum enim vulnus curatur, membrana illa cicatrice contrahitur *a*.

a Vid. PALFIN *Anat. Chir. P. I. p.* 406.

§. 783.

Medicamentis adurentibus non niſi illud genus curari poteſt, quod molle eſt. Nam id, quod durum eſt, illorum uſu carcinodes fieri conſuevit. Admoveri poſſunt, temperata tamen manu, & demiſſo per fiſtulam medicamento, lapis infernalis, butyrum antimonii, aliaque adurentia. Ea enim diligentia adhibenda eſt, ne medicamentum os, vel cartilaginem rodat, in quibus difficilis curatio eſſe ſolet.

§. 784.

Sunt, qui circa polypum nares emplaſtro contegunt, & radiculæ ſupremæ, mediante penicillo, admovent adurens medicamentum, quod, ſi hoc radiculam perrodit, etiam tumor inareſcit. Ne illud medicamentum diffundatur, protinus calida eluenda naris eſt.

§. 785.

Ubi vero ferramentis utendum, homo in adverſo ſedili collocandus eſt, loco lucido. Caput, quod in poſteriora reclinandum

eſt, ab ea parte miniſter continet. Chirurgus ferramento, vel volſella, ad id idonea, per nares demiſſa, apprehendit tumorem a ſuperiore parte, &, ubi eum ſatis tenet, paulatim deducit, trahitque, ac permutatis digitorum vicibus, illum contorquet, ita, ut nulla propter feſtinationem vis adhibeatur, tandemque illum evellit. Si metus eſt, ne ſanguis cum periculo erumpat, dividenda hæc curatio eſt, & tumor indies magis ac magis attrahendus. Si polypus poſt uvam hæret, volſella, qua is apprehenditur, eſſe debet oblonga, & quæ extremum incurvatum habet. Hæc enim per os demittitur. Sunt, qui, ut melius apprehendere poſſint polypum, prius incidunt velum palati, quæ res vero facit, ut homo non recte deglutire poſſit. Ad id idoneum eſt ſcalpellum anceps linamentis involutum.

§. 786.

Sanguis, niſi cum periculo fluat, non tam celeriter ſiſtendus eſt. Si vero metus eſt, ne homo vehementiori profluvio exhauriatur, cereus tenujor trajicitur per fauces in nares, qui linum trahit. Linum vero habet linamenta, ſeu pulvillos teretes contortos, aliquantum inter ſe diſtantes, eique innexos. Cereus prehenditur & adducitur filum, atque imis naribus adprimitur pulvillus prior, qui ex linamentis ſiccis puris eſſe ſolet. Si vero ſanguis nondum conquieſcit, alter pulvillus exprimi debet ex liquore ad ſanguinem ſupprimendum idoneo, qualis eſt alcohol, ut adducto magis lino, & priori etiam pulvillo, hic oris venarum ſanguinem fundentium admoveatur. In nares etiam linamenta ſicca, vel ſimili medicamento madentia, conjici poſſunt. Sunt, qui oras venarum ferro candente per fiſtulam demiſſo adurere jubent, id quod & difficile & minus tutum videtur. Ubi ſanguis conquievit, ulcus curandum eſt medicamentis, quæ locis nervoſis idonea ſunt. Optima eſt aqua vulneraria, cui parum eſſentiæ ſuccini adjectum fuit.

§. 787.

Interdum non omnis tumor tolli poteſt, ſed, illo præciſo, ejus radix relinquenda eſt. Huic admovenda ſunt medicamenta, quæ eam leniter exedunt, additis aliis, quæ digerunt. Hæc medicamenta illinuntur lino, quod multiplex & ita tortum eſt, ut unitas in eo facta ſit. Linum hoc etiam per nares trajicitur & in ore relinquitur. Quotidie vero debet illud ſic immutari, ut

ſubeat pars, quæ medicamento illita eſt. In hac medendi ratione, quæ ardua, & tædii ac moleſtiarum plena eſt, tamdiu perſeverandum, donec nihil ex tumore reliquum ſit *a*.

a Vid. LE DRAN Obſ. VI. VII.

§. 788.

Si digitus, ferramenta, nec non medicamenta, per os demittuntur, videndum eſt, ne poſterior linguæ pars prematur irriteturque. Sic enim vomitum cieri, nemo ignorat.

HERNIA.

§. 789.

Herniæ nomen, quod olim in obſcenis fuiſſe videtur *b*, hac noſtra vero ætate honeſte dicitur, commune eſt variis tumoribus, qui in abdomine fiunt, & qui ceteroquin, & ſede, & natura, & ortu, non parum inter ſe diſcrepant.

b CELSUS Lib. VII. Cap. XVIII.

§. 790.

Duæ arteriæ unaque vena, quæ ex fœtu ortæ ad ſecundas pertinent, in hoc, quamdiu is ſucco materno alitur, ſanguinem recipiunt, in adultis vero in ligamenta degenerant. Hæ arteriæ venaque conteguntur peritonæo, quod ibi plicatum eſt. Hæc vero ligamenta, quibus adhuc aliud ex uracho, e veſica educto, accedit, ad umbilicum inter ſe junguntur, & velantur comprehenduntur que tunica, quam ſibi a peritonæo adſciſcunt. Cum hac trajiciuntur per circulum nervoſum vel tendineum, qui in linea alba, communique abdominis muſculorum tendine eſt. Ab hoc enim circulo umbilicus oritur, qui in fœtu ad ſecundas fertur, poſt partum autem præciditur. In hac ſede, ſi ille circulus, quem ex tendine eſſe dixi, ex varia cauſa ſe remittit & laxatur, viſcera abdominis peritonæum premunt, quod etiam, quia id ſolum inteſtina non ſatis continere poteſt, gravatur, diducitur & ab irrumpentibus, tum epiploo, tum inteſtino, diſtenditur. Si vero illud intentum cutim, ipſumque umbilicum, attollit, is indecore prominet, & vitium communi nomine ἐξόμφαλος, vel ἐξόμφαλον πάθος, vel ὀμφαλοκήλη dicitur. Si tumor ſolum omentum continet, vocatur ἐπιπλοόμφαλος, ſi ſolum inteſtinum, ἐνλεόμφαλος, ſi vero utrumque, ἐνλεροεπιπλοόμφαλος appellari poteſt *c*.

c Vid. GALENI Defin. Tom. II. p. 274.

§. 791.

Eſt aliud herniæ genus, quod in variis abdominis ſedibus oriri poteſt, & de quo, propter raritatem, inter auctores parum conſtat, qui id quod non cognoverant, prætermiſerunt. Vocant herniam ventralem, quæ oritur in iis locis, ubi in muſculis tranſverſis abdominis fibræ inter ſe diductæ ſunt. Si in hæc loca, quibus adeps innaſcitur, preſſum ex variis occaſionibus peritonæum irrumpit, illudque etiam diſtenditur, viam quoque reperiunt, & omentum, & inteſtinum. Accidere etiam poteſt, ut hoc vitium ex vulnere abdominis, muſculos ad peritonæum uſque penetrante, enaſcatur, utque hæc membrana, quia muſculis haud tegitur, ab iis, quæ intus ſunt, diducatur. Atque aliter quoque id fieri ſolet, ubi patentiori plaga cum muſculis etiam peritonæum diſciſſum, &, curato vulnere, cicatrix minus confirmata relicta fuit, quæ ab intus prementibus diſtendi & diduci poteſt.

§. 792.

In utroque inguine ſuper os, quod ſub pube tranſverſum, pectinem vocant, deſcendunt in viris vaſa ſpermatica, quæ contextu celluloſo comprehenduntur, quem ſibi ab eo, qui ſub peritonæo eſt, adſciſcunt. Hunc, qui in alterum teſtis velamentum, ſeu tunicam vaginalem, vertitur, vulgo proceſſum peritonæi appellant, quem tamen a vero peritonæo diſtinctum eſſe, ex his intelligitur. In feminis ad naturalium oras per eamdem viam deſcendunt etiam minores arteriæ atque venæ, quæ ſimili contextu celluloſo veſtitæ, & alieno nomine ligamenta uteri rotunda vocantur. Hæc vaſa, quæ in utroque ſexu in abdomine ſub vero peritonæo ſunt, quo omnes partes, generationi inſervientes, conteguntur, ſub illa membrana ad foramen oblongum arcuatum feruntur, quod in eo tendine eſt, quem habet muſculus obliquus externus, accedente etiam tendine obliqui interni. Nam ab hoc ultimo, & quandoque etiam a carnibus muſculi tranſverſi, in viris, incipit ille muſculus cavus, cremaſter dictus, qui tertium teſtis velamentum, vel tunicam erythroideam, conſtituit. Foramen vero illud, quod annulum vocant, arcum repræſentat, cujus crura pectini & hujus mediæ atque anteriori cartilagini oblique inſiſtunt. Et hoc foramen crebrius diducitur, atque per id deſcendit diſtentum peritonæum, in quod & omen-

tum & inteſtinum ſuo pondere devolvuntur. Quamdiu tumor in inguine eſt, & quaſi bubonem mentitur, (127.) βυβωνοκήλη nomen habet. Si vero illa, quæ ſubſunt, ad inferiores etiam partes niſa, viam inveniunt, ea in viris ſcrotum paulatim diducunt, quod vitium ὀσχεοκήλη vocatur. In feminis ex eadem occaſione vaſtius tument pudendorum labra, quod tamen herniæ genus in his peculiari denominatione haud diſtinguitur. Sed vero in utroque ſexu omne genus herniæ a retento in tumore omento ἐπιπλοοκήλη, & ab inteſtino incluſo ἐνλεροκήλη vocatur. Si vero utrumque ſubeſt, illud ἐνλεροεπιπλοοκήλη haud paucis dicitur.

§. 793.

Arteriæ atque venæ, quæ iliacæ dicuntur, ex abdomine ad femora pedeſque deſcendunt & nomen habent cruralium. Ubi vero ex abdomine educuntur, illæ ab oſſe ileo ſuſtinentur, quod hac ſede cum oſſe pectinis committitur & ſinuatum eſt. Arteriæ autem atque venæ ſuper muſculos pſoas & iliacos feruntur, conteguntur que ligamento quodam, quod ab inventoribus ligamentum FALLOPII *a*, vel POUPARTII *b*, appellatur. Iſtud formatur ex aponeuroſi, vel tendine, muſculi obliqui externi, qui & oſſis ilei ſpinæ, tum ſuperiori, tum inferiori, & tuberi oſſis pectinis inhæret. Is tendo dum in interiora quaſi inflectitur, & cum obliqui interni tendine committitur, craſſeſcit & majorem etiam duritiem habet. Sub hoc igitur ligamento, vel, ut alii *c* volunt, muſculorum tendine & aponeuroſi validiori, quibus accedunt fibræ ex faſcia lata, educuntur illæ majores arteriæ atque venæ. Et hac parte, ſi hoc ſic dictum ligamentum premitur, diduciturque vel laxatur, peritonæum intenditur, & omentum ac inteſtinum deſcendunt. Herniam cruralem, vel μηροκήλην recentiores appellant.

a FALLOPIUS in Obſ. Anat. p. 91. & in Inſt. Anat. ab initio.
b Vid. H. A. R. Sc. MDCCV. p. 64.
c Negatur a MORGAGNO Adverſ. III. Animadv. I. COVVPERO in Myotomia p. 2. Tab. XIV. XV. HEISTERO in Compend. Anat. not. IV.

§. 794.

His adhuc addi poteſt rarum herniæ genus, ſi veſicæ pars per eum muſculi obliqui arcum, (791.) vel, vulgo ſic dictum, annulum, irrumpit, &, vel in inguine prominet, vel teſtis tunicas diducit & in ſcrotum deſcendit *d*.

d Vid. Comm. A. R. Sc. MDCCXIII. p. 146. RUYSCH Obſ. Anat.

Chirurg. XCVIII. Jo: SALTZMANNI Diſſ. de Veſicæ urinariæ hernia, Arg. MDCCXXXII.

§. 795.

In omnibus his herniis frequentiſſimum eſt, peritonæum diduci, atque multum extendi; rarum vero, illud rumpi. Hoc tamen aliquando fieri poteſt, præcipue, ſi illa ſedes, in qua hernia eſt, vehementer percuſſa fuit.

a Cum veteres exiſtimarent, hanc tunicam, ſeu peritonæum, frequentius in herniis ruptum eſſe, ortum Germanis vocabulum, *der Bruch*. Negant tamen plures, & inter hos RUYSCHIUS, peritonæum umquam rumpi, Adv. Dec. II. p. 9. Id vero fieri, obſervatione PETITI confirmat GARENGEOT Oper. Tom. I. C. VII. Art. IV. Obſ. XVI. p. 329. &, ut videtur, vel eadem, vel fere ſimili, hiſtoria SALTZMANNUS in Diſſ. de hernia veſicæ §. 21. p. 34. Homo, hernia laborans, percuſſus fuit a calcitrante equo, & mox rupta herniæ tunica, ſeu peritonæum, magnaque moles inteſtinorum devoluta fuit.

§. 796.

Si igitur herniæ vocabulum tumorem ſignificat, qui oritur, ſi partes quædam molles ſitum præter naturam mutant, & in varias ſedes prolabuntur, his modo commemoratis ſpeciebus proprium herniæ nomen eſt. Hoc vero vocabulum etiam abuſive & translatione facta aliis tumorum generibus accommodatum fuit, qui herniis vulgo adnumerari ſolent.

§. 797.

Umbilicus interdum intumeſcit, ſi humore diſtenditur; id quod in aſcite crebrius fieri ſolet, dum ille tendineus circulus, (789.) mole aquarum preſſus, ſe remittit. Crebrius etiam in omphalocele (789.) in dilatatum peritonæum humor contrahitur, & eo loco cum epiploo & inteſtinis reperitur. Ὑδρόμφαλον vocant hoc tumoris genus, quod plerumque cum iis vitiis eſſe, non vero facile per ſe oriri, videtur. Πνευματόμφαλον oriri poſſe, ſeu ſolum ſpiritum in intentum peritonæum irrumpere, plures dubitare videntur. *b* Crebrius umbilico carnes increſcunt, modo integræ, modo carcinomati ſimiles, quod valetudinis genus σαρκόμφαλος appellatur.

b Exemplo, non tamen ſatis luculento, probavit HEISTERUS Inſt. Chir. P. II. Sect. V. Cap. 114. §. 2. p. 784.

§. 798.

Humor contrahitur in cellulas alterius tunicæ, quæ teſtem comprehendit, & quæ vaginalis dicitur. Plerumque humor in-

ter mediam & imam tunicam, ſeu inter albugineam & vaginalem, conſiſtit, quandoque inter ſummam, quæ erythroidea dicitur, ſeu inter muſculum cremaſterem & mediam. Ubi humor increſcit & mediam tunicam perrumpit, in utraque ſede circumfluere poteſt. Incidere ſolet, ut, ſi in bubonocele, vel oſcheocele, intus compellitur omentum & inteſtinum, peritonæum vero diſtentum elongatumque & per annulum devolutum relinquitur, idque a vinctura extrinſecus admota comprimitur, etiam in hanc tunicam, vel, uti vulgo vocare ſolent, ſaccum, humor contrahatur, utque interdum tunica in ſumma parte arctetur & claudatur. Ὑδροκήλην hoc valetudinis genus appellant.

a Vid. le DRAN Obſ. LXXV. Tom. II. p. 162.

§. 799.

Etiam ipſe teſticulus indureſcit, & in eo ſcirrhus fit. Vel inter tunicas ipſis etiam arteriis veniſque, ex quibus teſticulus dependet, carnes (796.) increſcunt. Σαρκοκήλην Græci vocant.

§. 800.

Præter hæc vitia, integris etiam tunicis atque teſtibus, illæ modo commemoratæ arteriæ venæque, quæ ad teſticulum pertinent, intumeſcunt, quæ quaſi intortæ ac conglomeratæ, & viſui ſubjectæ ſunt, & inæquales prementi digito renituntur, quod tumoris genus κιρσοκήλην vocant.

§. 801.

Raro hæc tumorum genera ſola ſunt, ſed ſæpe alterum alteri accedit. Inde etiam plura nomina & curantibus majores difficultates oriri ſolent.

EXOMPHALOS.

§. 802.

In hoc, ſi inteſtinum prolapſum eſt, tumor nec durus, nec mollis eſſe ſolet, qui tetento ſpiritu creſcit: ubi vero homo reſupinatus eſt, is vel ſponte deſidit, vel digito preſſus ſonat, & cum quodam quaſi murmure retro compellitur. Ubi vero omentum eſt, cetera ſimilia ſunt, tumor autem mollior, in quo ſtrepitus haud percipitur. Ubi utrumque eſt, indicia etiam mixta ſunt.

§. 803.

Frequens hoc vitium infantibus eſſe ſolet, quibus umbilicus,

poſtquam is præciſus fuit, non recte curatus, aut faſcia non ſatis adſtrictus fuit. Si etiam his umbilicus inflammatur, ad eum confluit humor, quo ille circulus laxatur. Nec parum confert puerorum, quem ſæpe ingentem edunt, vagitus. Feminis etiam hoc ex graviditate partuque incidit. In viris hoc herniæ genus rarum eſſe ſolet, in quibus tamen æque, ac in feminis, illud enaſci poteſt, ſi abdomen valentius premitur, vel concutitur.

§. 804.

Non ſine periculo eſt omphalocele. Nam, ſi inteſtinum prolapſum fuit, aliquando eo delabitur ſtercus, ex quo, ut & ſpiritu retento, illud vaſtius tumet inflammaturque. Adjiciuntur dolores, vomitus, febres, & tandem, increſcente inflammatione, ac ſuperveniente gangræna, homo, niſi minime diſtans curatio adhibeatur, præcipitatur. Rarius incidit, ut omentum, ſi id ſolum ejuſque major modus per illum circulum perrupit, & ab hoc premitur, inflammetur.

§. 805.

Si ea, quæ proruperunt, non intus compelluntur, & arctius circumdata faſcia continentur, etiam metus eſt, ne ille ſæpe commemoratus circulus & intentum peritonæum, neque hoc, & inteſtinum ac epiploon, inter ſe glutinentur. Nam hæc res in omni hernia periculum auget, cum ea, quæ ita adhærent, ſine ſcalpelli opera inter ſe diduci ac retro compelli nequeant.

§. 806.

De omni etiam herniarum genere, in quo per varias ſedes inteſtinum atque epiploon devoluta ſunt, illud tenendum, eas curari poſſe in infantibus, quorum corpora augeſcunt, ſola adhibita vinctura. In adultis vero vinctura morbum non tollit, ſed levat, &, ſi recte accommodata eſt, hominem ſine periculo eſſe ſinit.

§. 807.

Igitur, ſi exomphalus in puero eſt, is reſupinari debet, &, quod prolapſum eſt, digito premi, ut id in ventrem relabatur. Umbilico autem & ſinui, qui in eo eſt, imponitur cera, quæ fere pileolum repræſentat, ima parte, qua cuti imponitur, globoſa, ſuprema parte latior. Huic imponi poteſt emplaſtrum, ſuperfulciendi vero ſunt panni gradati. Omnia comprehenduntur faſcia, quæ abdomen circumit, & quæ paulo valentius adſtringitur. Neceſſe vero eſt, ut hæc per plures menſes ſuperhabeau-

tur, &, ubi faſciam reſolvi oportet, ea diligentia adhiberi debet, ne ea, quæ in ſuas ſedes reducta fuerunt, iterum devolvantur.

§. 808.

Adultis vero neceſſarium eſt lorum, cui pila aſſuta eſt ex ſubere, panniculis, vel coactili, facta, & aluta contecta, quæ tumori, poſtquam is, repulſis omnibus, deſedit, accommodatur. Cum hæc, quæ diutius ſuperhabentur, ſudore conſpurcari, cutis vero exulcerari ſoleant, inter pilam & cutim linteolum mundum, vel panniculus quadratus conjiciendus eſt. Faſcia, vel lorum, melius continet, ſi ei adjiciuntur duæ habenæ, quæ utrimque a ſcapulis deſcendunt, ita, ut dexterior ſiniſtra, ſiniſterior dextera procedant, & quæ ſic, tum in tergo, tum in ventre, illi loro adſuuntur. In valde obeſis quandoque neceſſarium eſt, ut alia habena a poſteriori parte per peritonæum ad ventrem detur & priori adſuatur. Magis tamen opportunum eſt, ſi, loco faſciæ, ſemicirculus ex chalybe, cui pila affixa eſt, abdomini recte & curatius aptatur, & is, mediante loro, adſtringitur.

§. 809.

Inteſtina vero & epiploon, quæ, nec intus compelluntur, nec tali vinctura continentur, inflammari nonnumquam ſolent. Hoc vero incidit poſt frigora, vel, ſi venter valde adſtrictus eſt, ſi adſumpta fuere, quæ refrigerant & inflant, & aliena ſtomacho ſunt. Hujus rei notæ ſunt: dolor, tormina, vehemens inflatio, crebrior vomitus, &, ſi nec alvus, nec ſpiritus, infra tranſmittitur. Tandem adjicitur vomitus bilioſus & mali odoris, immo ipſum ſtercus per os redditur, quod morbi genus εἴλεὸν medici vocare conſueverunt.

§. 810.

Ut vero ea, quæ prolapſa, diſtenta ac inflammata ſunt, intus cogi queant, plurimum confert, hominem recte jacere. Ei reſupino tum caput, tum coxæ a miniſtris erigendæ ſunt *a*, ilia vero ab alio utrimque comprimenda. Tumor recta digitis deorſum premitur, ita, ut priora ſemper condantur, quæ poſteriora prolapſa ſunt. Situs ſubinde mutandus & venter parumper concutiendus eſt.

a Neceſſe eſt, ut hoc ab aliis fiat, utque ægri muſculi, præcipue recti, & alii abdominis ſe ab omni actione remittant.

§. 811.

Si vero ea in ſuas ſedes reduci nequeunt, experienda medicamenta ſunt. Super tumorem dari poſſunt cataplaſmata ex pane candido, lacte & oleo. Vel ex lacte coquuntur radix althææ, malvæ, herba meliloti, flores ſambuci, verbaſci, ſemen lini, donec cataplaſmatis craſſitudo ſit, & additur oleum. Opportuna etiam eſt lana oleo madens & ſuccida *a*. Hæc omnia calida eſſe oportet. Nocere poteſt & nimius humor & frigus. Nimius tamen calor etiam offendit, & fibras ad validiorem contractionem excitat.

a Sunt, qui pellem leporis, vel lini faſciculum, ex lacte calido oleoque exprimunt & imponunt.

§. 812.

Interea venter ſuperinungi poteſt oleo, quod roſam excepit. In alvum vero infundi debent lotiones, tum mollientes, tum paulo acriores. Eas iterari oportet, quamvis venter nihil excernat, & ipſa etiam lotio intus maneat. Non raro opem fert fumus peti, ſi is ſimili ratione, vel per fiſtulam ad id accommodatam in alvum immittitur.

§. 813.

Cum his dari debet oleum amygdalarum dulcium recens, quod cum cereviſia miſceri poteſt, adjecto ſemine cumini, bene trito. Multi vinum Malvaticum cum oleo miſcent, & ejus cyathum ægro propinant. Interdum, ubi omnia fruſtra adhibita fuere, opem tulit ſanguinis miſſio, qua vero ejus non parum detrahi debet. Ex jam dictis apparere poteſt, omnia, quæ, intus ſumpta, calefaciunt, nec non, quæ refrigerant & inflant, &, quæ ex ſpiritu vini parata proſtant, aliena eſſe.

§. 814.

Si vero epiploon & inteſtinum, quæ inflammata ſunt, his fomentis in ſedes ſuas reduci nequeunt, ad incidendum tumorem feſtinare neceſſe eſt. Hæc tamen chirurgia inanis eſſe ſolet, ſi ea jam gangræna tenet. Cujus rei notæ ſunt: tumor mollior, ita, ut ſinus digito impreſſus maneat, cutis livida, & dolor ſe multum ſine levatione remittens, majorque imbecillitas (conf. 172. 173.)

§. 815.

Ubi omnia recte repulſa fuerunt, dolor, inflammatio, & alia mala ſigna, ſe mox remittunt. Interdum, quamvis omnia deſediſſe videantur, tamen inflammatio, dolor atque febris, quibus

homo urgetur, & quæ timeri poſſunt, (804.) haud conquieſcunt, ſed continuantur. Id quod non ſolum in hoc herniæ genere, ſed in omnibus aliis evenire poteſt. Solet enim incidere, quia inteſtina jam gravis & magis diffuſa inflammatio tenet, vel, quia inteſtinum, quod ex vehementiori commotione ac vomitu vertitur, implicitum, & quaſi involutum eſt, recentiores volvulum vocant, vel etiam, quia illud peritonæi elongati tunica, cum qua intus compulſum fuit, arctius comprehenditur & ſtrangulatur. (789. 791. 792.) Nec facile inveniuntur notæ, quæ oſtendunt, ex qua occaſione inteſtina laborent. Scire tamen licet, inflammationem non in ea parte inteſtinorum, quæ prolapſa fuerat, conſiſtere, ſed magis diffuſam eſſe, ſi dolor totum ventrem infeſtat, & vehemens hujus inflatio eſt. Si inteſtinum implicitum fuit, inveniri poteſt manu impoſita mali locus, qui vehementer dolet, & digito renititur. Ubi autem inteſtinum peritonæi tunica ſtrangulatur, eo tempore, quo id manu coactum in ventrem relabitur, haud ſonat, & in cute ſuper umbilicum, nec non ſuper muſculi obliqui annulum & ligamentum Fallopii, quaſi ſinus quidam manet depreſſior, quem digito ſentire non difficile eſt. Si primum eſt, homo ſervari nequit. In altero experienda ſunt, quæ medici in ilei & volvuli curatione præcipiunt, & ex his etiam mercurius, cujus magnum pondus deglutire jubent, quo inteſtina explicentur. In ultimo caſu neceſſaria ſcalpelli opera eſt.

a Vid. LE DRAN Obſ. LVIII. T. II. p. 18.

§. 816.

Hominem autem, quem ſcalpello curari oportet, neceſſe eſt, reſupinum, & ſuper ſcorteum pulvinum ita collocari, ut pectore & coxis demiſſioribus ſit, umbilico vero erectiori. Eum etiam duo prævalentes miniſtri, pectori ac cruribus incumbentes, continere debent. Inciditur ſuper tumorem intenta cutis, plaga recta, &, ſi tumor major eſt, etiam duabus lineis tranſverſis. Magna vero moderatio adhibenda eſt, ut ſola cutis aperiatur. Nam quandoque, quamvis rarius, ſi peritonæum ruptum eſt, protinus ſub ea & adipe inteſtinum eſſe ſolet. Si vero peritonæum integrum eſt, ſecta cute conſpicitur aliquod quaſi reticulum, quod nihil aliud eſſe videtur, quam tunica celluloſa, qua peritonæum contegitur, alioquin tenerior, jam vero vexata,

inflata & tumida, in quam non raro etiam humor contractus eſt. Hæc tunica leviſſima manu ſecanda, & vulnus ſedulo, objectis ſanguini linamentis, vel ſpongia, detergendum eſt. Neque chirurgus periclitetur, ne inteſtinum, quod ſubeſt, lædatur.

§. 817.

Tandem vero, ubi ad imam unicam, ipſumque peritonæum, perventum eſt, illud etiam incidi debet. Summa itaque moderatione adhibita illa tunica digitis prehenſa levanda, &, facta prius minori plaga, pertundenda eſt, mox autem demiſſo ſpecillo, ſulcum habente, & ſcalpello, vel forfice incurva, quæ retuſum mucronem habet, latius aperienda. Aperto ſic tumore, ea, quæ proruperant, intus compelluntur. (687. 688.) Si vero quædam ex omento vitioſa ſunt, vel induruerunt, illa præcidi debent. Quod ſi vel hoc, vel inteſtina peritonæi tunicæ, vel hæc circulo inhæreſcunt, & glutinata ſunt, (804.) neceſſe eſt, illa inter ſe, non tam ſcalpello, quam digito, vel ſcalpelli manubrio, diducere. Hoc autem non raro incidit, ſi nondum repoſito omento & inteſtino vinctura injicitur, illaque & elongatum peritonæum aliquantum comprimuntur. Si vero res cogit ſcalpello uti, illud ſemper quam maxime ab inteſtinis debet abduci. Opportunum eſſe poteſt ſcalpellum Petiti, quod aciem habet non admodum acutam. (698.)

§. 818.

Nonnumquam res poſtulat, ut, ſi eorum, quæ in contractiorem circulum (789.) irruperunt, major modus eſt, is incidatur, quo magis pateat. Id fieri poteſt illis ferramentis, quæ ſupra (689. 690. 691.) propoſui, obſervatis etiam omnibus, quæ in ventris vulneribus curandis alias præcepi. (692.)

§. 819.

Repoſitis omnibus, vulneri imponi poteſt glomus, ſeu pila, ex linamentis facta. (21. fig. 11.) Superdantur panni & injicitur faſcia, quam mantile vocant cum ſuſpenſorio. (623. 639. 700.) Neceſſe eſt, ut æger ſe contineat atque reſupinus decumbat. Oportet etiam uti ſanguinis miſſione, abſtinentia & lotionibus in alvum immiſſis. Peſtifera ſunt omnia, quæ inflant, opportuna autem, præ aliis, juſcula ex avena, hordeo, & ſimilibus cum ptiſana.

§. 820.

Obſervatione cognitum eſt, eos, quibus in hoc & aliis herniarum generibus magnus modus omenti & inteſtini deſcendit, raro ſervari, quamvis curatio bene ceſſiſſe videatur, omniaque ſine noxa fuerint retro coacta. Nam omnia abdominis viſcera ab inſolito pondere premuntur atque male afficiuntur *a*.

a GARENGEOT Op. T. I. p. 359.

§. 821.

Quamvis vero omnis curatio finita, vulnuſque ad cicatricem perductum fuerit, non omnis tamen metus ſublatus eſt. Non raro enim ea, quæ repulſa ſunt, diducta minus valida cicatrice, iterum in illum circulum irrumpunt, quare oportet umbilicum pilæ atque vincturæ ſubjicere. Quandoque, & præcipue, ſi homo jam adolevit, (805.) illa vinctura per omnem ætatem neceſſaria eſt. (806. 807.) Id vero non ad exomphalum ſolum pertinet, ſed commune eſt omnium herniarum, ſi omentum & inteſtina exceſſerunt, & inciſa cute in ſuas ſedes iterum reducta fuerunt.

HERNIA VENTRIS.

§. 822.

Minus peritos hoc herniæ genus fallere poteſt, iiſque opinionem abſceſſus facere; ſed vero, tum ortu, tum variis ſignis, quæ cum hernia eſſe ſolent, non parum diſcrepat. Ubi enim inteſtinum ſubeſt, illud vehementiſſimos abdominis dolores affert, & ſtomachum etiam afficit, ut, tum ea, quæ aſſumpta ſunt, tum bilis, tandemque, ingraveſcente morbo, etiam ſtercus, per os reddantur. Tumor plerumque magnus non eſt, qui quandoque enaſcitur, ſi interior abdominis membrana ex ictu vehementiori, retento diutius ſpiritu, vel ſub gravi etiam faſcia, aliave occaſione, diducitur. Hanc herniam in nonnullis ſedibus & quandoque ex vulnere oriri, quod muſculis abdominis, vel ſolis, vel cum his etiam peritonæo, illatum fuit, jam alias (790.) retuli.

§. 823.

Nec aliter curatur hoc vitium. Si tumor non cedit, & cum inflammatione eſt, neceſſaria ſunt fomenta, (810.) & oportet reſupinato rectoque collocato corpore (687. 809.) tumorem digitis premere atque cogere.

§. 824.

Si vero is magis obnititur, cutis incidenda eſt cum adipe & carnibus. Interior vero tunica, ſeu diductum peritonæum, quod inteſtinum & omentum continet, relinqui poteſt, &, reſolutis ab eo adipe ac carnibus, cum iis, quæ continet, retro pelli. Vulnus glutinatur, eique aptatur vinctura. (805. 806.) Si tumor ea ſede ortus eſt, qua olim vulnus fuit, illa interior tunica, ſi olim peritonæum vulnere læſum fuit, ſubjecta non eſt, (705.) ſed carnibus mox ſubeſt inteſtinum, vel omentum. Igitur, ſi res poſtulat tumorem incidere, circumſpectius illud faciendum, & manus ſuſpendenda eſt, ne inteſtinum lædatur.

a GARENGEOT Op. T. I. Art. VI. p. 367.

BUBONOCELE.

§. 825.

Hoc herniæ genus (791.) fere frequentiſſimum eſt, præcipue viris. Oritur, ſi homo ſub clamore & ſatietate, & ſub aliquo pondere nititur, vel, ſi is totius corporis nixu graviores faſces tollit movetque, ſi labore ludoque contendit, luctaturque, tibias inflat, ſi is vomit, vel ſiccior, alvum duram reddit, & ſi femina partum enititur. Oriuntur etiam herniæ caſu ab alto, & ſi per hunc femina valentius inter ſe diducuntur, & illæ muſculorum aponeuroſis atque peritonæum (791. 792.) laxantur. Nec non, ſi abdominis viſcera, ictu extrinſecus illato, caſu ab alto, præcipiti ſaltu, & quavis exercitatione, graviter commoventur, ſi pectus & abdomen faſciis, thoracibus arctioribuſque veſtibus comprimuntur. Rarum eſſe videtur, nonnumquam tamen obſervatum, herniam ex terrore repente fieri *b*. His vero offenſis magis obnoxia eſt infirmitas, & hominibus imbecillis, obeſis, humidis, hydrope laborantibus, iiſque, qui quotidie copioſum lac, oleum atque butyrum aſſumunt, vel qui ſe calida ingurgitant, ſæpe per hæc, aliaque in abdomine loca, inteſtinum ac epiploon, deſcendunt.

b RUYSCHIUS Obſ. Anat. Chir. 98. p.

§. 826.

Plerumque autem hæc prius in inguina devolvuntur, in quibus etiam tumor buboni ſimilis (123.) ab initio parvus con-

ſpicitur. Huic nomen eſſe bubonocele, ſupra retuli. (791.) Ea vero, quæ ſic deſcenderunt, niſa, illud iter, per quod irruperunt, magis & magis diducunt, tandemque etiam in ſcroti tunicas viam reperiunt. Incidere tamen poteſt, ut, ſi major vis fuerit adhibita, repente & potenter diducantur, illæ aponeuroſes, membranæ atque peritonæum, utque mox inteſtinum in ſcrotum devolvatur.

§. 827.

Notas, quæ in omni herniarum genere communes eſſe ſolent, alias (601.) poſui, nec non eas, quibus bubonocele a bubone diſtinguitur *a*. (123.) Non ita expedita eſt diſtinctio bubonoceles ac herniæ cruralis. Bubonocelem viris herniam cruralem feminis, frequentiorem eſſe, obſervatione compertum eſt. Bubouocele propius a pudendis eſt, & in inguine paulo inferiori. Hernia cruralis in parte ſuperiori, & fere ſuper femur, prominet. Quare etiam, ubi inflammatio acceſſit, hæc magis dolet, ſi tibia flectitur. Nam valentius adducitur faſcia lata, cui μηροκήλην aliquantum ſubjectam eſſe conſtat. (501.)

a Inter alia indicia & hoc eſſe poteſt. Imperandum eſt homini, ut tuſſiat, interea vero manus admoveatur tumori. Si bubo eſt, fere nullus in tumore percipitur motus, longe major in hernia.

§. 828.

Subeſſe vero inteſtinum cognoſcitur, ſi tumor paulo magis digito renititur. Etiam, ubi ei inflammatio acceſſit, longe acerbius dolor, crebrior vomitus & deſidendi conatus eſſe ſolet; infra vero, nec alvus, nec ſpiritus, tranſmittitur.

§. 829.

Si vero omentum eſt, tumor mollior eſſe conſuevit, & alvus etiam redditur. Vomitus tamen nihilominus urget, quia ab omento adducitur ventriculus.

§. 830.

Animadverterunt, interdum non totam inteſtini fiſtulam in tumorem deſcendere, ſed unam & inferiorem ejus partem, quæ mole ſtercoris paulatim diſtenditur atque elongatur, ita, ut appendix quaſi quædam & diverticulum fiat, quod, quia ſtercus, & cum hoc etiam ſpiritus, in eo hæret, &, quia id comprimitur, etiam inflammatur *a*. Oriuntur dolores crebrioreſque vo-

mitus, aliaque mala ſigna, ſed alvus reſpondet, cum ſtercus ſuper eam appendicem ad inferiora deſcendere poſſit.

a Vid. RUYSCHII Muſ. Anat. p. 63. fig. 3. Ej. Theſ. VII. p. 10. T. VII. fig. 2. & 3. H. A. R. Sc. MDCC. p. 384.

§. 831.

Si in bubonocele, & in omni hernia, ea, quæ deſcenderunt, non retro compelluntur, tandem gangræna naſcitur, quæ hominem brevi inter frigidos ſudores nervorumque diſtentionem tollit. Majus vero periculum eſt, ſi ſolum inteſtinum ſubeſt, idque ſtercore accepto vaſtius tumet, quam, ſi cum inteſtino etiam epiploon devolutum fuit. Ubi enim utrumque eſt, inteſtinum facilius in ventrem relabi poteſt. Ubi vero ſolum omentum deſcendit, idque comprimitur, vomitus dolorque non ita urgent, nec inflammatio tam præceps eſt, ſed magis lenta, quæ vero, niſi illud reducatur, etiam morte finitur.

§. 832.

Ergo omne conſilium eo dirigendum eſt, ut ea, quæ prolapſa ſunt, in ventrem reducantur. Eſt vero neceſſarium, ut cutis ſupra tumorem ſollicitius detergatur. Nam ſi illa humectata & lubrica eſt, tumor digitis commode tractari nequit. Tum oportet, reddita prius urina, hominem reſupinatum & coxis elatioribus eſſe, a miniſtro vero, non ab ipſo ægro, (809.) aliquantum levari caput atque pectus. Femur etiam, ſupra quod tumor eſt, chirurgum flectere oportet, & alium miniſtrum ilia utrimque ſurſum verſus premere. Tum digitis premendus eſt tumor, ut diſcutiatur, ſi quis intus eſt, ſpiritus. Tandem vero ſupremus tumor oblique & ſurſum, lineamque albam verſus, in illud muſculi foramen, ſeu ſic dictum annulum, cogendus eſt, ita, ut ſemper, quæ poſteriora prolapſa ſunt, priora condantur. Quæ ſic condita ſunt, impoſito alterius manus digito deprimantur, donec omne, quod prominebat, revertat. Hoc, ſi inteſtinum eſt, cum murmure fit. (809.)

§. 833.

Si vero ea, quæ provoluta ſunt, jam inflammationem acceperunt, &, quia nimium diſtenta ſunt, haud revertuntur, id quod ex variis occaſionibus fieri ſupra (808.) retuli; protinus confugiendum eſt ad medicamenta, quæ molliunt, & quæ ipſi tumori ſuperhabentur, (810.) & alia, quæ in alvum immit-

tuntur, (811.) atque ore ſumuntur. (812.) Periculum enim eſt, ne, cum diu fruſtraque per digitos tumor agitatur, mortifera inflammatio excitetur.

§. 834.

Quo vero repulſa ab inguine ſcrotoque excludantur & ventri immorentur, vinctura opus eſt. Faſciarum vero, quas περιζώματα appellant, varia genera ſunt, & cuique chirurgo ſuus fere modus eſt. Iis, quibus abdomen circumdatur, adſuenda pila eſt, & huic proxime ſubjiciendus ille muſculi obliqui ſic dictus annulus, ſicque coërcendum, tum inteſtinum, tum epiploon, tum etiam ea diducti atque elongati peritonæi tunica, ſive ſaccus, quo ilia incluſa ſunt. Pilæ ſuprema pars aliquantum inniti poteſt inferiori oſſis ilei ſpinæ, nulla vero alia pars, neque os pectinis, ita valenter premi debet, quam eo modo deſcripta ſedes. Huic etiam pila ita accommodari debet, ut eam non ſolum erecto corpore, ſed ſub ejus etiam & membrorum quocumque flexu æqualiter, & ſine intermiſſione, premat. Periculum enim eſt, ubi inguina flectuntur, homoque ſedet, vel equo, curruque, vehitur, ne, dato inter inguen & pilam ſpatio, inteſtinum iterum devolvatur. Igitur multi utuntur perizomate, quod ex ferro fabricantur, corioque obducunt, & cui pilam affigunt, quæ, vel elaterem habet, vel trochulum, ut, adducto etiam femore, pila altius in inguen deprimi poſſit. Faſciæ lineæ, vel ex corio factæ, vix ſatis continent, & quovis corporis nixu diducuntur. Accedit etiam lorum, vel habena, per femina trajicienda, quæ omnibus, præcipue feminis, perincommoda eſſe ſolet. Nihil etiam nocentius periculoſiuſque eſt, quam, ſi ſub vinctura non recte aptata, ea, quæ retro compulſa erant, aliquantum revertuntur, & pila comprimuntur, non reprimuntur. Id enim movere poteſt inflammationem, vel efficere, ut illæ partes ea ratione, qua ſupra (804.) propoſui, inter ſe glutinentur, ſibique inhæreſcant, & pòſt retro compelli nequeant. Ea curatione admota pueros ita reſtitui, ut vincturam tandem ſine pernicie omittere queant, non vero adultos ſeneſque, alibi dictum eſt. (803.)

§. 835.

Ad ſcalpelli vero operam decurritur, ſi, quæ devoluta inflammataque ſunt, reduci nequeunt, vel, quia ſtercore ac ſpiritu

accepto inteſtinum vaſtius tumet, vel, quia id & omentum atque peritonæi tunica, nec non hoc ac ipſe annulus inter ſe glutinata ſunt. Feſtinandum vero eſt, & hæc curatio recenti re adhibenda, neque, cum inteſtina jam gangræna tenet & ſumma imbecillitas, ſingultus, nervorum diſtentio, ſudor frigidus, aliaque mala ſigna, ad ultima jam ventum eſſe, ſignificant. (813.)

§. 836.

Prius autem oportet alvum lotione ducere, ſanguinem ex inciſa vena mittere, veſicam exonerare, & inguen, ſi pube contegitur, radere. Quod ſi vero inguen incidendum eſt, debet homo collocari ſupinus, ita, ut demiſſo capite ſit, coxis vero elatioribus, iſque a miniſtris contineri. Femur tamen, ſuper quod tumor eſt, a quodam attolli debet. Chirurgus & miniſter digitis prehendunt ſuper tumorem cutim, eam plicant, attollunt, atque per eam ſcalpellum rectum, cujus dorſum tumori obvertitur, trajiciunt, & eam ſic aperiunt. Ubi cutis ex inflammatione valde intenta eſt, & plicari atque attolli nequit, ea ab exteriori parte deorſum verſus incidi poteſt circumſpectius. Plaga facta, adeps, quæ nonnumquam valde induruit, non tam ſecanda, quam ferramento, ſcalpellove retuſo, (*dechauſſoir*) diducenda eſt, donec tandem ad herniæ tunicam, quæ ex peritonæo deorſum verſus ſubeſt, pervenitur. Rarius enim hanc ruptam & mox ſub ea inteſtinum eſſe, alias dixi. (794.) Inter quæ ſi ſanguis fertur, oportet illum linamentis objectis, vel ſpongia, occupare atque detergere; ſi vero arteria ſecta fuit, illam vincire.

§. 837.

Tunica peritonæi, quam vulgo ſaccum vocant, ſcalpello, quod leviſſima manu teneri debet, ejuſque mucrone, non tam ſecanda, quam paulatim radenda, & ita aperienda eſt, ne inteſtinum, quod ſubeſt, lædatur. Ubi minima plaga ſcalpello facta fuit, illa demiſſa forfice debet latius ſuper digitum aperiri. Plerumque humor exit, qui, ſi bonus eſt, non ſublividus, nec mali odoris, ſecuritatem pollicetur. Nam, ſi omnia, quæ evoluta fuere, ſicciora ſunt, conjectura eſt, ea cum peritonæi tunica coaluiſſe. Quo vero commode poſſint reduci inteſtina, ea, ſi vaſtiora tument, adduci queunt, quo retentus ſpiritus & eo delapſum ſtercus latius diſſipentur. (688.) Si vero ille ſic dictus annulus ſtrictior eſt, & ob id refundi inteſtina nequeunt, opor-

tet eum incidi & latius aperiri . Igitur miniſter educta inteſtina attollat , quo ea ſemper a ſcalpello longe ſint . Præ aliis huic chirurgiæ idoneum eſt illud ſcalpellum , quod LE DRAN invenit. Adhiberi tamen etiam alia ſcalpellorum & ferramentorum genera poſſunt . (690.) Incidendus vero ſic dictus annulus eſt , lineam albam & ſurſum verſus , ne arteria epigaſtrica vulneretur . (692.)

§. 838.

Epiploon vero , ſi id , vel ſolum , vel cum inteſtino , prolapſum , & ſine noxa eſt , etiam reduci leviter ſuſpenſa manu poteſt . Si vero id induruit , vel jam inflammationem accepit , præſtat , illud protinus lino devincire & præcidere , obſervatis iis , quæ ſupra præcepi . (683.) Si quæ peritonæo juncta ſunt , vel ſi hoc annulo inhæreſcit , ea ſcalpello non abſcindi , ſed ejus manubrio , digito , vel ſcalpello PETITI , (690.) reſolvi debent . (816.)

§. 839.

Sunt , qui jubent peritonæi tunicam , ubi ea patefacta eſt , integram relinquere , & eam , omniaque , quæ deſcenderant , retro compellere . Hæc vero curatio non ſemper tuta videtur . Minimum , ſi tumor major eſt , qualis in oſcheocele frequentius eſſe ſolet , & ſi tunicæ vetuſtate frequentique inflammatione occalluerunt , vel , ſi peritonæum annulo , inteſtina & epiploon peritonæo , inhæreſcunt , & , ſi vitioſa ſanies , pus , aliudve alienum ſubeſt , illa prodeſſe non poteſt , ſed ſemper nocere .

a Vid. GARENGEOT T. 1. p. 311.

§. 840.

Reductis omnibus , ille tendineus ſic dictus annulus , præcipue , ſi is remiſſus valde fuit , ſcalpello poteſt concidi , quo validior fiat cicatrix . Vulneri ſuperdatur illa pila , (21. fig. 2.) prius in medicamentum ad id accommodatum demittenda . Plerumque ſolent ovum in vas defundere , idque affuſo pauco ſpiritu ardente agitare , & hac mixtura pilam , vel linamenta , madefacere . Imponuntur panni plures gradati , & injicitur faſcia , quæ , quod in inguine ſpicam deſcribit , inde nomen habet . Videndum , ne vaſa ſpermatica pila panniſque premantur .

§. 841.

Neceſſe eſt , ut æger ſupinus , in alterum latus inclinatus ,

coxiſque paulo elatioribus cubet. Adhibenda eſt abſtinentia. Omnia ſollicitius, velut in graviter vulneratis, agenda ſunt. Perutiles ſunt lotiones, ſi ea crebrius in alvum immittuntur. Ante tertium diem, niſi aliud quid hoc requirat, faſcia reſolvenda non eſt, & eo tempore multa diligentia adhibenda, ne ea, quæ retro compulſa fuerunt, revertant. Curato etiam vulnere, vinctura (833.) nihilo minus neceſſaria eſt.

§. 842.

Incidere poteſt, ut aperto tumore & patefacta peritonæi tunica inteſtinum jam vitiatum ſit & gangræna affectum; id quod intelligitur ex colore, & ſi ex vulnere ſtercus cum odore malo effertur. Plerumque mors in propinquo eſſe ſolet. Servari quandoque homo poteſt, cui id, quod corruptum eſt, tollitur, & inteſtini finis, qui ſuperne labitur, vulneri adſuitur. *a* (697.)

a Vid. quæ ad §. 674. adducta ſunt. Adde LAUR. HEISTERI Diſs. de Hernia incarcerata ſuppurata ſæpe non lethali, Helmſt. anno MDCCXXXIIX. Qui etiam oſtendit, ita curari poſſe herniam, a chirurgo, quem tumoris mollitudo & opinio bubonis decepit, inciſam. Duo exempla etiam adducit SAMUEL SCHARP *in the Treatiſe on the Operations of Surgery* Cap. III. p. 16.

OSCHEOCELE.

§. 843.

At, ſi cui inteſtinum & epiploon in ſcrotum deſcenderunt, (791.) hocque intumuit, id, ne opinionem ſarco-vel hydroceles faciat, certiori nota explorari oportet. Magnum enim diſcrimen in ortu cauſiſque poſitum eſt, quas ſupra (824.) retuli, cum oſcheocele ex bubonocele plerumque oriatur, (825.) vel, id quod rarius incidit, ex vehementiori totius corporis nixu motuque, aut abdominis preſſione. Sarcocele ex teſtis inflammatione relinquitur, hydrocele vero plerumque, ſi valentius compreſſum fuit ſcrotum. Si ſub tumore ſunt inteſtina & epiploon, ea, homine reſupinato, (831.) in ventrem reduci queunt. Si etiam non omne id, quod devolutum fuerat, revertit, quia peritonæum annulo inhæreſcit, major tamen prolapſorum pars digitis repelli poteſt. In ſarcocele tumor duritiam fere lapideam habet, in hydrocele vero is digito cedit, ſublato vero digito mox iterum conſurgit. (conf. 801. 827. 828.)

§. 844.

Ratio curationis non alia eſt, quam, quæ bubonoceles. Sunt tamen quidam obſervationes neceſſariæ. Non temere ad ſcalpelli operam decurrendum, ſi omne, id quod provolutum eſt, poteſt reduci, & admota faſcia, cui pila adſuta eſt, (833.) contineri. Nec, ubi major modus inteſtinorum omentique deſcendit, atque ideo ingens tumor eſt, ſolet tam magnus metus inflammationis eſſe, quod plerumque annulus diductus atque multum remiſſus eſt. In quo caſu etiam ipſam ſectionem non ſatis tutam, ſed anceps remedium, eſſe, compertum habemus. Nam quamvis inciſa cute omnia in abdomen compulſa atque ſine noxa condita fuerint, inſuetum tamen illorum pondus graviter afficere videtur hominem, ita, ut is non raro brevi & ſubito rapiatur. (819.)

§. 845.

At, ſi annulus & peritonæum inter ſe glutinata ſunt, atque ob id retro agi nequeunt, æger de ſalute periclitatur, cum ejuſmodi tumor pilæ commode ſubjici nequeat. (804.) Nonnumquam tamen id fieri poſſe, obſervatio docuit, ſi utrumque, & inteſtinum atque epiploon, annulum perrupit, & inteſtinum repelli poteſt; omentum autem, quod peritonæi tunicæ, ſive ſacco, inhæreſcit, inguini immoratur, & ex hoc tumor potiſſimum manet. Nam, ſi vinctura ita admovetur, ut a ſcroto excludatur inteſtinum, epiploon vero parum & minus valenter prematur, homo fere ſine periculo eſſe poteſt *a*.

a Vid. SHARP c. l. p. 15.

§. 846.

Si in oſcheocele major epiploi modus & juncta inteſtina prolapſa ſunt, eaque nec a ſcroto excludi atque repelli, nec admota pila & vinctura contineri poſſunt, multum levatur æger, ſi magno tumori ſubjicitur faſcia, quam *ſuſpenſorium* vocant chirurgi, quo is commode excipitur. (132.)

§. 847.

At in eo, quem ſcalpello curari oportebit, incidendus tumor eſt, ab inguine vel annulo deorſum, ad extremum uſque teſtem. Simul atque ad peritonæi tunicam, ſeu ſaccum, pervenit ſcalpellum, is aperiendus eſt, (836.) ſic, ut inteſtinum, quod ſubeſſe ſolet, haud lædatur. Exire ſolet ex plaga humor,

qui intus in peritonæi tunicam utplurimum contractus eſt, & qui, ſi melioris generis, haud lividus, aut mali odoris eſt, ſpem oſtendit. (836.) Ceterum haud quidquam novi curatio requirit. (conf. 835. 836. 837.) Semper incidenda eſt peritonæi tunica. (838.) Faſcia (839.) vero accommodanda, ut ea etiam ſcrotum ſuſpenſum contineatur. Quod ſi etiam feliciter ceſſit curatio, vinctura tamen (833.) per omnem vitam neceſſaria eſt.

§. 848.

Poteſt interdum evenire, ut præcidatur arteria epigaſtrica, (692. 836.) ex qua re magna ſanguinis profuſio & ingens mortis periculum ſequitur. Ea enim devinciri commode nequit. Igitur linamenta ex liquore ſtiptico (411. 412.) expreſſa arteriæ admoveri eamque per plures horas ita æqualiter digito premi (407.) oportet.

§. 849.

Hernia cruralis (792.) frequens eſt feminis, in quibus graviditates partuſque peritonæum multum diducere & præcipue ea ſede laxare ſolent. (826.) Si inteſtinum, quod deſcendit, repelli debet, (831.) motus adhibendus eſt, ut id oblique, ſurſum lineamque albam verſus, prematur. In bubonocele enim reponenda, tumor compellendus eſt extrorſum & os ileum verſus. (809. 831.)

§. 850.

Ubi vero tumorem inflammatio tenet, &, quæ eo continentur, repelli nequeunt, eum etiam, id quod per omnia herniarum genera perpetuum eſt, oportet incidi. Plures, ut plaga tranſverſa fiat, præcipiunt, alii vero eam commodiſſimam eſſe contendunt, quæ linea longa paulo exterius ſuper tumorem deorſum deſcendat; qui addunt, metum eſſe, ne tranſverſa plaga præcidatur arteria epigaſtrica, (692. 836. 847.) vel vena ſaphæna, quas juxta eſſe ex anatome diſcitur. Lædi etiam poſſunt glandulæ in inguine, &, quæ ipſi herniæ ſubjectæ ſunt, arteria venaque cruralis. Tumor, poſtquam apertus eſt, ſedulo conſiderandus, num is novus ſit, & num ei haud aliud vitium ex vetuſtate vel admoto prius perizomate acceſſerit. Si enim haud ita pridem ortus fuit, non ſemper neceſſarium eſt, peritonæi tunicam, vel ſaccum, (838.) incidi; id quod faciendum, ſi ille jam vetuſtate occalluit, vel, ſi is arctius comprehendit atque ſtrangulat inteſtinum, (814.) vel, ſi in eum jam multus humor contractus eſt. (838.)

CYSTOCELE.

§. 851.

Veſicam, in bubonocele, vel oſcheocele, tumori ſubeſſe, raro incidit. (793.) Id cognoſci poteſt, ſi homo urinam reddere nequit, niſi preſſo exterius tumore. Nec alia hujus vitii curatio eſt. Summa cura atque moderatio adhibenda, ne, ubi tumor inciditur, veſica lædatur, quam non peritonæi tunica contineri, ſed proxime cuti ſubjectam in tunica adipoſa, vel celluloſa, hærere novimus.

§. 852.

Repudianda eſt illa vulgaris empiricorum medendi ratio, qui in omni bubonocele & oſcheocele teſtem præcidunt atque tollunt. Nec aliæ curandi viæ, in quas diverſas alii proceſſerunt, ſecuritatem ægris præſtare poſſunt.

ΥΔΡΟΜΦΑΛΟΣ.

§. 853.

His verarum herniarum generibus in conſpectum quemdam, quatenus ſcire medentibus neceſſarium eſt adductis, jam etiam ad alios tumores veniam, qui, cum proxime ad herniarum ſimilitudinem accedant, his adnumerari conſueverunt. (795.) Et quidem nonnumquam umbilicus prominet, quod in eum humor irrupit; id quod crebrius iis incidit, quos aqua inter cutem male habet. Humorem etiam in peritonæi laxati diductique tunica crebrius reperiri, ſi in omphalocele per umbilicum epiploon & inteſtina prolapſa ſunt, alibi retuli. (796.) Cognoſcitur ſine opera, humorem intus eſſe, quia is, ſi tumor digito premitur, circumfluit. Huic vitio, ſi cum hydrope eſt, non alia ratione ſubveniri poteſt, quam eo percurato. Nam, ſi tumor perforatur, & humor effunditur, is brevi revertit *a*.

a Vide figuram in PURMANNI Chirurgia curioſa, Cap. VII. p. 330.

ΣΑΡΚΟΜΦΑΛΟΣ.

§. 854.

Umbilico interdum carnes increſcunt, quæ ſæpe, carcinomati ſimiles, cum periculo tractantur. Accidere id ſolet pueris, quo-

rum umbilico laxior vinctura poſt partum injecta fuit. Nonnumquam corrupta caro oculis & latius patet, ac nocenter increſcit, aliquando vero ea ſub cute eſt, quæ inæqualiter tumet. Interdum locus mollior, interdum aſperior eſt, qui tactus aliis dolorem affert, in aliis vero non habet. Tumor vero, ubi homo reſupinatus eſt, numquam relapſo inteſtino deſidit, nec prementi cedit, quam vitiata caro in eadem figura tenet. Nonnumquam plura vitia eſſe ſolent, ut & inteſtinum atque omentum prolapſa ſint, utque cum his etiam humor peritonæi tunicam diſtendat, & quoque membranis vitiata caro increſcat. Si tumor cum malo ulcere eſt, valdeque durus, cum magno dolore, is omni curatione, præcipue admotis medicamentis adurentibus, irritatur. Nec is ſine periculo ſcalpello exciditur. Si vero tumor malus non eſt, is utraque ratione tolli quandoque poteſt *a*. Caro etiam, quæ ſub cute increvit, hac inciſa, reſolvenda eximendaque eſt.

a Vid. JOBI a MEEKREN Obſ. Cap. XLVII. p. 200.

ΣΑΡΚΟΚΗΛΗ.

§. 855.

Hujus vitii duo genera eſſe, retuli. (798.) Utrumque naſcitur, ſi, vel teſticulus, vel, quæ ad eum pertinent, arteriæ venæque, & membranæ quibus hæ partes comprehenduntur, compreſſæ, vexatæ & inflammatæ fuerunt, præcipue, ſi teſticulo, qui ex his & aliis cauſis, ex impura venere & gonorrhœa ſuppreſſa (129.) inflammatus eſt, non opportuna curatio fuit adhibita. (254. ad 258.) *b* Obſervatio docuit, teſtem tumere, & ſarcocelen oriri poſſe etiam ex ea cauſſa, ex qua aliæ veræque herniæ naſcuntur, ſi, retento ſpiritu, vel ſub gravi faſce, vel alia occaſione, homo valentius & diutius nititur, vel, ſi is præcipiti ſaltu in terram fertur *c*. Inter rariora eſt, teſticulum oſſeum fieri *d*.

b Sarcocelen ex acu in teſticulum infantis infixam deſcribit SAVIARD Obſ. LVI. p. 253.

c Vid. LE DRAN Obſ. LXXI. T. II. p. 132. Inflato abdomine & ſub fortiori nixu adducitur muſculus obliquus externus abdominis, & contrahitur annulus, quo proceſſus peritonæi, ſeu vaſorum ſpermaticorum velamentum, quod ex tunica celluloſa peritonæi habent, comprimitur. Sub præcipiti ſaltu vero accidere poteſt, ut a colo, fecibus durioribus pleno ac tumido, perito-

næum ſuper annulum ictum itaque inflammationem accipiat. Hæc vero, ſi incidunt, impediunt, quo minus ſanguis per venas minores permanare queat, & intumeſcit ac inflammatur teſticulus. Hæc res mihi haud ita pridem confirmata fuit, cum, ut hydrocele curari poſſet, longa magnaque plaga inciſa eſſet tunica vaginalis. Ipſius enim teſticuli gravior inflammatio orta fuit, cum tumore, non aliam ob cauſam, quam, quod ab inflammato illo vaſorum ſpermaticorum velamento comprimerentur venæ, & quod per eas ſanguis permanare haud poſſet.

d Vid. H. A. R. Sc. MDCC. p. 47.

§. 856.

Si teſticulus occalluit, licet ante ſcalpellum prius experiri medicamenta, quæ glandularum tumoribus ac ſcirrhis reſolvendis quandoque idonea eſſe retuli. (113. 267.) Neceſſaria vero cum his eſt faſcia, quam ſuſpenſorium vocavi, (845.) qua teſticulus excipiendus & ſemper ſuſtinendus eſt. Parum valent medicamenta, quæ ore ſumuntur. Victus ſit tenuis & parcus, & alvus ſubinde ducatur.

§. 857.

Si his vero per plures dies admotis nihil ex tumore minuitur, & ægro, cui teſticulus indecore, vel etiam cum dolore, dependet, ultima experiri ſtatutum eſt: teſticulus excidendus eſt. Protinus vero conſiderari & diligentius admoto digito explorari oportet arterias & venas ſpermaticas, ubi illæ ex ſic dicto annulo educuntur & ad teſticulum feruntur. Illæ enim ſi multum tument duræque ſunt, chirurgia, in qua ceteroquin multa genera ac tempora periculi ſunt, ſine pernicie adhiberi non poteſt, cum eæ tuto, nec præcidi, nec devinciri queant. Nonnumquam aliud vitium acceſſit & per laxiorem annulum etiam omentum atque inteſtina deſcenderunt, quæ ſupra durum tumentemque teſticulum hærent. Id ex eo cognoſcitur, ſi in inguine, ubi modo dictæ arteriæ venæque deſcendunt, tumor eſt, non vero ita durus, ſed magis æqualis, & ſi reſupinato homine pars quædam ad ventrem revertit, vel preſſa retro pellitur. Et hæc res curationem recipere poteſt, ſi, repoſitis iis, quæ devoluta erant, arteriarum venarumque funiculus lino adſtringitur, & teſticulus exſcinditur.

§. 858.

Quod ſi vero res ſcalpello agenda eſt, ante aliquot diebus corpus victu vinique abſtinentia præparari oportet, ut æger modicos ſalubreſque cibos aſſumat & ptiſanam bibat. Sanguis præ-

terea mitti & alvus duci debet medicamentis ſatis valentibus, minus autem acribus. (63.) Ipſo autem die, inguen, ſi pube tegitur, radendum, homo ſupinus collocandus, & plaga quæ recta deorſum fertur, inguen & ſcrotum aperiendum, donec ad ſcroti infimum perventum ſit. Hoc enim niſi fiat, metus eſt, ne quid ſanguinis concreti in ſcroto maneat. Rectus ſcalpellus ita admoveri debet, ut dorſum vaſis ſpermaticis obverſum ſit, & is prius ſolam cutem digitis chirurgi ac miniſtri plicatam ſublatamque cum pinguedine ſecet. (835.) Ubi autem ad tunicam, quæ vaſa illa tegit, perventum fuit, inclinandus mucro eſt, ut & hanc ſecet. At enim ſcalpellus quam leviſſima manu teneri debet, ſummaque cura adhiberi, ne arteriæ, venæ nervique attingantur. (836.) Minor vero plaga facienda, ut intrare digitus poſſit. Super hunc enim in vulnus demiſſum hoc commode forfice ampliatur. Si etiam inteſtina deſcenderunt & ſuper teſtem hærent, maiori diligentia opus eſt, ne ea, quæ prolapſa ſunt, violentur. Quæ, ſi patefacta fuerunt, protinus reponenda ſunt. (836.) Omentum vero devinciri atque præcidi poteſt. Videndum tamen ſedulo, ne omento, quod inteſtinum, præcipue cœci appendix, cui a vermiculo nomen eſt, comprehendatur, id quod fieri poteſt, ſi tumor ab inguine dextro dependet. (683. 837.)

§. 859.

Patefactis ſic omnibus, modo commemoratus tunicæ celluloſæ proceſſus, qui plerumque induruit & tumet, a vaſorum ſpermaticorum funiculo reſolvi, & lino incerato ſeparatim a reliquis ad annulum deligari debet. Alio vero lino vinciri oportet vaſorum ſpermaticorum funiculum, a quibus teſticulus dependet. Linum ex quatuor filis debet eſſe compoſitum, non tortis, ſed ſibi ad latus poſitis, mediaque cera ita inter ſe glutinatis, ut ligulæ ſimiles ſint. Lini duo capita inter ſe connexo nodo adſtringuntur, primum ſimplici, pòſt, ubi linum iterum funiculum comprehendit, duplici, quali chirurgi plerumque utuntur. Inter lini etiam capita, antequam adſtringuntur, ponendi ſunt panniculi minores ex linteo incerato, quo id melius inſideat, &, ne arteriam venamque abrumpat. Capita vero extra plagam relinquenda ſunt. His peractis, teſticulus a tunicis ſuis digito, ſcalpelli manubrio, ferramentove, reſolvitur. Si tumor ingens eſt, etiam ex ſcroto aliquid exſcinditur. Tandem ille funiculus, ex

quo teſticulus dependet, ſcalpello abſcinditur, ad quartum circiter digitum, ab injecto vinculo. Præciditur quoque illud velamentum, quod alio lino adſtrictum fuerat, ad alterum circiter ab hoc digitum, & totus teſticulus demitur. Alia ſectione vero ampliari debet annulus, ne, ſuperveniente inflammatione, tumentes arteriæ, venæ nervique, cum illo velamento, quod hæc vaſa ex tunica celluloſa habent, a minori & ſtrictiori annulo ſtrangulentur.

§. 860.

Super vulnus linamenta eatenus dari debent, donec id tegant atque impleant, ea vero non fulcienda, ſed leviter tantum ponenda ſunt. Cetera, quæ ad reliquam curationem pertinent, ſupra (834. 839. 840.) comprehenſa ſunt. Ubi metus eſt, ne hominis lotium faſciam conſpurcet & vulnus irritet, accommodari poteſt ſcroto velamentum ex linteo incerato.

§. 861.

Ad hanc curationem feſtinare, cum præceps ſit, nullo modo convenit. Ac neque in omni vitio illa experienda eſt. Si enim arteriæ venæque ſpermaticæ, a quibus teſticulus dependet, occalluerunt, illa devinciri nequeunt. (856.) Nam ſi illæ lino altius & in ipſo abdomine adſtringuntur, ſequi ſolet peritonæi, vel potius tunicæ celluloſæ, quæ ſub eo eſt, inflammatio, quæ hominem interimere ſolet. Ea quoque curatio eſſe debet, ſi teſtem ex ictu, aliave occaſione, gravis inflammatio tenet, & hæc in gangrænam tendit. (133.) Supervacua eſt illa, ſi ſerius adhibetur, & ubi jam arteriæ venæquæ ſæpe commemoratæ, ex quibus teſticulus dependet, gangræna affectæ ſunt. Interdum tamen etiam temeraria medicina profuit *a*.

a Vid. LE DRAN T. II. Obſ. LXXIV. p. 149.

ΥΔΡΟΚΗΛΗ.

§. 862.

Humor, qui fere ſemper inter mediam, vulgo vaginalem dictam, & imam teſticuli tunicam, ſeu albugineam, conſiſtit *b*, effertur ex ruptis lymphæ accommodatis venis. Etiam confluit, ut videtur, ſi humor, quo illæ partes, ne inter ſe coaleſcant, humidantur, haud iterum ſuis venulis abſorbetur.

b Raro evenire arbitror, humorem inveniri inter erythroideam & vaginalem. Vid. qui optime de hydrocele ſcripſiſſe videtur, SHARP'S *Treatiſe on the Operations* Cap. XI. p. 32. Pluribus autem Auctoribus opinionem hujus hydroceles feciſſe videtur tumor, qui in tunica vaginali & dilatata perconfluentem humorem cellula oritur, & ubi humor, velamento quaſi ſuo, & cyſtide incluſus, inter vaginalem & erythroideam reperitur. Hoc vero ſi incidit, utplurimum humor etiam eſt inter teſtem atque vaginalem tunicam. In entero-& epiploocele non raro etiam in peritonæi tunicam, ſeu ſaccum, humorem deſtillare, alibi retuli. (836.) Humor vero ſub ima vel albuginea teſticuli tunica eſſe non poteſt, niſi hic vitiatus ſit, induratuſque, qualis in ſarcocele eſſe ſolet. Hydrocelen, in qua humor tribus locis deprehenſus fuit, deſcribit LE DRAN T. II. Obſ. 75. p. 159.

§. 863.

Certis & ſupra poſitis indiciis (842.) cognoſcitur, humorem ſubeſſe. Si humor digito premitur, is, vel circumfluit, vel, ſi vehementer increvit, tumor renititur, ſicut uter repletus & arcte adſtrictus, in quo tamen plerumque teſticulus, neque viſu, neque tactu, ſentitur. Tumor ſine omni dolore eſt, qui, ſi quandoque levior fit, ſe numquam ex toto remittit, nec preſſus deſidit. In inguine vero eaque ſede, ubi arteria venaque, ex quibus teſticulus dependet, ex annulo educuntur, tumoris vel nihil eſt, vel parum, pro magnitudine illius, quo inferius ſcrotum intenditur. Si etiam humor, qui intus eſt, multum increvit, nullum vero vitium contraxit, is tamquam in vitro cornuve per ſcrotum apparet: qui vero, ſi fœculentus eſt, percraſſus, colore luridus & ater, ita haud diſtingui poteſt. Cauſas præterea, ex quibus varia herniarum ac tumorum genera naſcuntur, etiam indicia diverſarum ſpecierum oſtendere, ſupra retuli. (842.)

§. 864.

Sunt alia indicia, quæ ſedem humoris oſtendunt. Non parum enim hydrops ſcroti ab hydrocele diſcrepat. Nam ſi tunica illa celluloſa, quæ ſub ſcroto eſt, & quæ illam membranam, quam δαρτὸν vocant, utrimque tegit, humore intenditur, ſcrotum ſine rugis eſt æquale, albidius & magis omni ſua parte tumidum. Vitium autem plerumque cum hydrope per univerſum corpus oriente eſſe ſolet. Tumor mollis eſt, qui prementi digito cedit, & ſe eo ſublato tardius attollit. Intumeſcit etiam cutis, quæ ſuper glandem eſt, adeo, ut ea fiſtulam quoque urinæ intercludat. In hydrocele tumor prementi magis renititur, remoto digito, ſubito attollitur. Scrotum vero rugoſum, coles minor eſt

& contractior, qui fere ſub tumore deliteſcit. Tumor etiam non niſi unum ſcroti latus plerumque occupat.

§. 865.

Hydrocele oritur, ſi venæ lymphæ accommodatæ rumpuntur, vel, ſi compreſſis arctatiſque ſanguinis itineribus humor libere revertere nequit. Igitur, ſi teſtis, id quod equum conſcendentibus, vel effreno equo vectis, quandoque accidit, femoribus ſubmittitur, & is hac aliave occaſione illatoque ictu valentius premitur; Si arteriæ venæque, ex quibus teſticulus dependet, aliquid ſuperimponitur, & illæ a devolutis inteſtinis atque indurato omento, a veſtibus vel vinctura, bubonoceles cauſa admota, premuntur; Si alius tumor, ex oſcheocele, vel ſarcocele, ortus, ex iis dependens, eas multum adducit & venas multum coarctat, hoc vitium naſci ſolet. Ex his etiam intelligitur, quandoque id per ſe oriri, quandoque id eſſe cum aliis herniarum generibus.

§. 866.

Hoc valetudinis genus ſine dolore & fere ſine periculo eſt. Si humor vehementer increſcit, quandoque is perrumpit per intentas membranas & effertur, glutinato autem vulnere is iterum circa teſticulum increſcit; id quod etiam evenire ſolet, ubi is inciſo tumore effunditur*. Non ita timenda eſt hydrocele, quæ non facile ad gangrænam aliaque vitia, quæ majus periculum habent, ſpectat. Nec ea, ſi modo tumor faſcia exceptus ſuſpenſus teneatur, prohibet, quo minus ad ultimam ſenectutem perveniant homines. In corpore, quod mali habitus eſt, & ſi humor intus ex admixto ſanguine putris eſt, is teſtem cutimque erodere poteſt, ita, ut mala ulcera fiſtulæque oriri quandoque poſſint.

§. 867.

Supervacua ſunt plerumque medicamenta, quæ extrinſecus admoventur, ſi humor penitius inſedit. Quo minus vero tumor ad majorem molem increſcat, prohibet faſcia. (132. 845.) Scalpelli opera neceſſaria, humorque effundendus eſt, qua tamen curatione morbus non tollitur, ſed ad tempus levatur, cum tumor poſt intervallum utplurimum rurſus aſſurgere ſoleat. Tumorem plures aperiunt illo ferramento, quo aſcite laborantibus aqua ex abdomine emittitur. (756.) Præſtat vero, ſcalpello uti

ancipiti, quo alias, si sanguis mittendus est, venæ inciduntur. Chirurgus sinistra prehendere debet tumorem, ita, ut humorem, quantum valet, a superioribus & teste ima versus propellat, & pòst audacter transversas membranas secare, donec perveniat ad humorem. Plaga facienda est in parte inferiori atque externa tumoris. Nisi cum periculo læditur illa membrana scroti, quæ testiculos diducit, & quam in scroto linea, quam ῥαφὴν vocant, indicat, quippe arteriam comprehendit, ex qua sanguinis profusio timeri potest. Ubi omnis humor effusus est, linamenta eatenus imponi possunt, ut vulnus tegant, & id glutinari.

§. 868.

Si nihilominus vel scalpello præcisa vel rupta fuit arteria, & sanguis cum impetu ruit, quod vitium alii αἱμαλοκήλην vocant, sine mora omnis humor evocandus, vulnus latius aperiendum, idque purgandum est, ut rupta arteria oculis pateat. Sanguis devincta compressaque arteria vel admotis medicamentis cohibendus, & vulnus percurandum est. Si vero is non conquiescit, vel, si testiculus ictu, aliave re, ita læsus est, ut servari non possit, id quod humor qui exit, significat, si is ater, fæculentus & mali odoris est, promendæ sunt arteriæ venæque, ex quibus is dependet, illæque lino deligandæ & præcidendæ, testiculusque tollendus est. (857. 858. 859.)

§. 869.

Si incisis superioribus membranis humor non omnis effluxit, & ejus major adhuc modus subesse deprehenditur, altius demittendum scalpellum est, quo is, qui inter mediam imamque tunicam concurrit, etiam exeat. Sedulo videndum, ne quod ex sectione periculum sit; quod esse potest, ubi cum liquore etiam intestinum subest, quod sine pernicie vulnerari nequit.

§. 870.

Si vero effuso sic humore sanitas ex toto reddita haud fuit, & is iterum renascitur, & si vehementi malo vehementiori auxilio succurrendum est, medentes etiam in varias curandi vias processisse legimus. Quidam præcipiunt, ut acus linum trahens ex pluribus filis compositum tortumque per tumorem trajiciatur, utque id linum, quod in vulnere relinquitur, bis in die sic ducatur, ut tumorem subeat pars, quæ superior fuit. Linum vero aliquo medicamento illinendum esse addunt, ex iis, quæ cal-

lum exedunt atque aliis, quæ pus alunt. Moto enim pure teſticuli membranas, quas callus obduxit, purgari, callum reſolvi & illud humoris profluvium tandem vinci.

§. 871.

Alii, qui idem moliuntur, tumorem facta patentiori & ab inguine ad imum ſcrotum deſcendente plaga aperiunt, teſticuli membranas, vel ſcalpello, vel, ſi aliquis medicamentum mavult, adurentibus exulcerant, atque etiam ſuppurationem excitant. Utrique vero ulcus, ubi per plures dies nihil humoris ex eo effluit, illudque penitus ſicceſcit, ad cicatricem perducunt. Nec deſunt, qui, tumorem non ſcalpello, ſed impoſitis adurentibus aperiendum eſſe, exiſtimant, cum iis protinus pus citari poſſit.

§. 872.

Curationibus vero his difficultatem facit inflammationis vehementioris timor. Nam non ſolum inciſis & exulceratis tunicis, ſed ipſi etiam teſticulo, inflammatio ſupervenire ſolet, quæ, ſi cum magno dolore atque febre eſt, ægrum in malis eſſe oſtendunt. Teſticulus enim cum inflammatione intumeſcit, ut videtur, eam ob cauſam, quam ſupra adduxi. (854.) Id vero ſignificat lumborum dolor, ſi is ægrum etiam molliter cubantem affligit, qui, ſi increbreſcit, peſſimum ſignum eſt. Qua ratione his ſuccurri poſſit, alibi propoſui, (130. ad 133.) ubi etiam executus ſum, quæ ſcroto, ſi id inflammatum eſt, idonea ſunt. (134.)

§. 873.

Ubi autem tumor majori plaga inciſus, oræ etiam exulceratæ fuerunt, id quod ſine inflammationis periculo haud fieri poteſt, & ubi nihilominus vulnus adhuc madet, multum proficiunt cataplaſmata & emplaſtra, quæ plurimum emolliunt atque pus citant, (91. 92.) ſi ea diutius & ſine intermiſſione ſuperhabentur. Quandoque enim illa ea ſede, ubi humoris exitus eſt, novum tumorem doloremque faciunt, & ſuppurationem excitant, atque licem curationis exitum oſtendunt *a*. In omnibus vero curationum generibus linamenta leviter & ita imponi debent, ne iis arteria & vena ſpermatica premantur. (132. 854. 855.) Homo ſemper ſupinus in lectulo contineatur, & faſcia, ſive ſuſpenſorium, ſubjiciatur tumori.

a Sectione & facta patentiori plaga, admotis etiam non ſolum propter inflammationem, ſed etiam propter pus movendum, cataplaſmatis & empla-

ſtris haud ita pridem hydrocele curata fuit, ex qua jam liquor bis fruſtra emiſſus fuerat. Vitium ortum erat ex compreſſo valentius inguine per arcubaliſtam, qua ſagittæ emittuntur.

HYDROPS SCROTI.

§. 874.

Ad ſcroti vero tumorem, (733. 863.) ſi is cum hydrope in adulto eſt, utendum eſt iis, de quibus alibi dictum eſt, (739. ad 743.) & de quibus medici præcipiunt. Si tumor concidendus eſt, ut humor exeat, utendum eſt ſcalpello tenui atque bene cultellato. Pòſt magna cura adhibenda, ne gangræna naſcatur; id quod etiam accidere ſolet, ſi humor per ſe tenuatam cutim perrumpit, vel erodit. (737.)

§. 875.

Quandoque pueri naſcuntur, quibus ſcrotum intumuit; quæ res oriri videtur, ſi infans in utero ita compoſitus fuit, ut verenda preſſa fuerint. Tumor ſæpe per ſe diſſipatur, opitulantur vero vegetabilia, quæ reſolvunt atque diſcutiunt, (79.) ſi ex vino rubro, vel aqua, cui acre acetum adjectum fuit, coquuntur, & panni ex liquore bene expreſſi calidique imponuntur. Nec inutilia ſunt emplaſtra, de cumino, diaphoreticum, ſi ei aliquid ex emplaſtro de meliloto adjicitur. Tenerior vero cutis ſæpe emplaſtrorum impatiens eſt, quæ, ſi id deprehenditur, protinus tolli oportet.

KIPΣOKHΛH.

§. 876.

Supereſt, ut de genere vitii dicam, quod olim Græcis κιρσοκήλη, Latinis ramex *a*, dictum fuit. Interdum enim venæ crebrius commemoratæ, ubi per inguen ad teſticulos deſcendunt, intumeſcunt, &, quaſi conglomeratæ, tum inguina, tum ſcrotum, implent. Vel oculis patent, vel, ſi magis conditæ non æque quidem cernuntur, habent aliquid tumoris pro venarum magnitudine & modo, qui prementi etiam renititur. Vitium naſcitur, ſi ſanguis in corpore malus eſt, craſſus, ater atque concretus, qualis interdum eſſe ſolet literarum cupidis, quibus ſtudii ratio omnem corporis curationem exercitationemque detrahit. Nec minus hoc aliis frequens eſt, quibus totus corporis habi-

tus ex ſcorbuto, cachexia, aliiſque diuturnis gravibuſque morbis, vitiatus eſt. Non raro etiam venæ iis tument, qui concubitum nimis concupiſcunt, vel, qui inflammato animo venereis cogitationibus immorantur. Solent etiam interdum hæ ſedes ex illato ictu intumeſcere, vel, ſi venæ perizomate, aliave vinctura, compreſſæ fuerunt.

a Vid. de hac voce JOH. BEVEROVICII Epiſtolicas quæſtiones p. 99.

§. 877.

Hoc vitium inter initia facilius avertitur, quam, ſi id vetuſtate confirmatum eſt, tollitur. Illud cauſæ æſtimatio ſolvere aliquando poteſt. Si vitium in toto corpore conſiſtit & ſanguis abundat, is mittendus eſt, & cum corporis exercitatione adhibenda dilutiſſima & frigida potio. Multum ſolent his prodeſſe aquæ minerales. Aliis cum his victus ſubtrahendus eſt, & cibus dandus, qui minus alimenti præſtat. Hi etiam monendi ſunt, ut animum a libidinoſis cogitationibus abducant. Si vero venæ, vetuſtate jam occalluerunt, vitium haud facilem curationem recipit. Auctores multi ſunt, incidendas eſſe tumidas indurataſque venas, & ſanguinem concretum ex iis educendum, vulnera vero iterum ad ſanitatem perducenda. Sed hoc vix ſine periculo fieri poterit, niſi remiſſiores laxioreſque venæ fuerint. Nam in aliis, quæ occalluerunt, ſectio non ſine periculo eſt. Metuendum etiam, ne ex vulnere relicta cicatrix venas magis devinciat prohibeatque, quo minus ſanguis in eas permanare ſine impedimento poſſit.

Φ Ι Μ Ω Σ Ι Σ.

§. 878.

Si glans ita contecta eſt, ut nudari non poſſit, φίμωσις dicitur. Quod vitium aliquando urinæ iter præcludit, crebrius etiam prohibet, quo minus medicamenta, ſi his opus eſt, inter glandem & cutim ingeri poſſint. Hoc pueris interdum naturale & a nativitate eſt. Ceteroquin hoc iis, quibus majus & ſpatioſius præputium eſt, crebrius ex aliis occaſionibus incidit, præcipue, ſi vel hoc, vel glandem, illud malorum ulcerum atque verrucarum genus, quod ex tabo venereo naſcitur, infeſtat. His enim verrucis ſubduris, & ulcerum, ſi illis callus in-

ductus fuit, oris calloſis, premuntur venæ per cutim diſcurrentes, ut humor per eas revertere nequeat; id quod præcipue incidit, ſi ulcera frenum & glandis elatiorem circulum occupant. Acris præterea ac purulentus humor, qui gonorrhœa laborantibus ex urinæ itinere fertur, ſi inter glandem atque præputium confluit, has partes rodit, inflammationes movet & exulcerationes excitat. Neque dubium eſt, ex alio humore ſubpingui, qui ex glandulis in glandis circulo poſitis exit, & quo, & cutis, & ipſa glans, naturaliter circumliniuntur, ſi is, vel vetuſtate, vel ex venereo tabo, acrior fit, prurientem exulcerationem fieri, & interdum φίμωσιν naſci *a*. Etiam obſervatione notatum legimus, eadem ſede, inter glandem atque ejus cutim concreviſſe plures calculos, qui his partibus inhærentes etiam inflammationem moverunt & hoc vitium attulerunt *b*.

a Eſt peculiare gonorrhœæ genus, ſi vitiatus humor in rara & ſpongiæ aſſimili glande hæret, & hæc eum quaſi exſudat. Vide BOERHAVII Præfat. in Aphrodiſiacum, & Celeb. ASTRUCCIUM de Morbis venereis L. III. Cap. III. §. 2. p. 190.

b Vid. H. A. R. Sc. MDCCVI. p. 30.

§. 879.

Nonnumquam hoc vitium medicamentis removeri poteſt. Emollientes herbæ ex lacte coquantur & decocto ejuſque vapore foveatur coles. Super hunc etiam panni collocari poſſunt bene calidi ex hoc liquore expreſſi. Is etiam mediante ſiphone crebrius inter cutim glandemque inſerendus eſt. Homo deſidere debet in aqua cum mollientibus incocta. His enim efficitur, ut relaxata extenuataque cutis reducenti pareat, id quod vi quoque experiendum eſt. Tum ſuperdari medicamenta poſſunt, quæ ulcera ad ſanitatem perducunt, de quibus dicam, cum ad ulcera pervenero.

§. 880.

Si vero his parum profectum eſt, cutiſque haud ſequitur, malum, quod medicamentis non cedit, manu curandum, & glans ſcalpello aperienda eſt. Sunt, qui cutim, quæ ſuper glandem eſt, adducunt atque extendunt, eamque protinus forfice præcidunt. Sed præſtat, cutim ab inferiori parte recta linea glandis circulum verſus incidere, & ſic glandem nudare. Ad id idoneus eſt minor & admodum tenuatus ſcalpellus, iſque aliquantum falcatus. Hujus mucroni adfigitur cera, quo is, ſine

offenſione inter cutim glandemque ad hujus circulum uſque poſſit demitti. Hoc ubi factum eſt, mucro inclinatur, ut is per ceram compulſus tranſverſam cutim a ſummo glandis circulo ad extremum uſque ſecet. Commode etiam res forfice agitur, cui alter mucro retuſus eſt. Neceſſarium vero eſt, ut ante ſectionem miniſter cutim ſuper colem digito prehendat, & quantum poteſt, pubem verſus trahat, quo glans tota hac ſectione aperiatur.

§. 881.

Diſcindi vero ſolet cutis ea parte, qua occalluit. Nam duritia oſtendit, eo loco potiſſimum ulcera ſubeſſe, quæ incidi commodiſſimum eſt. Si vero inferius cutis inciditur, glans non ſatis patefieri poteſt. Melius res ſuccedit, ſi ſuperior cutis ſecatur, ubi tamen metuenda eſt gravior ſanguinis profuſio, quam ſupprimere non ita facile eſt. Commodius igitur cutis e latere inciditur. Si aliquæ membranulæ prohibent, quo minus cutis a glande diduci queat, illæ ſcalpello reſolvantur, donec tota glans ante oculos ſit. Ne etiam faneſcente vulnere cutis cum glande cohæreſcat, interponenda ſunt linamenta, quæ id prohibent.

OEDEMA PRÆPUTII.

§. 882.

Hoc vitium, quod alii tumorem, vel bullam cryſtallinam, appellant [a], & quod frequentius priori vitio accedit, ex ſimilibus cauſis oritur, ſi lympha per ei accommodatas venas in alias ſanguini idoneas revertere nequit. Id, niſi ei minime diſtans curatio adhibeatur, ad gangrænam ſpectat. Adverſus id vero etiam auxilium in emollientibus eſt, ex quibus fomenta, epithemata atque cataplaſmata fiunt & ſuperhabentur. Si vero tumor jam gangræna affectus eſt, emollientia ex aqua, quæ calcem vivam excepit, coqui, & iis adjici poſſunt alia, quæ ulceri purgando idonea ſunt, radix ireos Florentinæ, ariſtolochiæ, herba rutæ, abſinthii. Aliena ſunt omnia, quæ lympham cogunt & inter hæc præcipue alcohol cum camphora.

[a] Vid. Celeber. ASTRUCCIUS l. c. T. I. L. III. C. VIII. p. 361. Edit. nov.

ΠΑΡΑΦΙΜΩΣΙΣ.

§. 883.

Contra, ſi glans, quæ naturaliter longiori, aſt nimis arcta, cute contecta fuit, ita nudata eſt, ut hæc rurſus induci nequeat, παραφίμωτις vitium dicitur. Eſſe ſolet cum magna inflammatione, ex qua omnia magis intumeſcunt, præcipue, ſi inflammato freno, ſive illa membranula, qua præputium coli inferius adſtringitur, hic retrahitur, vel, ſi is inflatis corporibus cavernoſis tentigine rumpitur.

§. 884.

Id ex varia occaſione naſcitur, frequentius, ſi ex inflammatione coles intumuit, & præputium, quod quandoque in junioribus valde anguſtum eſt, vi adhibita fuit diductum. Inflammatio ſæpe oritur, ſi ulcera, vel in glande, & ultra eam in cole, vel in præputii ulteriori parte, ſunt, illaque latius altiuſque ſerpunt.

§. 885.

Si coles ex tentigine intumuit, interdum expeditior curatio eſt, ſi ei frigida imponitur, vel, ſi hominis haud opinantis lumbis frigida affunditur. Cum his & glans & cutis oleo inungi & hæc circa glandem, vel digitis, vel faſcia uniente, prehendi & rurſus induci debet. Si vero ulcera, vel glandem, vel cutim, infeſtant, iiſdem rationibus (878.) adhibendum lactis fomentum eſt, & acris humor eluendus. Nec alienus eſt cremor ex ſemine cydoniorum & pſyllii. (173. 288.)

§. 886.

Si autem coles vehementer ex inflammatione intumuit, incidi poteſt vena, quæ ſuperius per tergum colis fertur, & per quam ſanguis ex corporibus cavernoſis revertitur. Si autem nec hoc modo malum victum fuit, minime differendum, ſed protinus incidenda eſt ipſa cutis ea parte, qua illa colem arctius comprehendit, & quaſi ſtrangulat, ſic, ut prius cutis, quantum fieri poteſt, verſus pubem reducatur. Vulnus ita glutinandum, ut cutis increſcat & latitudo cicatricis ſatis velamenti præſtet. Videndum etiam, ne cutis glandi agglutinetur. (880.) In omnibus his curationibus neceſſaria eſt potio dilutiſſima atque victus a fame propior. Coles etiam ſemper ſurſum & ad ventrem deligari debet.

VERRUCA.

§. 887.

Super varias corporis ſedes, præcipue ſuper faciem atque manus, verrucæ interdum eminent, quorum diverſa nomina ſunt. Ἀκροχορδόνα vocant, ſi tuberculum durum eſt & aſperius, ad cutem tenue, ſupra latius. Ἀκροθύμιον vocatur, quod ad cutem latius, ſupra tenue, ſubdurum & in ſummo peraſperum eſt, & in quo ſummum colorem floris thymi repræſentat. Μυρμήκια humiliora durioraque ſunt, infra lata, ſupra tenuja *a*. Peſſimæ verrucæ in obſcœnis naſcuntur ex venereo morbo. Quibuſdam porri dicuntur. Sæpe finduntur, & aliquantum ſanguinis fundunt.

a Vid. CELSUS L. V. C. 26. §. 14.

§. 888.

Naſcuntur ex papillis nerveis, quæ in cute, labris, peniſque glande, ſunt, ſi hæ intumuerunt atque induruerunt. Hoc accidere videtur, ſi illarum radices varia occaſione ita premuntur, ut humor, quo illæ aluntur, revertere nequeat. In hominibus lue venerea ægris hoc accidit crebrius in glande penis, in qua plures & exquiſitum ſenſum habentes papillæ ſunt, vel, quod tenerior & celluloſa tunica, quæ in glande penis ſub cuticula eſt, & qua papillæ conteguntur, ab acri humore exeſa fuit *b*, vel, quod radices papillarum a virulento humore affectæ induruerunt *c*. Id quod etiam in cute fieri a vero propius eſt. Ex his intelligitur, cur exciſæ etiam vel medicamentis aduſtæ verrucæ renaſcantur, niſi etiam tollantur radiculæ, quas quandoque altius exigunt.

b Vid. BOERHAAVE Præf. in Aphrodiſiacum.
c Cel. ASTRUCCIUS l. c. L. III. C. IX. p. 280.

§. 889.

Nonnumquam per ſe finiuntur verrucæ, ex quo incidit, ut plures alia atque alia auxilia adverſus eas propoſuerint, ut magis appareat, quid quiſque ſibi perſuaſerit, quam, quod evidenter compererit. Tolluntur, ſi, adhibita prius frictione, ſcalpello raduntur atque præciduntur, & radiculæ etiam concidunturtur, ſuper plagam vero dantur medicamenta adurentia. Ex horum numero reliquis præferri debet lapis infernalis. Adhiberi

etiam poteſt butyrum antimonii, ſpiritus vitrioli, nitri. Si verruca parum dura eſt, illa quandoque ſucco eſulæ & chelidonii obedit. Ne, quæ circa ſunt, exulcerentur, ea contegi poſſunt emplaſtro, quod in medio foramen habet, ut ex ea verruca emineat. Etiam cura habenda eſt, ne adurentia ſubjectas alias partes, præcipue tendines, lædant, & graves inflammationes moveant. Cujus rei major metus eſt in palpebris, quæ ſummam teneritatem habent *a*.

a Quamdiu hæc medicamenta palpebris admoventur, in oculum inſeri debet axungia, quo ejus membranæ cuſtodiantur. Hominem oportet pronum cubare, ne acre medicamentum inter palpebras defluat. Vide hiſtoriam infelicis curationis in BIDLOO Exerc. Anat. & Chir. IX. in Opp. p. 114.

§. 890.

Quidam verrucam, ſi in cute eſt, multum & per plures dies perfricant, illique emplaſtrum imponunt, atque ſic molliunt; pòſt circum circa cutim incidunt & tuberculum volſella prehendunt, atque ita evellunt, ut etiam radicula ſequatur, nihilominus plagæ adurentia illinunt. Ἀκροχόρδον, ſi lino vehementius adſtringitur, emoritur. Verrucæ, quæ ex venereo morbo enatæ ſunt, ſi tolluntur, revertere ſolent, niſi vitium, quod in humidis eſt, idoneis medicamentis elidatur. In majori vero vetuſtoque malo major vis neceſſaria eſt. Percurato vero morbo venereo ad tollendas verrucas ſatis lenia medicamenta proficiunt.

CLAVUS.

§. 891.

Clavus in pedibus maxime naſcitur, qui dolorem impatibilem ingredienti movet. Radiculam habet, quam etiam quandoque altius, & ad digitorum tendines, immo ad perioſtium uſque exigit. Naſcitur, ſi pedes horumque digiti arctioribus urentibuſque calceis comprimuntur. In cute enim, vel etiam tendine ac oſſis membrana, compreſſis ea ratione minoribus fiſtulis, humor per eas revertere nequit, ſed effluit & inter minores fibras occalleſcit. Huic etiam, preſſu, ſi manet, quotidie & incrementum & major duritia accedit, ita, ut tandem compreſſis etiam ſanguini accommodatis arteriis veniſque cutis atque tendo & membrana, qua os contegitur, inflammationem accipiant, vehementerque doleant. Ipſe enim clavus ſine dolore eſt, ſed, quia

ejus radicula plerumque tendini vel perioſtio altius inhæret, is etiam ſcalpello non ſine metu tollitur.

§. 892.

Prohibentur clavi, ne in pedibus naſcantur, neque, ſi adſunt, dolorem moveant, ſi homo laxioribus calceamentis utitur, & ſi is tibialia ita induit, ne etiam hæc digitos pedis ſtringant. Ubi vero clavi jam eminent, commodiſſimum eſt, eos balneo, impoſitis idoneis emplaſtris, emplaſtro de cicuta, malactico, viridi, vel cera viridi, mollire, illoſque ſcalpello ita radere, ut callus diducatur, hoc vero diducto, iterum illa emplaſtra & imponere & diutius ſuperhabere. Cura adhibenda eſt, ne ſcalpello tendo vulneretur, cum ex minori etiam plaga quandoque graviſſima & funeſta inflammatio orta fuerit. Vetus clavus, quamvis ſic exciſus, ſæpe revertitur, qui vero tandem ſub repetita curatione paulatim emoritur. De condylomate & aliis tuberculis, quæ ad anum oriuntur, dicam infra, ubi alia vitia, quæ anus recipit, exponam.

ULCUS.

§. 893.

Ulcus dicitur, ſi in qua corporis parte molli læſio, ſeu continuitatis ſolutio, eſt, ex qua, nec ſanguis, nec bonæ notæ pus, ſed alius humor corruptus, exit, & quo humore partes ſolidæ ulceri junctæ roduntur, tandem etiam fluida, quæ in corpore ſunt, vitiantur. Talis verò corruptus ſuccus prohibet, quo minus ulcus per ſe, ut vulnus, ſaneſcere poſſit, quod igitur aliam curationem requirit. Hoc apparere cuilibet ex prioribus (336.) poteſt.

§. 894.

Per omnes corporis partes ulcera oriuntur. In oſſibus vero illis alia nomina ſunt. Præcipue vero illa infeſtare ſolent adipem illamque celluloſam tunicam, qua non ſolum carnes, ſed carnium etiam fibræ, glandulæ, aliæque partes, continentur.

§. 895.

Ulcera plerumque fiunt, ſi corpus mali habitus eſt, & in eo humida corrupta ſunt. Itaque per ſe illa naſcuntur in homine, quem ſcorbutus, venerea lues, cacochymiæ & cachexiæ varium genus, nec non aqua inter cutem, male habet. Sed vero etiam in ulcera degenerant vulnera atque aperti abſceſſus. Hoc accide-

re poteſt in homine integro & ſaniſſimo, ſi minora laceratarum arteriarum venarumque ora rebus extrinſecus admotis ita immutantur, ut ex iis, nec ſanguis, nec pus bonæ notæ, exire poſſit, ſed ſanies, vel humor tenuis atque cutim aliaſque huic junctas partes erodens, vel craſſior atque glutinoſior. Nam talis humor haud aptus eſt, ut ex eo vulnus, vel glutinari, vel impleri, vel ad cicatricem ſanitatemque perduci poſſit. (348. 351.)

§. 896.

Negligentia igitur medentium hoc fieri poteſt, ſi impoſitis linamentis turundiſque, faſcia etiam adſtrictiori, vulnera atque aperti abſceſſus valenter premuntur: ſi vulneri colliſo nondum per digerentia purgato ſuperdantur balſama, vel alcohol, nec non ſi ſuper omne vulnus injiciuntur nimis acria atque rancida: ſi pus, quod corporis calore & aëre corrumpitur, non extergitur, ſed in vulnere relinquitur; quibus omnibus & aliis arteriarum, per quas vitalis ſuccus permanat, ora adſtringuntur. Pus vero etiam craſſius atque glutinoſius fit, ſi medentes in uſu medicamentorum diutius perſiſtunt, quæ materiam digerunt atque pus excitant, nec non in uſu fomentorum, quibus partes, quæ junctæ ſunt, & præcipue illarum arteriæ, remiſſiores fiunt. In corpore vero corrupto vitioſoque etiam corruptum humorem ad vulnera permanare neceſſe eſt, qui naturaliter, tum corporis calore, tum aëre, multo acrior fit. (Conf. 336. 340. 348. 388. 389. 391. 392. 402.) Omnia, quæ in vulnere atque abſceſſu, ſi jam pus alunt, novam inflammationem movent, facere ſolent, ut in ulcera ſerpentia degenerare poſſint.

§. 897.

Genera vero nominaque ulcerum plura ſunt. Multum enim inter ſe diſtant, ratione ſedis quam infeſtant, ſi in cute quæ capillis contegitur, in adipe, glandulis, muſculis, tendinibus, ligamentis, articulis, vel qua cava ſede, fiunt; nec non, quæ circa oculos, nares, aures, fauces, tonſillas, linguam, palatum, gingivas, labra, mammas, alvum, genitalia, ſunt. Aliquid etiam in figura & magnitudine eſt, ſi illa altius penetraverunt, vel brevia ſunt. Etiam aliquid tempus confert, cujus ratione ulcus vetus vel recens eſſe ſolet. Ulcera, quæ anguſta ſunt, & vel recta, vel flexa, & tortuoſa, intus feruntur, & ſæpe in plura dividuntur, ſinus vel ulcera ſinuoſa vocantur, quibus ſi callus

accedit, nomen fiſtulæ eſt. Si vero ulcus rotundum oras duras, tumentes, craſſas, habet, id calloſum appellatur. Quin etiam ulceribus alia nomina imponuntur, ſi illa a quodam vitio, quod in corpore eſt, a malo venereo, ſcorbuto, cacochymia, orta ſunt. Aliquid confert humor, qui ex his exit, qui, ſi copioſus eſt, ulcus humidum, ſi exiguus & glutinoſus, aridum & durum dicitur. Humor etiam tenuis glutinoſus, craſſus, ſubalbidus, muco ſimilis, lividus, pallidus, aut niger, quaſi unguinoſus, atque cum malo odore eſſe ſolet. Interdum aliud vitium acceſſit, & ulceri os vitiatum ſubeſt. Nonnumquam ulcus inæquale eſt, & ei vitiata caro ſuperincreſcit. Ulcus malum, & quod, quia humida in corpore corrupta ſunt, vel quia fibræ, tum circa ulcus, tum in omni corpore, laxæ ac reſolutæ ſunt, difficilius ſaneſcit, κακοηθὲς δυσαπόλωλον Chironium *a* ac Telephium *b* vocatur. Quod fere deſperatum eſt, quale in ſenibus quandoque eſſe conſuevit, malum mortuum nonnulli dicere ſolent. De carcinomate, quod peſſimum ulcerum genus eſt, & glandulas inprimis occupat, ſupra retuli. (264. ad 274.)

a Vid. CELSUS L. V. C. XVIII. §. 5.
b GALENUS de methodo medendi L. XIV. Cap. XVII. T. X. p. 339. conf. PLINIUS H. N. L. XXV. Cap. V. T. II. p. 365.

§. 898.

Genus etiam humoris, qui ex ulcere effertur, docet, quas corporis partes illud perroſerit. Humor ille tenuis & rodens eſſe ſolet, ſi is ex cute exulcerata exit. Ulcera vero, quæ in ſumma cute fiunt, ſine altitudine lata eſſe ſolent, & quæ, ſalſo pruritu moleſta, crebrius accedente inflammatione exaſperantur. Ex locis, qui multa & pinguiori lympha abundant, velut in capillis, præcipue infantum, nec non in facie aliiſque locis, ubi glandulæ ſebaceæ copioſiores ſunt, exulceratio mucoſa eſſe ſolet, & humor percraſſus in cruſtas ſubpingues concreſcit, quæ ſurgunt, interdum madent, ſæpius ſiccæ ſunt. Si adeps ulcere tentatur, quam principem & frequentiſſimam ſedem eſſe dixi, (893.) oleum rancidum fit & rodens, & quod tenue, ſubalbidum, quaſi unguinoſum, pinguitudine oleo albo non diſſimile, ex ulcere provenit, hoc etiam utplurimum in plures partes & altius penetrat ac non raro in ſinus dividitur, qui, ſi vetuſtate calloſi fiunt, in fiſtulas degenerant. Si ſaliva in glandulis ei ſecernendæ ac-

commodatis ulcere corrumpitur, humor copiosus, tenuis, valde rodens, cum multo pruritu ac dolore, exit, qui etiam glandulas & iis junctas partes vorat & ulcera profunda, κακοήθεα, callosa relinquit. In carnibus si ulcus fit, id putre esse solet & male olere. Sanguis enim, si corrumpitur, hunc odorem excitat. Si ulcus in articulo est, humor exit multus, subcrassus, subalbidus, albo ovi similis. (Conf. 357.) Intolerabilis odoris fœtidas est in ulcere, cui os vitiatum subest, quod etiam sentitur, si id specillo contingitur. Extracto etiam specillo id patet, quippe in quo, si ex argento est, corruptus humor nigrorem excitat. Caries quibus notis cognosci possit, infra docebo.

§. 899.

Ulcera, quæ in exterioribus sedibus fiunt, oculis subjecta sunt: in ea etiam demitti specillum potest, quod docet, quo tendant, & quam alte perveniant. Ex renisu etiam & ex ipsa sede patet, ad quam partem perventum sit.

§. 900.

Ulcerum omnium commune est, ea non facile per se sanescere; quin etiam longe difficilius, quam vulnera, curari. Si ea ex malo corporis habitu & vitio, quod in humidis est, ex morbo venereo, scorbuto, cachexia, nascuntur, ea numquam facile sanescunt, nisi corruptus humor, qui intus nocet, congruis auxiliis evocatus & corporis habitus mutatus fuerit. Nam si etiam in corpore vitioso vi adhibita cicatrix inducta fuit, illa vel iterum rumpitur, vel ulcus juxta eam renovatur. Multum etiam mali ulceribus accedit, si ea vetera sunt, & eorum jam consuetudo facta est, præcipue in corpore senili. Nam non solum illorum difficilior curatio est, sed etiam, si idoneis medicamentis eo perventum est, ut glutinari possint, id plerumque sine magno periculo fieri nequit *a*. Nam esse etiam aliquam corporis therapiam per ulcera, id genus docet, quod arte, & data opera, fieri solet, de quo protinus dicam. Nec tutum est, ulceribus mederi, quæ in feminis fiunt, quibus menstrua non proveniunt. Usus enim ostendit, tales, quibus mala vetustaque ulcera ita curata fuerunt, aliis gravioribusque morbis, apoplexia, asthmate & catarrho suffocativo, inflammationibus viscerum, corripi, & non raro subito rapi. Eadem mors, vel grave mortis periculum, senibus denuntiatur, si ulcus, quod, aut ante, aut in

ipſo morbo, natum eſt, ſubito aridum & aut pallidum, aut lividum, factum eſt *b*. Longe difficilius ulcera ſaneſcunt, quæ circa cutem, membranas tendineſque atque articulos fiunt, nec non, quæ in aliam ſedem cavam, veluti pectus, vel articulum penetrant. Nec ulcera vincuntur, niſi pars quæ laborat, contineatur atque quieſcat. In corporibus integris beneque valentibus, aſt aſſiduis laboribus exercitatis, quandoque ulcera, etiam vetuſta, celerrime, & fere per ſe, ſaneſcunt, ſi ſola adhibeatur quies; id quod in cruribus maxime accidere ſolet, quæ præ aliis deſiderant, ut æger in lectulo contineatur. Ceterum humor, qui ex ulcere exit, docet, quid ſperandum ſit. Peſſimus eſt nimium aut tenuis & rodens aut craſſus & glutinoſus, colore lividus, niger, & qui male olet. Carcinoma nullam curationem recipere, niſi excidatur, ſupra dixi. Si ulcera oſſibus vitiatis ſupernaſcuntur, nec ea curari poſſunt, niſi prius ſanitas oſſibus reddita fuerit. Et quæ jam ſana videntur, iterum exulcerantur *a*. Hæc enim ulcera ſæpe non a cute, ſed ab interioribus partibus atque perioſtio incipiunt.

a Vide HILDANUM Cent. III. Obſ. 29. LE DRAN T. I. Obſ. 33.
b HIPPOCRATES Prognoſt. Sect. IV. T. I. p. 450. & in Coacis p. 571. CELSUS L. II. C. VI.

§. 901.

Ulcus haud ſaneſcit, niſi fuerit ita purgatum, ut a recenti vulnere haud diſcrepet: quod ſi factum eſt, illud, ut cetera vulnera, impletur, atque ei tandem cicatrix inducitur. Purgatur vero ulcus, ſi, tum intus datis, tum extrinſecus admotis, medicamentis efficitur, ut bonus & ad vulnus implendum idoneus ſuccus ex diſruptis arteriis in id fluat.

§. 902.

Si vero de prioribus incipiendum eſt, non omnibus ægris eadem medicamenta conveniunt. Sedulo conſiderari debet homo & totius corporis habitus, præcipue, ſi ulcera a vitio intus orto nata fuerunt. Animadvertere enim oportet medentem, quidnam ſit, in quo laboratur. Si enim corpus integrum eſt, & ulcus ex vulnere per impoſita aliena enatum fuit, medicamenta quæ ore ſumuntur, fere ſupervacua ſunt, & ſaltem abſtinentia utendum eſt atque quiete. Si vero aliud vitium, venerea lues, ſcorbutus, cachexia, in humidis eſt, ſi feminis menſtrua, viris hæmor-

rhoides, olim fluere ſolitæ, ſuppreſſæ ſunt, danda ſunt medicamenta, his morbis profligandis idonea. Nam iis levatis ulcera facilem curationem recipiunt. Diligenti etiam animadverſione opus eſt, ne valentioribus medicamentis, quæ ad humida purganda dari conſueverunt, ſanguis nimium cieatur, & inflammatio moveatur, qua ulcus multum exaſperari quandoque ſolet. Medicamenta, quæ nimis calida ſunt, vel morbo, ex quo ulcera orta ſunt, minus apta, illud efficere non raro ſolent. Purgantia non prius utilia ſunt, quam, ubi neceſſe eſt, ut avertatur nimius humoris ad ulcus aditus. Nocere ea poſſunt eo tempore, quo digerentibus ulcus purgari debet. Sæpe igitur medicamenta, quæ ad diſcutiendum malum a medicis dantur, ulcera irritant, ſemper vero multumque prodeſt quies & abſtinentia, atque ſi æger modico cibo utitur, ſibique omne acre, ſalſum, aceſcens, immo carnem omniaque jurulenta ſubtrahit, a vino etiam & omni valentiori potione abſtinet atque aquam vel ptiſanam bibit. (Conf. 402.)

§. 903.

Hæc vero circa victum & medicamenta intus danda obſervanda ſunt. Propriam etiam & haud mediocrem animadverſionem deſiderant medicamenta, quæ extrinſecus ſuper ulcera dantur. Uſus enim oſtendit, ſæpe hæc ſuperdatis medicamentis valentioribus ac conquiſitis agitari atque plurimum intendi, ita, ut altius latiuſque ſerpant, quæ nulla vi adhibita, ſed impoſitis nullis, vel lenibus tantum, medicamentis, quæ quaſi blandiuntur, per ſe finita fuiſſent. Ulcera autem purganda eſſe, ſupra propoſui. (900.) Id quod extrinſecus fit, ſi tollitur omne quod in ulcere impurum eſt, & quod ora minorum arteriarum præcludit; ſicque impedit, quo minus bonus & ad carnes alendas idoneus ſuccus poſſit ex iis exire. Pro modo vero illius humoris, qui ulceri inhæret, adhibenda medicamenta ſunt. Si enim minori malo major vis adhibetur, & ulceri non adeo impuro ſuper imponuntur ex rodentibus adurentibuſque vehementiora, hæc altius & latius atque in id, quod integrum eſt, penetrant, immo novam non raro inflammationem concitant, qua ulcus ſemper plurimum intenditur, ita, ut ea, quæ circa ſunt, intumeſcant. Nec vero etiam proficere poſſunt his contraria; Nam, ſi ulcus malum vetuſtumque eſt, & valde impurum, ni-

mis lenia medicamenta, quæ, haud satis purgant, nec prohibere possunt, quo minus ulcus sub his continuetur.

§. 904.

Etiam illud ante sciri necessarium est, non satis esse, ipsas medicamentorum facultates intueri, sed etiam, quomodo misceantur ea, quæ ex his fiunt. Multum enim interest, si acre, rodens, atque adurens medicamentum aridum, contusum, contritumque super ulcus inspergitur, vel, si madefactum per breve tempus super id tenetur, &, ubi adussit, iterum submovetur; si ulcus aqua, aliove liquore, quo tale medicamentum dilutum fuit, eluitur, vel, si validum medicamentum cum aliis mixtum & oleo, axungia, cera exceptum illinitur.

§. 905.

Neque vero in medicamentorum misturarumque generibus tantummodo discrimen est, sed etiam in ipsis locis, quibus illæ admoventur. Si enim locus nervosus est, is ægrius fert vehementiora, quibus si agitatur ulcus multum intenditur. Si ulcus in cute est atque in glandulis, desiderantur exedentia, ast, quæ etiam reprimunt. Si locus musculosus est, imponi possunt cum exedentibus adurentibusque medicamenta, quæ pus movent, ut cum hoc id, quo ulcus corruptum est, exeat. Sæpe, si omnia parum proficiunt, expeditissimum est, ulcera, quæ valde impura sunt, callosaque atque vetusta, usque ad sanam carnem excidere, &, ulcere ablato, superdare medicamenta, quæ pus citant, & quæ implent. Si commode totum ulcus excidi nequit, concidendæ sunt oræ callosæ. Si in ulcere aliquid durum est, atque eminet, id etiam scalpello exulcerandum est & superdandum medicamentum digerens & quod pus movet. Præcipue ad id aptum est emplastrum diachylon compositum. Veteres etiam igne ulcera adusserunt, id quod crudele & a nostra ætate alienum videtur.

§. 906.

Ulcus igitur, quod in adipe, vel loco musculoso est, & quod nec valde impurum nec humidum in corpore integro est, non aliam curationem desiderat, quam, quæ vulneri collisо, vel abscessui aperto, necessaria est. Satis proficiunt medicamenta, quæ pus movent, digerunt, atque sic purgant, tandemque im-

plent. Omnia diligenter facienda ſunt, quæ in vulnerum curationibus præcepi. (384. ad 402.)

§. 907.

Adverſus ulcera autem magis ſordida adhibenda ſunt medicamenta, quæ ad purgandum paulo valentiora ſunt. Quale eſt, ſi radix ariſtolochiæ, ari, ireos Florentinæ, herba agrimoniæ, ſcordii, abſinthii, ſabinæ, peti, ex aqua coquuntur & ulcus hoc decocto, præcipue, ſi id profundum cavumque eſt, eluitur. Huic commode mel adjicitur, ſi ulcus in partibus muſculoſis, idque aridum eſt. Si ulcus humidum eſt, utendum eſt ad decoctum aqua, quæ calcem vivam excepit.

§. 908.

Si vero ulcus adeo impurum eſt, ut, nec tactum, nec medicamentum, ei admotum, ſentiat, illud validiora deſiderat. Apti ſunt ſales, vitriolum uſtum, alumen, ærugo. Etiam non aliena ſunt horum ſalium liquores, phlegma vitrioli, vel aluminis. Longe magis adurunt alii liquores, etiam chemica arte parati, oleum & ſpiritus vitrioli, nitri. Ad ulcera calloſa ipſaſque fiſtulas purgandas plurimum poteſt ſpiritus ſalis ammoniaci, qui, ſi admovetur, dolorem ſubitum acerbumque adfert, ſe vero protinus remittentem, cum ex aliis medicamentis, præcipue ex illis unguentorum compoſitionibus, is diutius remaneat. In hos vero liquores, qui vehementer adurunt, demittendum ſpecillum linamentis involutum, & ſuper ulcus hujuſque callum tenendum eſt. Ex frequentiſſimis compoſitionibus ſunt unguentum Ægyptiacum & Apoſtolorum, quæ in locis nervoſis glanduliſque fere aliena ſunt, & ulcera etiam, quia varia admixta habent, ſordida reddere conſueverunt. Proprie autem mala ulcera adurunt, iiſque tamquam igne aduſtis cruſtas inducunt, lapis cauſticus chirurgorum, qui ex calce viva & cineribus clavellatis conſtat, &, qui maximi effectus eſt, lapis infernalis. Hæc vero ita admoventur, ut ſupra ulcera earumque oras calloſas per breve tempus teneantur, non vero imponantur. Cruſta, quæ ab adurentibus relinquitur, linimentis digerentibus impoſitis reſolvitur, quæ trahit ſecum, quidquid corruptum erat, ita, ut puris ſinus implentibus curari queat.

Novam ulcera calloſa ipſoſque ſcirrhos adurendi rationem propoſuit EDUARDUS BARRY *in the Medical Eſſays of Edinburgh* Vol. IV. Obſ. IV. p. 30.

Super locum jubet prius tenere lapidem infernalem, brevi autem, & poſt temporis minutum, id, quod illo medicamento aduſtum eſt, defricare mediante oleo vitrioli, quod adhibito bacillo ferreo in illud demiſſo admoveri debet. Sic enim locus ſatis aduri, mox vero omnem dolorem levari aſſeverat.

§. 909.

Ad ulcera autem mucoſa, quæ ex venereo morbo naſcuntur, majorem uſum præſtant, quæ ex hydrargyro parantur. Leniſſime exeſt mercurius dulcis, ſi is inſpergitur. Generis vero vehementioris eſt & magis idoneus mercurius præcipitatus ruber, qui vero non inſpergi, ſed unguento, linimentove, exceptus admoveri debet. Is aliquantum miteſcit, ſi alcohol ei ſuperinfuſum admota flamma incenditur, & ſuper eum deflagratur, idque aliquoties repetitur. Longe vehementius idem facit mercurius ſublimatus, qui, cum inter acriora & præſentanea venena ſit, non ita tuto ulceribus admovetur, cum etiam per hæc & vulnera corporibus noſtris venena inſerantur. Si igitur interdum neceſſarius videtur mercurius ſublimatus, ejus tamen uſum temperatum rariſſimumque eſſe oportet. Arſenicum, quod magis virulentum eſt, numquam ſine pernicie corpori poteſt admoveri. (488.)

a Vid. DEGNERI Relat. de caſu ſingulari, quo per mercurium ſublimatum in emplaſtro applicatum mors inducta fuit.

§. 910.

De his omnibus illud, quod ſupra præcepi, ſedulo tenendum, vim pro magnitudine ulceris partiſque corruptæ adhibendam, & non prius ad eas compoſitiones veniendum eſſe, quæ vehementius exedunt & adurunt, quam, ubi validioribus opus eſt. Quamprimum etiam omne id, quod corruptum erat, reſolutum & ulcus purum eſt, finis horum medicamentorum eſſe debet. Si quis nervus, vel tendo, nudatus eſt, is contegi linamentis vel ſuperinungi linimentis debet, ne is ſub iis medicamentis aduratur. Si his non protinus omne, quod impurum eſt, ſolvitur, &, propter ſenſum doloris, vel metum inflammationis, validiora adhiberi nequeunt, dividi curatio poteſt in ea, quæ mediocriter exedunt atque etiam adurunt, & ea, quæ pus movent, donec ulcus ſatis repurgatum ſit. Ulceris vero puri eædem notæ ſunt, quæ vulneris. (395.) Neceſſe vero eſt, ut æquale ſit. Si enim ulcus, quod inæqualiter purgatum, & non undique rubet atque naturaliter ſentit, implentibus curatur, putris caro ſuperincreſcit, ſub qua ultra ſerpere ulcus ſolet.

§. 911.

Ad putrem vero carnem ſupercreſcentem continendam eamque exedendam plurimum valent illi ſales, (907.) maxime vitriolum uſtum, nec non adurentia, &, qui primo loco eſt, lapis infernalis. Idonea etiam eſt compoſitio, quæ lapis divinus dicitur. (314.) Quandoque tanta vis neceſſaria non eſt, ſed id quod excrevit, tollitur aqua phagadænica chirurgorum. A victus ratione ordinandum eſt, ut æger a cibo valentiori, præcipue a carnibus, omnibuſque jurulentis, abſtineat. Ulceri etiam objiciendi ſunt denſiores panni, & vinctura adhibenda, quæ quidem nihil offendit, aſt tamen ſatis continet, &, quantum res permittit, adſtringit. Omnia medicamenta, quæ digerunt, nec non ea, quæ carnem alunt, in hoc caſu aliena eſſe, ex prioribus intelligitur.

§. 912.

Præter hæc, quæ intus in ulcera infunduntur indunturque, ſunt alia quædam, ſuper illum locum ponenda, quæ ad felicem curationem plurimum facere poſſunt. Si enim ea, quæ circa ulcus ſunt, aliquid inflammationis habent, hæc levanda & eo concurrens materia avertenda eſt ſuper injectis medicamentis, quæ diſcutiunt. Locus duplicibus triplicibuſque pannis, in ſpiritu vini, qui camphoram excepit, tinctis, contegendus eſt, vel admoveri poſſunt epithemata ex vegetabilibus amaris. (79.) Emplaſtra, quibus plures utuntur, non ita opportuna ſunt, etiamſi iis camphora admiſceatur. (76.) Cum his abſtinentia & quies inprimis neceſſariæ ſunt. Si pus movendum eſt, humor vero ex ulcere fertur tenujor, plurimum valent emplaſtra, (385.) quæ & pus citant & aëra avertunt. (402.) Sedulo conſiderandus, tum totius corporis, tum nervorum & loci, in quo ulcus eſt, habitus. Nam, ſi locus rarus eſt, remiſſus & fere reſolutus, cutis etiam relaxa eſt (id quod, & oculis patet, & digito, ſi pars contingitur, ſentitur) præter medicamenta, quæ roborant atque reprimunt, faſcia injicienda eſt, quæ non ulcus tantum, ſed utrimque totum membrum amplexa paulo magis adſtringitur, qua, ſi ulcus in cruribus eſt, præ ceteris opus eſſe ſolet. (168. 735.) Si vero circa locum aliqua duriora ſunt, quam eſſe naturaliter debent, ſuperdanda ſunt emollientia, (91.) & præcipue illa emplaſtra. (168. 385.) Faſcia vero ita injici de-

bet, ut ea, quæ impoſita ſunt, contineat, minime vero adſtringat. Cetera, quæ pertinent ad implendum, ad cicatricem inducendam, conveniunt vulneribus, & ſupra expoſita ſunt. His omnibus diligenter obſervatis, plerumque feliciter cedit curatio. Nonnumquam tamen ulcera fatigare medentes ſolent, & cum difficultate curantur, atque etiam quædam inſanabilia reperiuntur.

§. 913.

Sed hæc communia ſunt, propria vero quædam in cruribus viſenda ſunt, in quibus frequentius ulcera naſci compertum eſt. Illa præcipue in cute latius ſerpunt, & igitur deſiderant medicamenta non pinguia, ſed, quæ leniter purgant, atque ſimul modice reprimunt. Nobiliſſima compoſitio eſt aqua phagadænica chirurgorum, ſi parum mercurii ſublimati, adjecta paulatim aqua calcis, teritur, & pòſt hujus aquæ major modus ei adjicitur. Hæc linamentis excepta imponitur, cui etiam eſſentiæ ſuccini, vel myrrhæ, paululum adjici poteſt. Paſtillum etiam quidam componunt ex lapide calaminari & lithargyrio, quæ in oleo olivarum coquunt & poſt olibanum & maſtichen adjiciunt. Hunc paſtillum, quem alii ad emplaſtra referunt, oportet affuſa calida prius liquare atque mollire, & ſic ſuper ulcus dare, qui reprimit & ſatis adverſus humida ulcera poteſt. Ante omnia vero ſciri oportet, hominem, cujus crura ulcus habent, ita continendum eſſe, ut is in lectulo jaceat, utque crura, neque moveantur, neque dependeant. Magnum enim ex quiete præſidium eſſe ſolent. (899.)

§. 914.

Si vero ulcera qua parte ſunt κακοηθέα, &, quæ vel nullam curationem recipiunt, (896.) vel, quæ ſanari tutum non eſt, (899.) illa tamen quotidie purganda ſunt. His ſuperdari debent leniora, ex quorum numero aqua iſta phagadænica fere prima eſt. (912.) Huic etiam, ſi ulcus putre fit, & ex eo humor exit mali odoris, vel aqua vulneraria, vel eſſentia myrrhæ atque ſuccini, commode adjicitur. Ulcus ejuſmodi, ſi aridum fit, id quod quandoque accidere ſolet, ſi corpori ultima infirmitas imminet, (899.) concitari debet atque exaſperari, quo iterum humor ex eo exeat. Id præſtant radix ellebori albi, ireos Florentinæ, ariſtolochiæ rotundæ, additis etiam cantharidibus, quæ omnia, vel arida inſperguntur, vel melle & digerente medica-

mento excepta, illinuntur. Utilia etiam ſunt emplaſtra, (385.) nec non epithemata, ſi injiciuntur. Hæc vero fieri debent ex amaris diſcutientibus, quæ commode in vino decoquuntur. Si ex gravibus ulceribus, quæ vel vetuſtas occupat, vel quæ negligenter curata fuere, vel in corpore mali habitus ſunt, humor fertur male olens, utendum eſt alcohol & medicamentis, quibus putredo cohibetur.

§. 915.

Non raro exulcerantur tonſillæ, id quod frequentius iis accidit, quibus humida ex venereo morbo corrupta ſunt. His præter ea, quæ ad humida purganda mutandumque corporis habitum idonea ſunt, parari debet ad gargarizandum decoctum ex herba agrimoniæ, ſalviæ, floribus chamomillæ, hyperici, ligno ſaſſafras, radice pimpinellæ albæ. Prodeſt etiam mel cum roſa, cui, ſi exulceratio mucoſa eſt, adjici poteſt aliquid ex vehementioribus, ex alumine uſto, ex phlegmate aluminis, aqua viridi Hartmanni. Specillum linamento molli involutum in ejuſmodi medicamentum demittendum & ſuper ulcus tenendum eſt. Cum vero pura ulcera eſſe cœperunt, adjici his poteſt balſami Peruviani paululum, quo tempore etiam proficit eſſentia ſuccini & pimpinellæ, ſi fruſtulo ſacchari exceptæ ore continentur.

§. 916.

Iiſdem fere medicamentis ulcera linguæ curantur. Vitari tamen oportet acria, cum non raro in hac parte ulcera, ſi imprudentia medentis agitantur, periculum carcinomatis adferant, (260.) quod nullam curationem recipere poteſt. Si in latere linguæ ulcera naſcuntur, eaque diutius durant, videndum, num contra dens aliquis acutior ſit, qui ſaneſcere ſæpe ulcus eo loco non ſinit, ideoque limandus vel eximendus eſt.

§. 917.

Si vero malum ulcus palati membranam exeſt, & oſſi etiam vitium adfert, id quod non raro venereo morbo ægris incidere ſolet, ad id purgandum proficiunt medicamenta, quæ oſſi vitiato opportuna ſunt, eſſentia myrrhæ, cui addi poteſt eſſentia ariſtolochiæ & aliquid ex oleo caryophyllorum. In horum uſu tamdiu perſeverandum eſt, donec ſquama ab oſſe ſecedat, & os integrum fiat. Si, id quod crebrius incidit, caries alte deſcendit, os quod vitiatum eſt, ab alio oſſe quod integrum eſt,

ſolvitur ſinuſque relinquitur . Videndum , num ſinus , quo deglutitio multum impeditur , carne poſſit impleri ; id quod quandoque fieri poteſt , ſi is exiguus eſt . Ob id oræ ejus crebrius conciduntur , iiſque medicamenta illinuntur ex myrrha & aliis , quæ carnem alunt . (388.) Si vero , id quod multo maxima ex parte fieri ſolet , ſinus manet , obturamentum , ex auro , plumbove , factum , in eum demittitur , quod & vocem & deglutionem adjuvat *a* .

a Vid. GARENGEOT *des Inſtr.* T. I. p. 387. FAUCHARD *Chirurgien Dentiſte* T. II. Cap. XX. Tab. XXXVIII. p. 298.

§. 918.

Genitalia utriuſque ſexus his temporibus mala ulcera ex venereo morbo recipiunt , quæ cancroſa dicuntur . Ab initio in glande , cute , qua ea contegitur , & verendis etiam mulierum , puſtulæ oriuntur , una , vel plures , varis ſimiles , ſubalbidæ , & quaſi pingues , cum pruritu . Ubi hæ ruptæ ſunt , infra quaſi exulceratio mucoſa apparet , quæ brevi latius ſerpit , & cui callus inducitur , ut circum oræ craſſæ atque calloſæ liveant . Hoc vitium , vel mox poſt impuram venerem oritur , quod illa loca virulento humore reſperſa fuerunt , vel naſcitur ex vitio , quod jam per totum corpus diffuſum in humidis eſt . Ultimum genus difficilius ſaneſcit .

§. 919.

Si protinus poſt coitum puſtula ardens in illis ſedibus exſurgit , averti quandoque exulceratio poteſt , ſi fomentum adhibetur ex lacte , quod radici altheæ mollientibuſque herbis inferbuit . Si vero nihilominus ulcus oritur , illud exedentibus (907. 908.) adurentibuſque curatur , quibus etiam oræ calloſæ tolluntur . Hoc ulceris genus , etiamſi purum fuerit , diu medicamentis digerentibus & pus alentibus percurandum , non vero protinus glutinandum eſt . Curata etiam ulcera , præcipue , ſi ea ex vitio fuerint orta , quod per totum corpus diffuſum & in humidis eſt , hominem in tuto eſſe a lue venerea haud ſinunt , niſi is ſumat medicamenta ad eam diſcutiendam idonea ſatiſque valentia .

E P H Σ.

§. 920.

Cutis etiam frequentius variis puſtularum generibus exaſperatur. Varia & his nomina ſunt, tum a priſcis auctoribus, tum a recentibus, impoſita, de quorum ſignificatione etiam non omnes conſentiunt. Commune fere nomen eſt ἕρπης, Gallis *le Dartre*, quod illa ulcera ſerpendo procedunt, ita, ut nonnumquam ea, quæ primum vitiata erant, ſaneſcant. Sed & hujus diverſa genera ſunt. Herpetem miliarem vocant, in quo exiguæ, ferequе continuæ, puſtulæ in ſumma cute ſunt cum aſpritudine & pruritu, quarum nulla, nec altera, nec milii ſemine, major eſt. Interpoſito tempore puſtulæ rumpuntur, & quaſi ſquamulæ ſolvuntur, farinæ ſimiles. Si vero bullulæ paulo majores ſunt, quæ rumpuntur, etiam majores ſquamulæ, & quaſi cruſtulæ, relinquuntur. Hoc genus mediocriter & in ſumma cute procedit. Proxima enim cutis, quæ vitium receptura eſt, ſemper tumidior eſt & rubra. Interdum medium ſaneſcit extremis procedentibus, frequentius etiam id quod ſanum videbatur, iterum exulceratur. Plus vero mali eſt in eo, quod ἕρπητα ἐσθιόμενον Græci vocant, quia celeriter ſerpendo penetrandoque uſque ad oſſa corpus vorat. Demtis in hoc ſquamis, profluit humor albidus, quo cutis magis exulceratur. Ad τὸ ἕρπητος varias ſpecies a nonnullis quoque referri ſolet exulceratio, quæ cum inflammatione vehementiori ac febre eſt, atque abdomen comprehendit, & quæ ob id ſupra, ubi de eryſipelate dictum eſt, deſcriptione explicata fuit. (166.) Herpes enim ab eryſipelate in eo potiſſimum diſcrepat, quod in hoc major inflammatio eſt & febris, atque etiam celerius finitur. In herpete vero cutis magis exaſperatur, quam in eryſipelate.

§. 921.

Hæc vitia difficillime tolluntur. Sæpe enim, & ubi corporis habitus corruptus eſt, eum prius mutari oportet. Summa vero diligentia adhibenda eſt, ne exulceratio intus datis medicamentis intendatur; id quod frequentius accidit, ſi calidiora, quæ humidis purgandis idonea vulgo creduntur, ei opponuntur. Et uſus docuit, non omnibus eadem auxilia proficere. Opus eſt

alvi ductione frequenti per medicamenta non acria, ſatis tamen valentia, inter quæ ſunt rhabarbarum, tamarindi, mercurius dulcis, manna. Dari poſſunt decocta pro cujuſque hominis natura alia, atque alia, quæ adverſus illud vitium ſunt, quod in humidis eſſe ex certis ſignis intelligitur. Leniſſimis vero opus eſt, & quæ pedetentim noxium humorem abſumunt. Interdum proficiunt juſcula, ſi cum herbis ac radicibus ad id idoneis coquuntur. Senili corpori juſcula prodeſſe quandoque ſolent, quæ viperis inferbuerunt. Ab his curationibus vero & victus ratione interius ante non facile deſiſtere oportet, quam, cutim in melius mutari, apparuerit, præcipue, ſi vitium penitius inſedit & ejus jam conſuetudo facta eſt. Interdum in ſalutaribus fontibus, interdum in aſinino lacte, præſidium eſt, quibus potis nonnulli, cum ſe quaſi ex toto eluiſſent, hoc malum tandem evicerunt. Parum proficiunt medicamenta, niſi cum his adhibeatur abſtinentia & modica corporis exercitatio, & in victu paulo ſubtilior obſervatio.

§. 922.

Ubi autem corporis habitus mutatus fuit, malum nonnumquam ſine extrinſecus admotis medicamentis finitur. Leves puſtulæ, ſi jejuna ſaliva quotidie defricantur, ſaneſcunt. Ceterum imponenda ſunt remedia non acria, ſed quæ, quaſi blandiendo, leniter reprimunt. Hanc facultatem habet cremor ex ſemine pſyllii & cydoniorum paratus, cui parum mercurii dulcis atque ceruſſæ adjici poteſt. Ceruſſa etiam aqua roſarum excipitur, cui paulum mercurii dulcis additur & puſtulis illinitur. Ad reprimendum ſiccandumque magis poteſt illa aqua, qua recens paratum ſtibium diaphoreticum elutum fuit. Etiam proficit compoſitio, quæ lapis medicamentoſus Crollii dicitur, ſi ejus paulum multa aqua diluitur & imponitur. Sunt, qui decoctum radicis lapathi acuti & chelidonii extollunt, quo locum crebrius lavant. Alii ſuccum citri & acetum vini, quod plurimum lithargyrii excepit, inter ſe æquis portionibus miſcent, & coagulum quod ex his invicem miſtis ſubſidit, protinus loco exulcerato admovent. Hoc per tempus ſuperhabitum, ubi cadit, locus aqua abluendus, & novum coagulum recens paratum imponendum eſt. Plurimum etiam valet emplaſtrum, quod album coctum dicitur, ſi id recte compoſitum fuit. Nonnullis hominibus cutis eſt re-

rum omnium impatientiſſima, & quæ fere ab omnibus, quæ imponuntur, exaſperatur. In his per extrinſecus admota ſanitas fruſtra quæritur, quæ ſæpe ſine his a ſolo medicamentorum intus ſumendorum uſu & victus ratione redditur. Nec ignorari oportet, in omnibus ejuſmodi vitiis, quibus cutis infeſtatur, ſedulo adhibendam eſſe munditiam.

« Vid. VILARS T. II. p. 47.

PORRIGO.

§. 923.

Porrigo, alii tineam, favum, achores vocant, vitium eſt, ubi inter pilos quædam quaſi ſquamulæ exſurgunt, quæ interdum madent, interdum ſiccæ ſunt, aliquando ſine ulcere, aliquando etiam exulcerato loco. Neque id bene integro corpore naſcitur, quod ex toto inutile non eſt. Nam ſæpe, ſi in humidis, præcipue in capite, alius morbus eſt, non incommodum eſt ſummam cutem potius corrumpi, quam, id quod nocet, in aliam partem magis neceſſariam verti. Præſtat igitur ſubinde caput pectendo repurgare, quam porriginem ex toto impoſitis variis ex ſulphure & mercurio paratis prohibere. Danda ſunt medicamenta, quibus vitium, quod in humidis eſt, diſcutitur & lympha tenuatur. Extrinſecus nihil utilius eſt, quam caput ſæpius radere & ſquamulas etiam craſſiores radendo ita tollere, ut etiam ulcera cruententur, & imponere medicamenta ab initio nulla; pòſt, quæ leniter reprimunt. Parum ab initio hæc proficere videntur; ſi vero ſaltem paulum juvant, in eorum uſu perſeverandum eſt, quia & in his caſibus profectus tempore expletur.

APHTHAI.

§. 924.

Aphthæ dicuntur oris ulcera minora mucoſa, quæ oriuntur, ſi minores fiſtulæ, per quas varius humor in os defluit, a lento vitiatoque humore exulcerantur. Non ſolum os, ſed quoque fauces, ſtomachum, ventriculum atque etiam inteſtina infeſtare ſolent. Sunt quandoque cum inflammatione malaque febre, præcipue, ſi ventriculus atque ſtomachus inflammantur, in quibus

casibus illæ mortem denunciant, maxime si aphthæ in elatiorem crustam degenerant, & hæc ab inferioribus faucibus quasi adscendit. Sæpe igitur etiam aliis febribus accedunt, & tabidos quoque ac phthisicos non parum excruciant. Si vero alienum obscurumque colorem accipiunt, plerumque gangræna subest, quæ mortis index esse solet. Nec sine periculo sunt, quæ resolutæ celerius renascuntur. Morbus in locis paludosis, maxime in Belgio, frequentior & quasi endemius esse solet. Infantes crebrius iis laborant, si lacte vitiato aluntur, & hoc in ventriculo coacuit.

§. 925.

Si aphthæ ex mala ardenteque febre nascuntur, huic ante omnia succurrendum est. Plurimum valent omnia, quæ corporis humida nimio æstu coacta diluunt atque tenuant. Dari & crebrius in ore contineri debent decocta ex emollientibus atque hordeo, cui adjiciuntur syrupi de althea, violarum & capillorum veneris, vel loco horum oxymel. Sunt, qui rapas contritas coquunt, bene despumant a ægro dant, quem monent, ut ea, antequam devoret, quam diutissime in ore contineat. Etiam radix glycyrrhizæ, sarsaparillæ, herba capilli veneris, flores verbasci, malvæ, ex aqua vel lactis sero coquuntur. Prosunt etiam cremores ex amygdalis & semine papaveris parati, ut & gelatina ex cornu cervi, cui quamplurimum succi acidi adjici debet. Gelatinas tamen ardentibus febribus non satis idoneas esse, medici non ignorant.

§. 926.

Hæc omnia vero, quæ emolliendi facultatem habent, prosunt, si in ore diutius continentur. Ex iis etiam recte fiunt gargarizationes, nec non lotiones subter in alvum dandæ. Inter remedia etiam est nitrum & sal prunellæ, si multa aqua diluuntur. Præterea satis efficax ad mucum ex faucibus detergendum est medicamentum ex moris, vel ex nucibus, roob diamoron & dianucum nostratibus dictum, quod melle cum rosa excipi & mediante penicillo ulceribus illini potest. Et his commode pauciores guttulæ spiritus vitrioli adjiciuntur, ut ad purganda hæc ulcera & resolvendas mucosas crustulas medicamentum validius sit. Infantibus, si aphthæ sine febre sunt, proficit rhabarbarum, & si victus lactantis mutatur.

ULCERA, QUÆ ARTE FIUNT.

§. 927.

Cum obſervationibus cognitum eſſet, ulceribus in cruribus & aliis corporis ſedibus ortis, multos atque fere deſperatos morbos tolli, ars, naturam imitata, etiam ulcera excitare inſtituit. Quia autem veteres hoc frequentius ferramento candente cuti impreſſo executi ſunt, hæc ulcera inde nomen traxerunt, quæ a recentioribus ſæpe cauteria vocantur. Nec pauci inter noſtrates ea fonticulos appellant, quod ex iis, veluti ex fonte, mala materia fluere creditur.

§. 928.

Non vero omnes corporis ſedes his ulceribus, ſive fonticulis, opportunæ ſunt. Vitandæ enim ſunt venæ atque arteriæ, nervi etiam & tendines. Optime ea recipit tunica adipoſa, quæ inter muſculorum carnes media eſt, & has inter ſe jungit. Si enim ulcus ſuper ipſam carnem excitatur, illud frequentius, vel aridum fit, vel inflammatione cingitur. Sedes etiam eligi debet, cui homo manum admovere poteſt, quo is, ſi ulcus purgandum eſt & obligandum, aliorum auxilio haud indigeat. Locum vero inter muſculos medium noſſe licet ex diligenti horum in anatomicis exercitationibus contemplatione, & ex motu quem impoſito digito chirurgus percipere poteſt, ſi membrum movetur. Muſculi enim cujuſvis, qui motu cietur, caro, ſub impreſſo digito movetur & quaſi gliſcit, labatque; tunica vero adipoſa, quæ inter muſculos media eſt, cum haud moveatur, attrectantis digitum haud afficit. Locus, ſi is repertus fuit, atramento notari poteſt.

§. 929.

Hæc ulcera vero non una ratione excitantur. Pauci reperiuntur, qui hac ætate cutim admoto ferramento adurunt. Plures medicamentum imponunt, quod adurendi facultatem habet, & illud tam diu relinquunt, donec ſuper cutem quaſi igne aduſtam cruſta oſtendatur, quam digerentibus, butyro recenti, unguento aureo, & ſimilibus, reſolvunt, in ſinum vero piſum, aliumve ligneum globulum, demittunt, illumque impoſitis pannis injectaque faſcia, vel vinculo ad id accommodato, valentius adſtringunt. Ex adurentibus primo loco ſunt lapis infernalis & la-

pis cauſticus chirurgorum. (97. 907.) Hæc ita cuti admoventur, ut prius huic imponatur emplaſtrum, quod in medio foramen habet. In hoc foramen ſuper cutem, quam prius ſaliva humectari oportet, demittitur medicamentum, quod alio ſuperimpoſito emplaſtro contegitur, & injectis pannis faſciaque, quæ arctius circumdari debet, continetur. Hoc per ſex circiter horas relinquitur, donec cruſta cuti, quaſi igne aduſtæ, fuerit inducta. Hæc poſtea modo dictis medicamentis, quæ per aliquot dies ei ſuperunguntur, reſolvitur. Ea reſoluta, in ſinum piſum vel globulus demittitur.

§. 930.

Expeditiſſimum vero eſt, cutim protinus ſcalpello incidere, & in vulnus piſum conjicere atque ſuper id fultis linamentis panniſque denſioribus & faſcia, quæ etiam arctius circumdari debet, continere, quo vulneris oræ comprimantur, & hoc in ulcus vertatur. (895.)

§. 931.

Hi vero ſic dicti fonticuli nonnumquam in ſummo capite excitantur, eo loco, ubi futura, quæ ab occipite per medium caput procedit, in coronali futura finitur. Hic locus in pueris *fontanella* dicitur, quod ibi oſſa deficiunt ita, ut cerebrum non niſi membrana contegatur. Eum inveniri difficile non eſt, cum is depreſſior fit, & tactu cognoſcatur. Sunt tamen, qui, ut illum reperiant, duas lineas ducunt a media aure ad mediam alteram aurem, deinde a naribus ad verticem, & ubi lineæ committuntur, cutim incidunt, vel, quod majoris efficaciæ eſt, candente ferramento adurunt, quod vehementer & ita infigunt, ut os etiam ſquamam remittat. Hoc valentius auxilii genus quandoque iis opitulatur, qui intolerabili & longa ac fere deſperata cephalalgia laborant.

§. 932.

In nucha opportunior his ulceribus ſedes eſt inter alteram tertiamque colli vertebram. Videndum, ne vel ferramentum, vel, quod adurendi vim habet, medicamentum, vertebrarum ſpinas adurat. Per ulcera in hac ſede facta quandoque ficceſcunt oculi lippientes & ſemper tenui humore madentes, nec non, qui ceteroquin ſicci, ex levibus momentis inflammantur.

§. 933.

Crebrius in brachio excitari ſolet fonticulus, cui in hoc membro opportunior locus is eſſe videtur, qui eſt inter deltoideum muſculum & bicipitem medius. Aliis magis placet locus ſuper infimam deltoidis partem, ubi is in tendinem degenerat. In femore ſupra genu ad quartum circiter digitum locus eſt depreſſior inter muſculum vaſtum internum atque gracilem, in crure vero ad quartum digitum infra genu inter muſculum ſoleum & gaſterocnemium externum.

§. 934.

Ulcus quotidie repurgandum atque pus extergendum, piſum etiam, quod in eo relinquitur, faſcia adſtringendum eſt & indies mutandum. Quod ſi ſuper ulcus putris caro increvit, id reſpergendum eſt alumine, vel vitriolo uſto bene trito. Si ulcus aridum eſt, videndum, num ei ſubjecta ſit muſculi caro, &, ſi id repertum fuit, præſtat, ulcus glutinari & aliud loco magis opportuno excitari. Si vero ex alia cauſa nullum pus ex ulcere arido effertur, quod homo febre laborat atque languore, illud idoneis medicamentis moveri oportet. Igitur in ulcus demitti poteſt globulus ex ligno ſaſſafras tornatus, vel illud reſpergi pulvere ex radice ariſtolochiæ, gentianæ albæ, herba ſabinæ, addito pauxillo euphorbii, vel cantharidum bene tritarum.

§. 935.

Nec de his ulceribus omittendum, ea, ſi veſtutatem adepta ſunt in corpore, non ſine periculo ſanari. (899.) Quare oportet ea, nec temere excitari, nec, ſi vetuſtas & conſuetudo acceſſit, in qua magnam vim eſſe novimus, fiducia confirmatæ a vetere morbo valetudinis facile glutinari. Ea autem præ ceteris multum proſunt, ſi a qua nobili parte, cerebro inprimis atque oculis, impetum materiæ, qua vexantur, evocari oportet. Præterea, ſi quam partem, v. g. crura, mala manantiaque ulcera diu infeſtarunt, his vero tandem cicatrix inducta fuit, per fonticulos, ſi ii in propinquo fiunt, malæ materiæ olim fluere ſolitæ exitus datur. Nec tamen iis noxia materia exhauriri poteſt, ſi morbus, veluti pituitæ in oculis curſus, longior fuit & fere totam hominis vitam infeſtavit, cum jam partes, quæ laborant, reſolutæ & infirmæ factæ ſint; in quibus caſibus, nec fonticuli, nec alia auxilia, plerumque proficere ſolent *a*.

a Vid. Ill. Frid. HOFFMANNI Diſſ. de Fonticulorum uſu medico, Halae, MDCCXXVII. Conf. GLANDORPII Gazophylacium Polyplusium.

§. 936.

Veteres conſueverunt varias corporis ſedes ſemel iterumque admotis ferramentis adurere, id quod hac molliori ætate fere remedio eſſe deſiit, cum pluribus nimis acerbum videatur, in vivum corpus igne ſævire. In Chirurgorum vero armamentariis ejuſmodi ferramenta, quæ variam figuram variamque magnitudinem habent, reperiuntur. Neminem ſecurum eſſe, ſi arteriarum ſanguinem periculoſius fundentium ora impreſſo candente ferramento aduſta fuerunt, alibi relatum eſt. (413.) Nec mala ulcera & ſarcomata atque carcinomata igne tuto curantur, ſi altiores egerunt radices, quæ potius non parum eo concitari obſervatio docuit. Si vero hæc vitia non nimis alte in infra ſitas carnes aliaſque partes deſcenderunt, illa excidi commodius eſt. Non ita grave eſt, oſſa, ſi illa ſupernatis malis ulceribus & fiſtulis vitiata ſunt atque carioſa, candentibus ferramentis adurere, quoniam ea, ſi modo ſubſecta carne patefacta fuerint, minus ſentiunt. De quibus ſatis alio loco dicam. Efficaciorem hanc medicinam veteres adhibuerunt aliis diuturno morbo laborantibus, præcipue hydropicis, quorum ventres atque pectora ferramentis candentibus pluribus locis exulceraverunt & ulcera diutius ſervaverunt *a*. Hoc auxilio & noſtra ætate etiam veterinarii utuntur, ſi articulus e ſede ſua non prorſus excidit, parumper tamen emotus injuriam accepit, ita, ut humor in eum confluxerit, quo os pedetentim ex ſede ſua expellitur *b*. Si enim ex his ulceribus igne factis copioſum pus effertur, id etiam humorem, qui intus coiverat, quandoque ſecum trahere ſolet. In gravi apoplexia homini, qui ſine ſenſu & quaſi dormiens jacet, pedes horumque plantæ, *c* vel, id quod alii malunt, calvariæ futuræ, aduri poſſunt *d*.

a Vide HIPPOCRATEM de internis Affect. Sect. XXVII. T. II. Lind. p. 229. Conf. Sect. VI. Aphor. 27. p. 100.

b Vid. de Articulo humeri & coxendicis PAULUM AEGINETAM L. VI. c. 114. p. 102. & Cap. 118. p. 103. Edit. Ald.

c Vide MISTICHELLI Tractatum de Apoplexia, quem adducit HEISTERUS Chir. P. II. Sect. I. Cap. 22.

d De eximio uſtionis uſu vid. M. AUR. SEVERINI Pyrotechniam Chirurgicam.

§. 937.

Jam olim veteres cutim varia materia, quam ſuper ea accenderunt, aduſſerunt *a*. Orientales populi herbæ cujuſdam lanuginem, quam *Moxam* appellant, digitis premunt, in conum torquent, & ſuper cute incedunt, quam uſtionem præcipue iis, qui articulari morbo laborant, opitulari aſſeverant *b*.

a HIPPOCRATES uſus eſt ſpongia oleo madente, de Viſu T. II. p. 352. Lino crudo, περὶ παθῶν ſect. 30. & 32. T. II. p. 180. Fungis, περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν ſect. 26. p. 229. ſect. 28. & paſſim. Confer. M. AUR. SEVERINUM c. l.

b Vide TEN RHYNE de Arthritide p. 86.

§. 938.

Exulcerari etiam cutis ſolet impoſitis cantharidibus, quæ vel panis fermento, vel emplaſtro quodam, excipiuntur, quod ſuper alutæ fruſtulum ducitur. Priuſquam vero hoc, quod variam magnitudinem habet, imponitur, locus linteo aſperiori fricandus, ſummaque cutis hac fricatione emollienda eſt, quo ea facilius capax materiæ ex emplaſtro fiat. Emplaſtrum ſexta vel octava circiter hora tollitur, ſumma pellicula, vel epidermis, quæ in bullam levata eſt, forfice inciditur, ac humor, qui intus coiit, emittitur. Imponitur ſuper cutim ſic exaſperatam butyrum, vel oleum. Parum quandoque prodeſſe ſolent hæc ulcera, niſi per plures dies ſerventur: Hoc efficiunt cantharides, quarum ſi paululum butyro vel axungiæ adjicitur, quæ quotidie ulceri induci ſolet, pus movent, quod tandem etiam album craſſumque naſcitur, & ex ulcere fertur. (297.) In hac ſuppuratione tamdiu perſeverandum eſt, donec morbus, cui per hanc curationem opitulamur, conquieverit.

§. 939.

Cantharides vero ſuper varias corporis ſedes dari ſolent. Crebrius ſuper nucham, ſuper utrumque proceſſum maſtoideum, ſuper tergum inter homoplatas, (297.) in artubus, ſuper carpum atque ſuram, quandoque etiam olecranum. Profunt vero adverſus lippitudinem, præcipue illam, quam humidam vocavimus, (277. 297.) adverſus lethargum, & ſi inexpugnabilis dormiendi neceſſitas hominem urget. Etiam ſi varii generis exanthemata, quæ cum febre acuta oriuntur, latent tardantque, vel ſubito fuerunt repreſſa. Nocent in phrenitide, ac ſi homo increſcente intentaque febre deſipit *a*. Renes atque veſicam offendunt: quare, ſi hæc urinæ itinera calculum, vel ulcus, habent,

alienæ ſunt. Nam accidere ſolet, non tantum, ſi intus dantur, ſed etiam, ſi extrinſecus diutius ſuperhabentur, ut veſica lædatur, adeo, ut urina cum ſummo dolore reddatur, & nonnumquam cum ea ſanguis deſcendat. Adverſus id vero auxilium eſt in lacte epoto, vel in amygdalis & papaveris ſemine, ſi ex his cum aqua contritis cremor, vel ſic dicta emulſio, paratur. (124. *a*)

a Vide BAGLIVII Praxin Med. Lib. I. in Operibus p. 102.

§. 940.

Setaceum nomen traxit a ſetis, quod olim chirurgi pilis ex equorum caudis ad id uterentur. Ulcus eſt, quod fit in cute, ſi per eam, quæ, vel digitis, vel forcipe, levatur, acus latior pleniorque incurva, vel ſcalpellum, aliudve ferramentum, trajicitur. Tranſmitti vero per ulcus debent lina plura xylina, ita torta, ut in iis unitas ſit. Hoc linum ita tortum, vel protinus in acum conjicitur, qua cutis perforatur, vel, ſi vulnus mediante ſcalpello factum eſt, acus obtuſa linum illud trahens per viam prius perfectam trajicitur. Veteres ad id ferramento candente uſos eſſe legimus *b*. Hoc linum bis in die ducendum eſt, altera vero pars pure infecta præcidatur. Illud, quod in ulcus immittitur, etiam medicamento circumliniri poteſt, ad pus citandum, ulcus etiam exaſperandum, idoneo. Ubi linum deficit, ad ultimum veteris caput alterum recens linum alligandum, vel hoc mediante acu retuſa iterum trajiciendum eſt.

b Fere ad HILDANI tempora. Vid. Cent. I. obſ. 40. Conf. tamen GLANDORPII Gazophylacium p. 102.

§. 941.

In nucha plerumque hæc ulcera excitantur, raro in aliis ſedibus. Nonnulli acum linumque per longum trajiciunt, id quod ægre ac difficulter fit, alii per tranſverſum inter cervicem & alteram colli vertebram, alii oblique *c*. Priuſquam ferramentum immittitur, cutis digito levari & locus atramento notari debet.

c Vide GLANDORPIUM c. l.

§. 942.

Hæc curatio, quamvis acrior ſit, quandoque requiritur in longa, & quæ nullis aliis auxiliis expugnari potuit, lippitudine, nec non, ſi aliis vitiis, oriente ſuffuſione, vel amauroſi, videndi facultas læditur, etiam in hydrocephalo, lethargo, & ubi humor noxiaque materia longa magnaque ſuppuratione exhaurienda eſt.

FISTULA.

§. 943.

Fiſtula, quæ ex abſceſſu atque ulcere fit, eſt ulcus altum, anguſtum, calloſum. Nam ulcus, quod ab anguſto ore orſum altius penetrat & intus cavum ampliatur, ſi ſine callo eſt, quamvis a pluribus quoque ad fiſtulas referri conſueverit, ſinus, vel ulcus ſinuoſum, vocatur.

a Vide Diſſ. meam de Fiſtula lacrymali MDCCXXIV. Ulcus, quod magnum eſt, non vero profundum, oras tamen duras atque calloſas habet, ulcus calloſum vocatur. Sinus, qui ſine callo eſt, Græcis κόλπος, ſi vero ei callus inductus eſt, σύριγξ vocatur. Vide GORRAEUM. Confer. HENR. STEPHANI Expoſ. Vocab. Med. p. 377. & 478.

§. 944.

Callus tunica eſt alba, aut pallida, dura, quæ ſine ſenſu eſt, ita, ut etiam ſpecillo tacta, dolorem haud adferat. Ea naſcitur ex vario humore, qui ex ulcere effertur, ex quo, ſi is non abſtergitur & ulcus haud purgatur, quaſi limus ſubſidit, qui ulceri adhæreſcit & tandem craſſior duriorque factus in callum vertitur.

§. 945.

Fiſtularum æque, ac ulcerum, (893.) propria ſedes in adipe eſt. Nihilominus ſolent ſi altius & ad alias partes, carnes, membranas, cartilagines, oſſa penetrant, etiam eas violare. Plura ceteroquin earum genera ſunt, quæ inter ſe non parum diſcrepant. Quædam ſub cute tranſverſæ feruntur, aliæ recta intus tendunt, aliæ breves ſunt, aliæ longiores, quæ & altius penetrant. Aliæ ſimplices ſunt, aliæ multiplices, quæ ab uno ore orſæ intus in plures ſinus dividuntur. Aliæ rectæ ſunt, aliæ flexæ & tortuoſæ. Aliæ intra adipem, vel carnem deſinunt; aliæ ad oſſa, aut cartilagines penetrant. Interdum ad interiora, pectus, abdomen, inteſtinum, etiam articulum, perveniunt, & has cavas ſedes perrumpunt.

§. 946.

Scire licet, quo fiſtula tendat, & quam alte, ſi ſpecillum in eam demittitur. Neceſſe vero eſt, ut, ſi fiſtula intra adipem carneſque fertur, omnes muſculi, qui juxta ſunt, quieſcant, qui, ſi agunt, ſinus premunt & prohibent, quo minus in hos ſpecillum compelli poſſit. Quia etiam ſæpe in tortuoſis varii

flexus reperiuntur, quos chirurgus non omnes protinus ſpecillo perſequi atque invenire poteſt, neceſſe eſt, ut, dum hoc demittitur, æger aliter atque aliter collocetur. Scire etiam poſſumus ex modo puris, quænam ſint fiſtulæ ſpatia, cujus, ſi plus fertur, quam, ut minori & ſimplici ſpatio conveniat, majores pluresque ſinus eſſe, ſignificat. Etiam in fiſtulam, mediante ſiphone, aqua, vel quævis loſio, immittitur, & ex modo aquæ, quem illa recipit, illud diſcitur. Si ſinus ſub cute feruntur, ii, ſi callum habent, tactu, admoto cuti digito, ſentiuntur. Sæpe non niſi longa atque repetita inquiſitione fiſtula recte explorari poteſt. Ubi jam fiſtula inciſa & ſinus apertus eſt, ex eo vero alii ſinus, & quaſi rivuli, procedunt, id oſtendit minutus admodum & candidus pauloque elatior orbiculus, in quo exitus novi ſinus eſt. Is vero nonnumquam tam anguſtus eſſe ſolet, ut nec tenuiſſimum ſpecillum admittat.

§. 947.

Etiam, ſi ſpecillum in fiſtulam demittitur, ſcire poſſumus, quo uſque ea penetraverit, & quatenus nocuerit. Nam, ſi molle eſt, quod ultimo ſpecillo contingitur, & æger dolorem ſentit, vitium intra carnes eſt, & callus nondum induruit, qui magis renititur & ſine ſenſu eſt. Major reniſus eſt, ſi fiſtula ad os penetravit. Ibi, ſi ſpecillum dilabitur, os adhuc perioſtio contegitur, & nondum carie vitiatum eſt: ſi vero ſpecillum non dilabitur ſede, qua innititur, & ſi inæquale atque aſperum ſubeſt, os jam vitium contraxit, idque carie exeſum eſt. Etiam ſanies, quæ ex fiſtula fertur, docet, quænam partes perroſæ ſint. (897.)

§. 948.

Quemadmodum ex abſceſſibus variis atque vulnerum generibus ulcera oriuntur, (894. 895.) ſic profundiores ſinus atque ulcera, præcipue in adipe ſunt, in fiſtulas degenerant, id quod ex ſimilibus fere cauſis accidit; Si ulcera non recte purgantur, & in ea, vel nulla, vel leniora, vel nimis acria medicamenta demittuntur, ſi ulceri impuro admoventur alia ex alcohol parata, ſi oræ ulceris linamentis, turundis, pannis atque faſcia nimium comprimuntur, fiſtulæ naſcuntur. Corruptiora etiam ulcera fieri & difficilius purgari, ſi in corpore mali habitus ſunt,

ex ſupra dictis intelligitur, (894.) quorum etiam promptior tranſitus in fiſtulam eſt.

§. 949.

Facilem curationem recipit fiſtula recens, ſimplex, &, quæ ſub cute fertur, quam plurimum adjuvat corpus, ſi juvenile, integrum & firmum eſt. Ubi vero fiſtula altius deſcendit, eaque os, cartilagines atque membranas & tendines læſit, vel, ſi ad articulum, arteriam venamque majorem, ſtomachum, aſperam arteriam, tendit, ſi in cavum, in pectus atque ventrem penetrat, difficilius ſaneſcit, & ſæpe inſanabilis eſt. Nec facilem curationem admittit illud genus, quod, inciſa propter calculum veſica, in peritonæo relinquitur. Peſſimæ etiam ſunt fiſtulæ, quæ inteſtina perruperunt. (§. 674. 841.)

§. 950.

Nec alia earum curatio eſt, quam ulcerum. (900.) Ubi vero purgari debent fiſtulæ & in vulnus recens verti, neceſſe eſt, ut callus tollatur. Is vel ſcalpello exciditur, vel validioribus medicamentis eroditur, donec ulcus purum ſit & undique æquale. Nonnumquam etiam callus, ſi excidi non poteſt, vincitur, ſi is ſcalpello conciditur, & impoſitis, tum rodentibus, tum emollientibus ac digerentibus, liquatur.

§. 951.

Medicamenta, quæ callum vincunt, non alia ſunt, quam valentiora ex iis, quibus ulcera purgari docui. (901. ad 910.) Ex primis fere eſt ſpiritus ſalis ammoniaci. (907.) Sunt etiam quædam aliæ medicamentorum miſturæ efficaces. Varii generis emplaſtris, v. g. diaſulphuris Rulandi, ſtictico Crollii, æruginem, alumen uſtum, aliaque valentiora rodentia, adjiciunt, illaque calore cogunt, ut inareſcant & paſtilli craſſitudinem habeant. Hos paſtillos figurant, ut ſint altera parte tenujores, altera paulo pleniores; atque ea parte, qua tenujores ſunt, in fiſtulæ profundiores finus conjiciunt, qui in his molleſcunt ac liquefiunt, tandemque callum exedunt. Cum vero hæc medicamenta, quamvis liqueſcant, non ſemper ad ultimam fiſtulam & alios, qui altius procedunt, ſinus ferantur, alii varios liquores componunt, & mediante ſiphone in fiſtulam immittunt. Nec deſunt, qui variis unguen-

torum compoſitionibus utuntur, quas turundis & linamentis ſuperillinunt & in fiſtulam conjiciunt.

§. 952.

Quod ſi autem fiſtula ad os aliquod penetravit, & hoc jam vitium contraxit, omnis curatio ſupervacua eſt, niſi omne, quod ex oſſe corruptum eſt, tolli poſſit. Hoc ſæpe, ſi vitium latius, vel profundius eſt, ac ſatis patefieri nequit, perdifficile eſt, ac nonnumquam effici nulla ratione poteſt; quales etiam fiſtulæ ſanari nequeunt.

§. 953.

Ubi vero fiſtula ad nervum, vel nervoſum locum tendit, quem ſubeſſe, & anatome, & humor qui effertur, & ipſe dolor docent, metus eſſe poteſt, ne ab his acrioribus medicamentis illæ partes gravem offenſionem accipiant. In his caſibus rodentia & exedentia aliena ſunt, & magis proficiunt, quæ ulcus aridum reddunt, aqua calcis, aqua phagadænica, eſſentia ſuccini, elemi, maſtichis. Hæc gummi etiam cum terebenthina ac ovi vitello miſceri & immitti poſſunt, quibus quandoque etiam callus, ſi is paucus eſt & tenuis, vincitur.

§. 954.

Si fiſtula ſub cute tranſverſa fertur, in illam, ſi longior eſt, & æger ſcalpelli operam reformidat, demitti poteſt ſpecillum & fiſtula contra hujus caput altera parte incidi. Per fiſtulam trajici poteſt linum medicamento idoneo illitum, quod indies adducitur, donec purus fuerit ſinus, qui, ut vulnus, glutinatur. (Conf. §. 478.) Ad quam rem idoneum eſt ferramentum Petiti, quo & ſinus altera parte perfoditur, & linum commode trajicitur.

a Le Troisquarts à Contreouverture. V. GARENGEOT T. I. p. 391. f. 2.

§. 955.

Longe tamen majus certiuſque in manu præſidium eſt, quam in medicamentis, quæ raro ad ultimas fiſtulas arctioreſque earum ſinus perveniunt. Fiſtula vero, ſi aliquid corruptum relinquitur, id quod, ſi ea ſolis medicamentis purgatur, crebrius incidit, vel glutinari nequit, vel cicatrix, ſi inducta fuit, brevi iterum rumpitur. Expeditiſſimum igitur eſt, ſpecillum, quod ſulcum habet, in fiſtulam demittere, & hanc ſuper id recta incidere. Oportet vero omnes ſinus perſequi, &, ſi illi intus tendunt altiuſque deſcendunt, illos latius etiam duabus, aut plu-

ribus lineis incidere, ut imus ſinus oculis digitiſque pateat, ex quo callus minori negotio majori ſecuritate auferri poteſt. Si fiſtula tranſverſa eſt & altera parte exitum non habet, in eam conjicitur ſpecillum, cujus extremum exacutum eſt. Hoc altera parte cutis perforatur, ſuper id vero omnis caro cutiſque, quæ ſuper fiſtulam eſt, ſcalpello inciditur. Repererunt etiam alia genera ſcalpellorum, & inter hæc etiam id quod reconditum elatere movetur *a*.

a Le Biſtouri caché ou herniaire. V. GARENGEOT T. I. Chap. VII. Art. 3. p. 232. & 243. Hunc ſcalpellum paulum mutavit Cl. SENFFIUS, vide fig. XVII.

§. 956.

Inciſa vero fiſtula callum etiam tolli oportet, qui ex ea vel totus exciditur, vel ſcalpello, &, id quod melius eſt, quia majorem inflammationem ac ſuppurationem movet, forfice concidi-tur, vel medicamentis, ad id validioribus aduritur, vel pedetentim eroditur. Expeditior curatio eſt, quæ ſcalpelli opera fit. Ad medicamenta autem veniendum neceſſario eſt, ſi fiſtula intus aliqua procedit, quo ſcalpellus tuto pervenire non poteſt. Callum veteres candente ferramento aduſſerunt.

§. 957.

Callus ſi vel exciſus vel eroſus eſt, & ſe purus ſanguis oſtendit, in ſinum conjicienda arida linamenta ſunt, ne per malam curationem oræ ſaneſcendo jungantur. Sinus, ut alia vulnera, curatur, donec ad cicatricem perveniat. Nec etiam negligi debent medicamenta, quæ ad humida in corpore purganda valent. Hæc in primis neceſſaria ſunt, ſi fiſtula a vitio, quod per omne corpus diffuſum eſt, enata fuit, aut, ſi illa corpus, quod mali habitus eſt, occupat.

FISTULA LACRYMALIS.

§. 958.

Sunt etiam plura vitia circa illa itinera, per quæ humor ad nares deſtillat, quo oculi, ne areſcant, naturaliter humidantur. Is humor ex variis fontibus in oculum lapſus, in eo ſub palpebris confunditur. Tenujor halitus fertur e membrana, qua & palpebræ *a*, & oculus, & cornea etiam *b*, conteguntur. Limpi-

dus, ſed longe copioſior, humor e glandula majori innominata permanat ad oculum per ductas, admodum vero anguſtas, vias, quæ palpebræ ſupremæ inhærent, & ad hujus cartilaginem uſque pertinent *c*. Qui humor, ſi is redundans ſe per genas profundit, lacrymarum nomine vocatur. Accedit pinguitudo ex glandulis ad cartilaginoſas palpebrarum oras poſitis, quibus nomen ab inventore, Meibomio, impoſitum eſt.

a V. WINSLOVV Anat. T. IV. P. II. §. 216.
b WINSLOVV c. l. & C. A. R. Sc. MDCCXXI. p. 417.
c WINSLOVV c. l. §. 176.

§. 959.

Id quod vero hujus humoris exhalatione haud diffunditur, per directas ad nares vias perlabitur. Ad oculi angulum internum prope palpebrarum cartilagines duo quaſi puncta cernuntur, quæ ſunt oſcula viarum palpebris inhærentium, ſeu ductuum lacrymalium, qui ad oculi angulum coëuntes ſpatioſiori receptaculo, quod ſaccum lacrymalem vocant, inſeruntur. Hoc receptaculum enim accipit humorem agitatione & motibus, tum palpebrarum, tum oculi ipſius, depulſum & quaſi detruſum. Non parum hunc lacrymarum motum adjuvat caruncula, quæ inter ductus lacrymales in eodem oculi angulo poſita eſt, & cui etiam anterius tenerior membranula, quaſi lunata, innectitur. Hac enim caruncula prohibentur lacrymæ, ne per oculi interiorem canthum efferantur, id quod incidit, ſi illa vel per morbum exeſa, vel per malam curationem exciſa fuit. Aſperior eſt & hirſuta, pilis etiam munita, quibus, ſi quid ſiccæ aridæque pituitæ in oculo eſt, inhæret, ne id ſe illis viarum oſculis opponat & humorem deſtillare prohibeat. Saccus lacrymalis illigatur oſſis lacrymalis parti anteriori, qua ſede is exiguum muſculum ab oſſe plano ortum habere dicitur, cujus actione lacrymarum motus ad nares adjuvari videtur *a*. Hoc enim officulum, quod tenue eſt & admodum rarum, in duas partes exceſſu quodam, ſeu linea prominente & deorſum ſpectante, dividitur. Pars officuli poſterior, quæ cum oſſe plano ethmoidei committitur, ad orbitam pertinet; anterior vero, quæ ſinuata eſt, lacrymalem ſaccum excipit, qui illi exſtanti lineæ, quaſi per vincula quædam, medio perioſtio innectitur. Hoc lacrymarum receptaculum, quod ea parte amplum eſt, iterum coarctatur &

recurvatum atque poſteriora verſus paulum inclinatum ad ima dirigitur. Vocatur ductus naſalis, qui per foramen, quod ſub oſſe maxillari ab orbitæ inferiori parte eſt, ad narem tendit, in qua ſub oſſe turbinato inferiori finitur *b*.

a Quem a du VERNEY chirurgo inventum deſcribit CORN. V. REVERHORST in diſſ. de Ægilope, Lugd. Bat. MDCCXXXVIII.

b Vid. ANEL *methode de guerir les fiſtules lacrymales*, BIANCHI Ductus lacrymales novos, & hujus cenſuram, in MORGAGNI Adverſ. VI. Confer. de Fiſtula lacrymali Diſſertationes: LAUR. HEISTERI, de Methodo ſanandi fiſtulas lacrymales, Altd. MDCCXVI. meam, Lipſiæ, MDCCXXIV. Jo: CASP. SCHOBINGERI, Baſ. MDCCXXX.

§. 960.

Ex varia occaſione accidere poteſt, ut hæc itinera lacrymas non tranſmittant. Nonnumquam glutinoſior humor iis inhæreſcit, vel polypus, qui narem implet, intus ſe humori defluenti opponit *c*.

c Vid. LE DRAN P. I. Obſ. VI. p. 42.

§. 961.

Longe tamen frequentius evenire ſolet, ut hæc lacrymarum itinera per inflammationem intumeſcant, & lacrymas, quo minus delabantur, prohibeant. Nam illa, ex duabus veluti tunicis compoſita, inter has celluloſum contextum, interius autem glandulas habent; *d* quæ res non parum confert, ut hæ quoque partes inflammationibus pateant. Frequentius eam patiuntur homines, qui ſimis depreſſiſque naribus ſunt.

d Vid. WINSLOVV c. l. §. 349. Conf. REVERHORSTIUM c. l. C. I. p. 19.

§. 962.

Sunt autem varia, quæ inflammationem movere poſſunt. Obſervatione compertum eſt, hæc vitia crebrius poſt variolas atque lippitudines oriri. Variolis orientibus, & cutis, & non raro interior oculus, inflammatur exaſperaturque. Atque deterioribus variolis ſubeſſe ſolet ſanies acrior, quæ, ut alias ſedes, ſic etiam hæc itinera, rodit atque exulcerat. In lippitudine id quoque facit lacryma calida atque acrior, qua etiam nonnumquam denſa in genis cutis roditur, & qua illæ teneriores tunicæ inflammari poſſunt. (289.) Interdum etiam, ſed raro, ex his cauſis in iis itineribus exulceratis carunculæ naſcuntur fungis ſimiles, quibus illa coanguſtantur. Omnia hæc magis intenduntur, ſi corpus corrupti habitus eſt, & id venerea lues, aut ſcorbutus, occupat. Non raro enim noxa ab interioribus & ipſis

ossibus incipit, si circa hæc fœda ulcera sunt, eaque vitiata, qualia esse solent, si nares ozæna infestat. In cute etiam super lacrymarum receptaculum occasio esse potest, si varii generis tubercula, furunculi, abscessus, tumores tunica sua inclusi, (758.) nascuntur, si erysipelas, vel per se, vel quandoque iter facientibus, ob æstus immodicos oritur. Si quacumque vi extrinsecus allata hæ sedes vexantur inflammanturque, & iis lacrymarum receptaculum premitur atque coarctatur. Nam lacrymæ, quæ ad narem perlabi nequeunt, in sacco hærent, atque tandem natura sua corporisque calore corrumpuntur, acres fiunt & tunicas rodunt atque exulcerant.

§. 963.

Scire autem licet, hæc itinera ita affecta esse & per inflammationem, aliamve causam, coarctata atque compressa, si per puncta lacrymalia humor, cui pituita admixta est, in oculum, etiam perpetuo humore madentem, fertur, & quasi cum impetu erumpit. Per se id fieri solet, quando ejus major vis in lacrymarum receptaculum confluxit, vel etiam, si is acrior factus, illud rodit. His enim inferior tunica, forte etiam ille minor ei inhærens musculus, (958.) convelluntur, quibus humor ille, qui huc defluxerat, excutitur. Crebrius etiam hoc incidit, si æger vel tussit, vel sternutat. Humor præterea ex lacrymarum receptaculo exprimitur digito, si eo cutis extrinsecus paulo valentius premitur. Nam, si vitium non ultra processit, illud oculis non patet, cum nec tumor sit, nec cutis alienata, nec æger dolorem sentiat.

§. 964.

Sedulo considerari oportet humorem, qui ex osculis, vel punctis, exprimitur. Is enim, si lacrymis similis, tenuis, pauciori albidaque pituita remistus, adparet, intelligitur, malum incipere, & lacrymarum itinera leviter affecta nondum graviter læsa esse. Si autem humor exit, qui omnia contraria habet, is malum jam altius latiusque processisse ostendit.

§. 965.

Neque difficillimum est, hoc vitium, si illud recens ac simplex est, sanari; quod vero, si singulis noxarum morborumque generibus verum atque proprium nomen dandum est, fistula vocari nondum potest. (941.) Nec, postquam ANELLUS speci-

lum & ſiphunculum reperit, quibus, id quod ſe his itineribus oppoſuit, promoveri poteſt, ſcalpelli opera neceſſaria eſt. Ubi vero inter initia huic non recte ſuccurritur, & ulcus vetuſtas occupat, id ſaccum lacrymalem exeſt, latius ſerpit, atque tandem callo obducitur, & in veram fiſtulam degenerat. Os, quod ſubeſt, carioſum quandoque ex malo ulcere fieri ſolet. Oculorum etiam acies tandem illa ſanie, quæ per puncta effluit, non parum offenditur.

§. 966.

Curatio igitur prima eſt, in alterum illorum oſculorum, vel ſic dictorum punctorum lacrymalium, ſpecillum demittere, cujus repertorem ANELLUM fuiſſe, retuli. Specillum vero, quod in punctum lacrymale demittendum eſt, eſſe debet ex argento, paululum incurvum, læve, ab altera parte plenum, ab altera vero tenue, hac tamen exiguo globulo munitum, ne itinera illa lædat.

§. 967.

Homo ſuper ſubſellium collocatur. Chirurgus pollice atque indice alterutrius manus palpebras diducit eaſque paululum tempora verſus adducit, ita, ut illa puncta, vel oſcula, oculis pateant. Per id, quod in ſuperiori palpebra eſt, ſpecillum minori negotio compellitur, cum iter, quod paulo longius eſt, minorem flexum habeat. Ergo per id non tam premendo, quam vertendo torquendoque, ſpecillum demittitur. Ubi ad ſaccum lacrymalem ventum eſt, illud paululum inclinari oportet, quo per compreſſiorem viam, quæ in narem pertinet, deſcendat. Si aliquid ſe intus oppoſuit, id paulo majori vi adhibita promovendum eſt, ut per narem excidat. Si via aperta eſt, plerumque aliquid humoris, quandoque etiam ſanguinis, per nares defluit.

§. 968.

Perfecta igitur via ſpecillum concuti debet, & iterum recipi, puncto lacrymali autem aptari & in id demitti exiguus ſiphunculi tubulus. Mediante ſiphunculo in lacrymarum receptaculum immittitur liquor, quo illa, quæ in eo eſt, exulceratio abſtergitur. Alios atque alios liquores extollunt auctores, prout ea, quæ adhibuerunt, cuique ceſſerunt. Satis valet, ſi parum ſalis thermarum aqua verbenæ diluitur. Ubi ulcera ſordida latitant, aqua calcis parum nitri & parum camphoræ cum ſaccharo tritæ

commode excipitur, & ad id adhibetur. Neceſſe eſt, ut liquor tenuis ſit, quo is per minorem tubulum poſſit trajici; ſub finem etiam parum aquæ vulnerariæ admiſceri poteſt. Fere melius res ſuccedit, ſi in inferioris palpebræ punctum liquor immittitur, ut is non deorſum ſed fere per tranſverſum, in punctum lacrymale feratur. Eo tempore, quo liquor ex ſiphunculo exprimitur, id quod digito indice fit, minimus & annularis oſſi malæ innituntur. Hæc curatio aliquoties per diem, & tamdiu adhibenda, donec ulcera ſiccata fuerint, & nullus humor ex lacrymarum viis digito preſſis exeat.

§. 969.

Hanc curandi rationem, quam plures contemnunt, experiri in his caſibus decet, cum ea raro, & vix, niſi minus peritos atque parum exercitatos, fallat. Nec tam acerbos dolores excitat, ſi provide & ea adhibita diligentia ſpecillum demittitur, ne id itinera, per quæ fertur, convulneret. Si etiam quandoque res minus ſuccedit, id quod in hominibus naſum ſimum ac valde depreſſum habentibus evenire poteſt, eam nulla pericula circumſtant. Nec tamen hanc curationem experiri convenit, ſi corpus ægrum ac mali habitus eſt, & niſi prius ophthalmia, ozæna, aliuſve morbus, ex quo hoc vitium enatum fuit, omnis fuit remotus. Supervacuum eſt, addere, & ad hæc neceſſarium eſſe victum tempeſtivum, modicum, &, qui omnibus acribus vacat.

§. 970.

At, ubi lacrymarum receptaculum, quod pervium non eſt, extrinſecus in tumorem levatur, alia curatione opus eſt. Certis vero notis cognoſcitur, ſaccum lacrymalem, non vero ſolam cutim, intumuiſſe. Tumor enim plerumque ſine inflammatione eſt, qui, ſi digito premitur, deſidit, quod lacryma pauca pituita remixta ex punctis lacrymalibus effertur; brevi autem is iterum aſſurgit. Sunt, qui hoc valetudinis genus herniam, &, ſi itineri, quod ad nares tendit, ſe aliquid oppoſuit, & ex eo atque confluente humore lacrymarum receptaculum intentum eſt, hydropem ſacci lacrymalis appellant *a*. Si ejuſmodi tumor cum inflammatione eſt atque ad ſuppurationem ſpectat, ἀγχίλωψ nomen eſt, qui vero tumor durus eſſe, prementique digito reniti ſolet. Accidere etiam poteſt, ut in cute ſuper lacrymarum ſaccum tuberculum oriatur, quod, ſi inflammationem accipit, il-

lum intenta cute valentius premit, ita, ut per compreſſum iter lacrymæ deſtillare nequeant.

a Vid. ANEL *de l' hydropiſie du conduit lacrymal.*

§. 971.

Lacrymarum receptaculo, quamvis tumenti, ſe intus nihil oppoſuiſſe, idque pervium eſſe, ſcire licet, ſi lacrymis nihil obſtat, quo minus in narem defluant. Res etiam ſpecillo ſignificatur, ſi hoc nihil invenit, quod ei oppoſitum renititur. Id vero indicio eſt, tunicas illius receptaculi, vel ſacci, ictu extrinſecus illato, vel alia quacumque occaſione, fuiſſe infirmatas. In hoc caſu ſedulo obſervari oportet ipſum tumorem, num is integer ſit & cuti ſimilis, num vero alienatus, vel durior, factus. Si præterea nihil vitii habet, is tolli quandoque poteſt preſſione. Super eum charta bibula maſticata, & ſuper hanc denſiores & multiplices panni imponuntur, ſuperque injicitur faſcia, vel ferramentum ad id excogitatum; *b* quæ omnia per plures dies ita relinquenda ſunt. Certus vero modus neceſſarius eſt, ne nimia preſſione lacrymæ prorſus prohibeantur, & ne, glutinatis inter ſe tunicis, excœcatiſque, per quæ illæ ferebantur, itineribus, gravius malum accedat. Subinde cum his mediante ſiphunculo in has vias immitti poteſt aqua veronicæ, verbenæ, hyſſopi, aliave, quæ paululum adſtringit.

b Vide Diſſertationem meam de Fiſtula lacrymali, fig. 3.

§. 972.

Quod ſi vero parum ſic profectum eſt, tumorem recta, ſed exigua plaga, incidi oportet. Commode id fit ſuper ſpecillum minus, (965.) per lacrymale punctum demittendum, ſcalpello minori falcato. Etiam, dum ſcalpellus admovetur, ſuper tumorem palpebris imponi poteſt digitus ſiniſtræ manus, ne humor revertat, & omnis in oculum effluat ſicque tumor deſidat. Vulnus impoſitis idoneis medicamentis ad cicatricem perducitur, ita, ut tunicæ per hanc contrahantur, & receptaculum coarctetur. Cura tamen habenda eſt, ne nimis arctum fiat illud iter, & ne lacrymæ, quo minus deſtillare poſſint, prohibeantur. Plurimum juvat ſpecillum, ſi id ſubinde demittitur, & ſi extrinſecus injicitur faſcia, vel illud machinamentum, quod ad comprimendum ſaccum fuit repertum. (970.)

§. 973.

Nec alia curatio eſt, ſi lacrymarum receptaculum putris caro, vel caruncula implevit, (960.) vel, ſi ſe aliud quid oppoſuit, quod ſpecillo renititur & eo promoveri nequit. Nam in hoc caſu etiam ſaccus incidendus eſt, & ſpecillum per factam plagam in viam, quæ ex ſacco in narem tendit, demittendum. Remotis vero & exeſis carunculis, vulnus curatur.

§. 974.

At, ſi jam lacrymarum itinera exeſa ſunt, proximas ſedes ulcus, & accedente callo, vera fiſtula occupat. Atque hujus etiam plures ſpecies ſunt. Nam quandoque ulcus ſub cute adhuc integra eſt, aliquando id in angulo apertum oculis patet, quod ultimum genus αἰγίλωψ proprie dicitur. Aliquando etiam aliud, oſſiumque præcipue vitium, ſeu caries, acceſſit. Ex modo autem & genere illius humoris, qui exit, digitoque exprimitur, & demiſſo etiam, vel per naturalia illa horum itinerum oſcula, Anelli ſpecillo, vel per apertum ulcus alio, ſcitur, quam late pateat ulcus, an ei callus inductus ſit, & an etiam os quod ſubeſt, exeſo perioſtio vitium contraxerit.

§. 975.

Veræ autem fiſtulæ lacrymali ſuccurri nequit, niſi admota ad eam illi ardui operis & ancipiti curatione, qua lacrymarum receptaculum tolli, ulcus purgari, & perforata ſervataque nova ad narem via lacrymæ in hanc derivari oportet. Hanc vero curationem, nec puerilis, nec ſenilis, ætas, nec corpus recipit, quod ægrum & corrupti habitus eſt. Neque etiam ea experienda eſt, ſi æger vetuſtum, gravem, &, vel acutum, vel fere continuum, capitis dolorem habet, & ſi oculus lippitudine vexatur. Etiam in omnibus ad eam feſtinare præceps videtur, cum utique non raro fallat, & poſt eam etiam oculus in nonnullis perpetuo humore madeat. Corpus etiam aliquot diebus ante victu, ſanguinis miſſione, & alvi ductione præparandum eſſe ex alibi dictis intelligitur. Omnia ceteroquin neceſſaria ſunt, quæ graviter vulneratis conveniunt. (389. 390. 399. ad 402.)

§. 976.

Curatio ipſa hoc modo ordinatur: Obtegitur oculus uterque impoſito panno minori ex liquore expreſſo, qualem alibi præcepi, (292.) & ſuper injecta faſcia. Homo collocandus eſt in lo-

co lucido, lumine adverſo, ſic, ut medicus contra paulo altius ſedeat. Caput a poſteriori parte manibus miniſtri validioris contineri & immobile præſtari debet. Inciditur cutis lunata figura, cornibus ejus ad oculum ſpectantibus. Incipit ea ad naſi radicem ſuper illum locum, ubi tendo muſculi orbicularis oſſi, & quidem illi proceſſui, qui ab oſſe maxillari ad naſi latera conſurgit, inhæret; finitur plaga ſub inferiori palpebra hujuſque medio. Cutis melius ſecatur, ſi illa digitis alterius manus adducitur & intenditur. Magna vero cura habenda eſt, ut pars quædam cutis, qua in oculi angulo palpebræ inter ſe committuntur, integra relinquatur. Nam ſi illa præciditur, aduritur, vel medicamentis roditur, oritur ἐκτρόπιον, (582.) quod nulla curatio reſtituere poteſt. Hujus vitii metus haud eſt, ſi tendo muſculi orbicularis ſecatur. Vitari poteſt vena, quæ in angulo interno oculi ad naſi radicem diſcurrit. Si vero hæc læſa fuit, vel, ſi ceteroquin ex vulnere multus ſanguis fertur, curatio commode dividitur, & ſanguis impoſitis linamentis atque faſcia cohibetur.

a Vid. WINSLOVV de Venis §. 88.

§. 977.

Ubi autem is conquievit, omne lacrymarum receptaculum præcidendum, & ejus, quantum fieri poteſt, excidendum eſt. Nam, ſi id, quod vitiatum eſt, relinquitur, accidere poteſt, ut humor poſt curationem ad id defluat, in eo hæreat, & corruptus, partes quæ juxta ſunt, iterum rodat atque exulceret. Plurimum confert, ſi, cum is exciditur, Anelli ſpecillum per lacrymalia puncta demittitur, ita, ut ejus ultimum caput per vulnus exeat. Lacrymarum etiam receptaculum poteſt admoto lapide infernali erodi: videndum tamen, ne aliæ partes, præcipue ipſe oculus, eo offendantur, & ne illorum itinerum oſcula ſaneſcendo præcludantur.

§. 978.

Diducta tandem cute, & illa etiam membrana, qua os contegitur, os unguis, anteriori eaque parte, qua ei lacrymarum ſaccum innexum eſſe retuli, (958.) perforandum eſt, & via lacrymis facienda, per quam in narem derivari poſſunt. Quovis ferramento, quod, ad modum ſubulæ, cuſpidem habet craſſitudinis modicæ, non retuſam, ſed exacutam, os forari poteſt.

Idoneum eſt terebellum, quo alia oſſa forari ſolent, (592. 2.) nec non ſpecillum, quod acuminatum ſulcum habet. (953.) Ferramentis, quæ pleniora ſunt, nec non retuſis, & aliis, quæ ab quibuſdam laudantur, ſi iis os urgetur, illud, quod tenue eſt atque rarum, totum diffringitur, ita, ut membrana etiam, quæ intus nares cingit, valde laceretur. Vitandum enim eſt, ne magna in his ſedibus, præcipue in orbita, quæ plurima pinguedine mollita eſt, inflammatio moveatur. Multo enim pure orto, humor intus in orbita ſubſidit, in pinguedine ſerpit, & proxima adhuc ſana rodendo ſinuat, ut nonnumquam etiam oculus rumpatur. Quare aliena ſunt illa ferramenta retuſa, & alia noviter deſcripta, quibus totum os unguis non tam foratur, quam latius confringitur *a*.

a Inter hæc illud eſt, quod in Diſſ. de Fiſtula lacrymali olim delineandum curavi, fig. VI. Nec non forceps curva LAMORIERII. Vid. H. A. R. Sc. MDCCXXIX. p. 590.

§. 979.

Certum autem motum adhiberi oportet, ubi ferramentum adigitur, ne id anterius ad oſſis maxillæ proceſſum, qui ad latus naſi adſurgit, neque poſt os lacrymale ad partem planam oſſis ethmoidei perveniat. Illud etiam ita inclinandum eſt, ut id oblique deorſum & poſteriora verſus introrſum, compellatur, cum metus ſit, ne id naſi ſeptum & oſſa, quæ in naribus ſunt, ſpongioſa, tum ſuperiora, tum inferiora, lædat. Si ferramentum recta deorſum fertur, illud in ſinum maxillarem delabi poteſt *b*. Os pertuſum eſſe ſcitur, ſi paucus ſanguis ex nare deſtillat.

b Vid. quæ Vir doctiſſimus ALEXANDER MONRO propoſuit & figura addita illuſtravit *in the Medical Eſſays* Vol. III. Obſ. XV. p. 293. Is etiam cutim non tam magna plaga incidendam eſſe exiſtimat, ſed vel protinus eam cum ſubjecto oſſe illo ferramento aperire jubet, vel facta minori longe plaga. Supervacuum eſſe quoque putat os prius deducto ab eo perioſtio nudari. Cutim vero paulo latius aperiri, non inutile eſſe reor, quod vulnus diutius ſervari oportet, & quod omnia melius patefiunt. Lacerato etiam perioſtio, metus eſt, ne magna inflammatio excitetur.

§. 980.

Ubi os perforatum fuit, aculeos pungentes, ſi qui ab eo reſoluti ſunt, protinus eximi oportet, & vulnus linamentis atque ſpongia purgari. Etiam, cum ſic ad narem via perfecta eſt, videndum, ut illa maneat, quam caro calluſque increſcens, niſi reprimantur, brevi replere ſolet. Etiam heic, medentes in diver-

ſas curandi vias proceſſiſſe, deprehendo. Sunt, qui minorem fiſtulam ex auro, plumbove, in illud foramen compellunt, ut ea oſſi inſideat. Videndum vero, ne ea, quæ in hac ſede relinquenda eſt, prohibeat, quo minus vulnus ad cicatricem perduci poſſit, quare eam minime aſperam, nec valde prominentem, eſſe oportet. Alii tamdiu turundam, cereum minorem, &, id quod fere optimum, ligneum bacillum, ad modum coni, altera parte plenum, altera magis tenuem, in plagam demittunt, & tamdiu relinquunt, donec in oſſe foraminis ora circumcirca occalluit. Ulcus interea purgandum eſt, & ſinus, ſi in plures partes diducuntur, aperiendi atque etiam purgandi ſunt. Si plumbea, vel aurea fiſtula in foramen conjicitur, ulcus repurgatum celerius glutinari ſuper eam poteſt. Magna vero adhibenda diligentia, ut per apertas illas naturales vias lacrymæ in hanc fiſtulam delabantur & in nares deriventur; quare frequentius demittendum ſpecillum eſt. Ubi autem bacillum ligneum, vel cereum, adhibent chirurgi, vulnus tamdiu apertum ſervandum eſt, donec ora foraminis penitus occalluit. Si in oculum inflammatio evocatur, adhibenda ſunt fomenta (292.) omniaque auxilia, quæ adverſus inflammationem maxime poſſunt. Oſſi nudato aëra & medicamenta pinguia ac humida inimica eſſe, infra docebitur. Vel maxime neceſſarius eſt minorum ſpecillorum uſus, (964. 965.) ne oculum, excœcatis illis, per quæ lacrymæ ferebantur, itineribus, poſt finitam curationem lacrymarum perpetuus curſus male habeat; id quod, ſi incidit, nulla ope adjuvari poteſt.

§. 981.

Non alia curatio eſt ægilopis, ubi fiſtula in angulo aperta eſt. Si cutis inciditur, plaga per ipſum fiſtulæ os procedere debet, & callus etiam concidendus eſt.

§. 982.

Quod ſi vero os carie vexatum ſubeſt, quoniam vitium, vel ab ipſo oſſe incepit, (961.) vel, quoniam a malo ulcere membrana, qua id contegitur, exeſa fuit, caſus aſperior eſt. Id ſcire poſſumus, ſi fœdi odoris ſanies per ulcus exit, & ſi ſpecillo, vel illo minori, per lacrymale punctum, vel majori, per fiſtulam apertam demiſſo, os occurrit inæquale atque aſperum, & ſi ſpecillum ſede, qua innititur, non dilabitur, atque in eo nigror deprehenditur.

§. 983.

Intelligi poteſt, quantum aut ſperari, aut timeri, debeat ex humoris, qui exit, modo, ex ipſius etiam fiſtulæ ortu, cauſa, ejuſque magnitudine atque vetuſtate. Nam, ſi vitium in anguſto eſt, id curationem accipere poteſt. Si autem vitium latius altiuſque proceſſit, & caries non ſolum os lacrymale occupavit, ſed etiam ad alia, quæ juxta ſunt, præcipue ad oſſis ethmoidei partem, quæ in orbita eſt, vel ad hujus cellulas, tranſiit, curatio perdifficilis, & plerumque ei nullus locus eſſe ſolet. Immo, ſi in corpore corrupto hoc vitium carcinomatis naturam habet, ut venæ intentæ ſint, cutis dura, & quæ levi tactu irritatur, id curare periculoſum eſt, cum ea res mortem maturare poſſit.

§. 984.

Os vero omni vitio liberandum eſt. (899.) Oportet igitur carnes ſubſecare oſque nudare, ut omne, quod vitiatum eſt, oculis pateat. Caries autem tollitur, ſi os, vel ſcalpro, vel medicamentis, raditur, vel, ſi id terebello foratur, aut aduritur. His enim omnibus corruptum vel tollitur, vel ſiccatur, ita, ut aridum factum ab eo, quod integrum eſt, ſquamæ & teſtæ in modum, reſolvatur. Si vitium non alte deſcendit, id non raro tollitur, ſi os ea ratione, quam ſupra (525.) præcepi, foratur. Nam id etiam impoſitis idoneis medicamentis ſquamam remittit. Tutius enim res ita tractatur, quam, ſi uſtio adhibetur. Ubi enim os admoto candente ferramento aduritur, periculum eſt, ne etiam lacrymarum itinera offendantur, &, ſi aduruntur, præcludantur.

§. 985.

Uſtionem vero exigit ulcus, quod nigrities occupat, & caries, quæ totum os perrupit, & ſi multa fœdi odoris ſanies ex ulcere effertur. Hanc vero efficacem medendi rationem ſi experiri ſtatutum eſt, ad manus eſſe debent ferramenta, & quidem: 1) lamina argentea intus excavata, qua oculus commode contegitur *a*, ne eum ignis offendat: 2) ſpecillum breve, æquale: 3) ferramentum, quod figuram infundibuli habet, *b* & quo commode excipi poteſt: 4) aliud ferramentum, quod candefactum per id demittitur. *c* Horum ferramentorum duo, & in vaſculo etiam, frigida, ad manus eſſe debent.

a Vid. Diſſ. meam, fig. 10. & alium ejus modum in GARENGEOT *des Inſtr.* T. II. p. 11. fig. 1.

b In Diſſ. fig. 11. in GARENGEOT, fig. 3.

c In Diſſ. fig. 12. in GARENGEOT c. l. p. 28., fig. 1.

§. 986.

Ratio vero curationis ejuſmodi eſt. Oculus ſanus deligatur, utrique vero oculo prius imponitur pannus ex medicamento expreſſus, quod reprimendi facultatem habet, & adverſus inflammationem potiſſimum valet. (292.) Oculus, qui curandus eſt, a miniſtro contegitur illa excavata lamina, (984. 1.) quæ ſuper alium madentem pannum admovetur. In os fiſtulæ, vel etiam in plagam ſcalpello factam, ſuper os carioſum demittitur ſpecillum, (984. 2.) quod quaſi viam monſtrat, & ſuper hoc illud ferramentum, quod infundibulum appellavi. (984. 3.) Hoc ſuper os tenetur, & per illud trajicitur aliud candens ferramentum, (984. 4.) quod ante prius aliquantum prominet. Eo itaque os paulo diutius aduritur iterum atque iterum: quare horum ferramentorum duo in promptu eſſe debent, quo, uno refrigerato, alterum interea ignitum poſſit inprimi. Ubi vero ferramentum tollitur, neceſſe eſt, ut recipiatur etiam infundibulum, quod, ne incaleſcat, ſubinde in aquam frigidam demitti debet. Finis uſtionis eſt, ubi ferramentum os perrupit & viam in nares aperuit, id quod ſcire licet, ſi compreſſis naribus & clauſo ore ſpiritus per plagam effertur. Circumſpectius vero os adurendum eſt, ne naſi ſeptum, aliaque oſſa, quæ juxta ſunt, lædantur. (978.) Os ſic aduſtum aridum fit, & ex eo id quod vitiatum eſt, ſecedit. Si vero non omne, quod corruptum eſt, reſolvitur, os vel radendum, vel medicamentis, quæ adverſus cariem valent, reſpergendum, vel iterum adurendum eſt, donec integrum ſit, quod relinquitur.

§. 987.

Ubi omne vitioſum ab oſſe integro abſceſſit, caro increſcit & ſinum implet. Et heic modo, quem ſupra præcepi, (979.) via ſervanda eſt lacrymis, quo illæ, tum per minores palpebris inhærentes vias, tum per foramen in oſſe relictum, poſſint in narem perlabi. Subinde intus in nares immittenda ſunt medicamenta, quæ oſſibus curandis ſunt. De his omnibus, cum venero ad morbos, quibus oſſa patent, dicam.

§. 988.

Peculiarem etiam animadverſionem deſiderant illa horum ſæpe commemoratorum itinerum ſuprema oſcula, quæ in palpebris eſſe ſupra (959.) retuli. Illa habere videntur cartilaginoſum minorem annulum, quo efficitur, ut ſemper aperta ſint & humorem recipiant. Quia vero etiam hæc oſcula conteguntur teneriori tunica, illa nonnumquam, ſi nullus humor ad hæc itinera deſtillat, ſiccatur, & oſcula illa excœcantur. Hoc crebrius accidit vitriariis, qui vitrum ad ignem ſpiritu in plurimos habitus formant, & aliis, qui varii generis metalla vehementiori igne urunt & excoquunt. Igne enim omnis humor per hæc itinera deſtillare ſolitus diffunditur, ita, ut oculis periculum ſit, ne, præcluſis illis oſculis, per omnem vitam madeant. Proditum tamen legimus, & huic vitio curationem eſſe repertam *a*. Incidendum extrinſecus eſſe lacrymarum receptaculum, ſeu ſaccum; in hunc demittendum eſſe prius tenue ſpecillum retuſum & in globulo munitum; pòſt vero aliud extrema parte exacutum. Id adigendum eſſe ſuperiora & hæc oſcula verſus, donec illud per hæc exeat. Viam, ſi illa iterum perfecta fuerit, demiſſo per illam crebrius priori ſpecillo, apertam ſervari debere. Videndum erit, num id, quod ratio docuit, experientia confirmet.

a Vid. MONRO c. l.

FISTULA ANI.

§. 989.

Circa anum oriuntur abſceſſus, ulcera & veræ etiam callumque habentes fiſtulæ, quæ vitia omnia a non paucis auctoribus communi nomine fiſtulæ ani comprehenduntur. Ea vero, & genere, & ratione curationis, inter ſe differunt. (54. 892. 942.)

§. 990.

Inteſtinum rectum, in ima directum, finitur ano, qui muſculos habet ſpincterem *a* & levatorem, quorum actione reliquiæ cibi adſtringentibus ſe, tum relaxantibus, inteſtinis huc uſque depulſæ continentur & data opportunitate excernuntur. Spincteris pars poſterior oſſi coccygis, vel proxime, vel medio ligamento, quod ex hoc oſſe eductum in adipe finitur, jungitur *b*. Pars anterior in viro, muſculis tranſverſis penis, & horum tendini me-

dio, nec non acceleratoribus, in femina vaginæ oſtio & cunni conſtrictoribus jungitur *c*. Levator ex pelvis inferiori parte ab oſſibus pectinis & iſchii ortus lateque fuſus inteſtino recto jungitur *d*. Nec omittendum eſt, hoc inteſtinum intra ſuas tunicas, præcipue externam & carnoſam, multum pinguedinis habere, cui etiam extrinſecus plurimum adipis innatum eſt, qua mollior inteſtino ſedes & opportunitas præſtatur, ut id commode poſſit diſpandi. Hoc iis frequentius accidit, quibus alvus propter exiguam potionem aliaſque cauſas per plures dies compreſſa eſt, ut inteſtinum ſtercore plenum interdum majus receptaculum, & quaſi ſaccum, repræſentare videatur. Ad id pertinent arteriæ, quæ duplicis generis ſunt. Aliæ enim educuntur ex meſeraica inferiori *e*, aliæ ex hypogaſtricis *f*. Venæ etiam vel ad hypogaſtricas feruntur *g*, & dicuntur externæ; vel ad meſeraicam inferiorem, & dicuntur internæ *h*. Per priores ſanguis ad venam cavam, per ultimas ad venam portæ permanat. Etiam in recto lacunæ quædam reperiuntur, ex quibus pinguior humor effertur, quo veluti axungia, inteſtinum interius perungitur *i*.

a Hic a WINSLOVIO in Expoſ. T. IV. P. I. §. 179. 180. 185. ad 188. in tres, ab ALBINO in Hiſt. Muſculorum L. III. Cap. 91. & 97. in duos dividitur. Confer figuras in SANTORINI Obſ. Anat. Tab. II. fig. 1. Tab. III. fig. 5. & COVVPERI Myotomiam T. XIX.

b V. SANTORIN. c. l. T. III. fig. 5. O. Conf. WINSLOVIUM c. l. 182.

c V. SANTORIN. cit. fig. R. S.

d Vide Figuram EUSTACHII Tab. 37. COVVPERI c. l.

e V. WINSLOVIUM in Expoſ. T. III. §. 213.

f Illæ etiam duplicis generis ſunt. Aliæ educuntur ex glutæa v. WINSLOV. c. l. §. 243. aliæ ex pudenda §. 247.

g c. l. de Venis §. 183.

h c. l. §. 262. ſqq.

i Vid. MORGAGNI Adverſ. II. Animadv. VI. p. 10. in Tab. fig. III.

§. 991.

Quoniam igitur ſanguis in homine difficilius per inteſtini in ima directi venas adſcendere poteſt, accidit, ut ſæpe ora venarum turgentia ſint, & ſanguinem etiam funditur. Cujus profluvium quandoque purgatio eſt, cum eo graves interdum morbi tolluntur, quandoque vero morbus. Hæc ipſa res vero, & quia venæ a ſtercore, ſi illud multum ac durum in recto eſt, premuntur, occaſionem dat inflammationi. Fiunt igitur minores abſceſſus, furunculis (101.) ſimiles. Si pus ex his non protinus

evocatur, illud acre fit, adipem rodit, & abſceſſus in ulcera, ulcera vero in fiſtulas convertit.

§. 992.

Suppuratio hæc pluribus modis excitatur. Id accidit ſi medicamentis, tum extrinſecus admotis, tum ore ſumptis, ora hæmorrhoidum ſanguinem fundentium ſubito ſuppreſſa ſunt, ſi ſanguis in corpore malus eſt, percraſſus, colore niger, qualis eſſe ſolet hypocondriaco ac hyſterico morbo & ſcorbuto ægris, nec non omnibus, qui exigua potione utuntur, & corpus parum exercent. His etiam ſuppurationibus obnoxii fiunt, quibus humida venereo morbo corrupta ſunt, nec non ebrioſi, qui frequentius ſe vino, præſertim novitio, ingurgitant, quibus alvus ſicca atque per plures dies adſtricta eſt, nec non alii, quibus alvus medicamentis ex aloë, elleboro, colocynthide compoſitis crebrius ducitur. Id etiam incidit poſt vehementiores nixus, ſi ſub his a femina partus editur, vel ab utriuſque ſexus hominibus alvus dejicitur, nec non ſi illa loca extrinſecus valentius premuntur; quare hæc vitia recipiunt præ ceteris illi, qui equo, vel curru vecti multum ſuccutiuntur. Nonnumquam hæc valetudo ex gonorrhæa maligna relinquitur, ſi malæ materiæ profluvium adſtringentibus atque ex calidiori balſamo compoſitis medicamentis ſupprimitur, & pòſt in perinæum atque inteſtinum inclinatur.

* Fiſtulam, quæ ab oſſiculo deglutito & ad inteſtinum rectum depulſo orta fuit, deſcribit LE DRAN T. II. Obſ. 86. Ego aliquando in fiſtula ani inveni minorem & rotundum calculum valde durum. Is inteſtino recto propior ſinum formaverat duriori etiam callo obductum. Probabile viſum, illum ortum fuiſſe a muco, quo naturaliter inteſtina inunguntur, qui forte in aliquo ſinu, vel lacuna, duratus fuit.

§. 993.

Cum vero in his ſedibus humor profundius coiit, ac is in pus convertitur, id certæ notæ oſtendunt. Dolor eſſe ſolet acutus ac vehemens, & major, quam pro magnitudine tumoris, ei ſimilis, qualem ſupra ex furunculo, qui ad ſuppurationem ſpectat, oriri dixi. (103.) Extrinſecus cutis parum rubet, cum exiguo etiam calore. Accedit vero febris cum ſiti ac vigilia. Altius in pinguedine ſolet eſſe tuberculum, quod vix digito cognoſcitur. Nam quandoque, ſi altius pus movetur, nihil horum in cute deprehendi poteſt. Hoc tuberculum plerumque ab inteſtino propius eſt, quod etiam digito contingitur, ſi is oleo inunctus

in alvum demittitur; id quod vero non ſine magno hominis dolore fieri poteſt. Tandem, ubi pus maturuit, illud frequentius inteſtinum perrumpit & multo cum fœtore per alvum effertur, æger autem protinus illo acerbiſſimo dolore levatur. Si vero profundius condita ſuppuratio eſt, & illa non aperitur, inflammatio ſe, manente humore, remittit, qui, acrior factus, adipem rodit. Fit igitur ulcus, quod in plures ſinus dividitur & callo etiam inducitur.

§. 994.

Ne ergo pus inteſtinum perrumpat, feſtinandum, & tumor, etiam crudus, aperiendus eſt. In hoc enim caſu, &, ſi pus altius movetur, non exſpectanda eſt maturitas, nec diu ſuperhabenda ſunt cataplaſmata, ut abſceſſus per ſe aperiatur; ſed is, quamvis nondum maturuiſſe videatur, ſubcrudus altiori plaga incidendus eſt, & humor evocandus. (conf. 96.)

§. 995.

Igitur ita æger collocari debet in lectulo, ut cruribus adductis, immo ventri ex latere incumbat, utque, porrectis natibus, morbi ſedes in conſpectu chirurgi ſit. Id enim in omnibus his curationibus, quæ ani vitiis adhibentur, commodius eſt, quam, ſi æger pronus, tranſverſo lecto, coxis elatioribus, demiſſo capite, jacet. Nam, ſi priori ratione collocatur, muſculi omnes quieſcunt, (945.) atque etiam, ſi forte ex præciſa arteria ſanguis periculoſius fluit, neceſſe non eſt, ægrum aliter collocari, ſed protinus adhiberi poſſunt auxilia, quæ adverſus ſanguinis profuſionem maxime poſſunt. (407. ad 417.) Nates vero impoſitis a miniſtro manibus diducuntur, & ſcalpellum anceps altius in tumorem demittitur, ex quo, quia is crudus inciditur, plerumque multus ſanguis cum pauco pure fertur. (96.) Nec ſcalpellum protinus recipitur, ſed vulnus latius, etiam tribus, vel pluribus, lineis inciditur, ut imus ſinus pateat. Ne oræ celerius iterum coëant, convenit imum ſinum lineamentis compreſſiſque pulvillis, vel ellychniis, (20.) ſuper ſe etiam fultis, iiſque aridis, impleri, quibus etiam ſanguis ſupprimitur. Vulnus purgandum, deinde implendum eſſe, apparere cuilibet ex prioribus poteſt.

§. 996.

Si vero ſanguis cum periculo fluit, adhibenda ſunt auxilia, quæ ſupra præcepi. (406. ad 418.) Quia vero faſcia his ſedibus ita

accommodari non poteſt, ut ſatis contineat, ſæpe neceſſitas poſcit, ut linamenta pannoſque ſuper vulnus fulciendos miniſter manu ſine intermiſſione vulneri apprimat.

§. 997.

Faſcia his vltiis, quæ in ano ſunt, hæc idonea eſt: Arcte circum imum ventrem dari debet mantile, huic autem aſſuenda eſt longior ampliorque habena, quæ a media ſua & poſteriore parte, cui anus ſubjiciendus, integra, veluti pannus quadratus, hunc contegit. Inferius autem habena duo capita habet, quæ ſub perinæo per femina antrorſum ad mantile feruntur, ac huic adſuuntur. Id quod habenæ reliquum eſt, per tergum adſcendit & fiſſum ægri caput comprehendit, extremum vero etiam anterius mantili adſuitur. Sunt, qui habenam dividunt, ut alia ſit, quæ per inguina, alia, quæ ſuper axillas, fertur.

§. 998.

Nonnumquam ex ejuſmodi abſceſſibus, ſi ii non protinus, ut primum apparent, etiam crudi inciduntur, & humor, qui intus confluxit, evocatur, ulcera oriuntur, ex his etiam, ſi occalluerunt, fiſtulæ. (99.) Harum tria genera ſunt. 1) Siquidem aliæ ab uno ore in cute orſæ nondum violato inteſtino intra adipem deſinunt. 2) Aliæ non ad cutim, ſed ad inteſtinum tendunt, & in hoc patent. 3) Aliæ extrinſecus a cute orſæ etiam ad inteſtinum penetrant. Non vero ſolum in generibus diſcrimen eſt, ſed etiam in multis aliis, prout hoc de fiſtulis, quæ etiam in aliis ſedibus oriuntur, ſupra exſecutus ſum. (944.)

§. 999.

Expedita cognitio eſt primi generis. Quo vero chirurgus certus ſit, inteſtinum haud violatum eſſe, in ſinum ſpecillum, in alvum digitum, oleo prius inunctum, circumciſis etiam diligenter unguibus, demittere debet, ut, quo fiſtula tendat, & quam alte perveniat, ſcire poſſit. Nonnumquam neceſſe eſt, ut ſinus amplietur, id quod, vel nova ſectione fit, & ſi is pluribus lineis inciditur, vel conjecto in eum illo turandarum genere, quæ ex ſpongia cerata, rapa ſiccata, aliiſque humorem ex ulcere bibentibus, parantur. (20.)

§. 1000.

Ulcus vero, vel fiſtulam, intus inteſtinum perrupiſſe, alia quædam indicia oſtendunt. Si æger ea parte vehementi dolore cum

aliis inflammationis ſignis fuit vexatus, dolor autem ſe ſubito remiſit, & eo, quo is conquievit, tempore major puris modus cum alvo ex inteſtino elatus fuit: (992.) Si etiam quandoque pus, vel ſanies, ex inteſtino exit: Si æger ea parte dolorem, vel pruritum, ſentit. Oportet etiam demiſſo in alvum, & digito, & ſpecillo, violatum inteſtinum explorari. Extrinſecus admoto cuti digito tumor altius tactu ſentitur, qui, ſi fiſtula callum habet, durior eſt, ac digito renititur.

§. 1001.

Tertium genus, & fiſtulam a cute orſam, ad inteſtinum penetraſſe, ſignificat liquor medio ſiphone in os fiſtulæ immiſſus, ſi is per alvum defluit: Si aliquid ſtercoris per fiſtulas effertur; ſi ultimo ſpecillo in fiſtulam conjecto digitus in alvum demiſſus contingitur. Non difficile eſt per fiſtulæ ſinum in inteſtinum conjicere minorem tenuemque cereum, atque hujus caput digito in alvum demiſſo apprehendere atque extrahere. Hic cereus etiam, ſi ita in inteſtino relinquitur, ſæpe cum alvo deſcendit, qui etiam oſtendit, quam alte perveniat fiſtula.

§. 1002.

Magna diligentia in explorandis fiſtulis opus eſt. Ægrum ea ratione collocari, ac ſupra retuli, (994.) digitum autem alterius manus in anum, ſpecillum in fiſtulam, demitti, omniaque ſervari oportet, quæ proxime (945.) ſcripta ſunt. Ad id neceſſe eſt, ut a miniſtro nates, impoſitis utrimque manibus, diducantur. Confert etiam, ægrum mox aliter atque aliter collocari, & nates etiam aliquando a miniſtro eo tempore, quo ſpecillum demittitur, diduci, aliquando laxari. Tactu etiam explorari oportet, ſi qua parte arteriæ ictus percipiuntur. Prius autem, quam ſpecillum, vel digitus, demittitur, alvus, ſi ea naturaliter non reddita fuit, lotione ducenda eſt.

§. 1003.

Adverſus omnes ani fiſtulas majus certiuſque in manu, quam in medicamentis, præſidium eſt. Minus operæ eſſe ſolet, ſi illæ breves, ſimplices atque recentes, & in corpore etiam integro, ſunt. Ubi autem his contraria ſunt, & ubi fiſtulæ altius & aliquo, quo ſcalpellus tuto pervenire non poteſt, ad veſicam, urethram, abdomen, & hujus membranam, ſive peritonæum, & in feminis ad vaginam, nec non ad oſſa, ſacrum & coccygis, eaque

vitiata, perveniunt, ſi in plures partes diducuntur & inveteraverunt, etiam ſi corpus ſenile, ægrum & corruptum eſt; ſi inteſtinum altiori loco violatum eſt, quam, ut eo digitus ferri poſſit, illæ cum difficultate curantur, atque etiam inſanabiles reperiuntur. In fiſtulis altioribus, ſi inciduntur, ingens periculum eſſe ſolet ex ſanguinis profuſione. Fiſtulæ, quæ, poſt malis curationibus ſuppreſſam gonorrhæam, in peritonæo oriuntur, plerumque ad proſtatam, & corpora cavernoſa penis, & in ipſam urethram, tendunt, & difficilius ſaneſcunt. Raro etiam fiſtulæ in iis, qui venereo morbo ægri ſunt, prius vincuntur, quam illud vitium, quod in humidis eſt, fuit levatum. Nam, ſi tales ſolis medicamentis extrinſecus impoſitis curantur, illæ raro non ultra procedunt, ita, ut iis etiam putris caro ſuperincreſcat *a*. Quod vero ad illa fiſtularum tria genera attinet, (997.) primum & ultimum genus minori negotio curatur, quam ſecundum, in quo non cutis, ſed ſolum inteſtinum violatum eſt.

a Vid. LE DRAN T. II. Obſ. 84. p. 216.

§. 1004.

Cum vero jam ad curationem veniendum eſt, prius de illo genere dicam, quod extrinſecus ab ore in cute orſum etiam ad inteſtinum penetrat. (997. 3.) Sanguis ex brachio mittendus & imperanda abſtinentia eſt, alvus autem prius ducenda lotionibus. Etiam ſi fiſtulæ os nimis anguſtum eſt, id, vel ſectione in duas lineas facta, vel demiſſa prius in illud turunda, quæ ex rapa ſiccata, vel ſpongia cerata, paratur, ampliari debet. Neceſſe quoque eſt, ut ægro, qui ſcalpello curandus eſt, veſica exoneretur, & is ea ratione, quam ſupra (994.) præcepi, collocetur.

§. 1005.

Si fiſtula calloſa non altius penetravit, ſed in extrema parte inteſtinum perrupit, expeditiſſima curatio eſt, ſpecillum, quod acus majoris figuram habet, ex plumbo, argentove, flexile in fiſtulam conjicere, idque per anum educere. Duo vero ſpecilli inflexi capita valentius adducere, & cutim utrimque ſuper id duabus lineis incidere, atque omnem fiſtulam cum callo & cute, quæ ſuper fiſtulam eſt, excidere.

§. 1006.

Si vero fiſtula altius penetrat, atque etiam intra inteſtinum deſinit, in eam conjici poteſt ſpecillum, quod ſulcum habet,

quòd vero non per interius fiſtulæ os, quo ea in inteſtinum patet, trajicitur, ſed ſupra illud paulo altius per inteſtinum, qua parte id integrum eſt. Perforato ſic inteſtino, ſpecillum per anum educitur, & ſuper id ſcalpello recto fiſtula inciditur. Pòſt autem callus, ſi is totus excidi non poteſt, ſcalpello, lineis in longum ductis, & forfice etiam incurva, tranſverſe conciditur, & impoſitis medicamentis rodentibus atque pus alentibus tollitur, ulcus vero, ſi purgatum eſt, implentibus curatur. Si flexus & alii ſinus reperiuntur, illi etiam ſpecillo ferroque perſequendi ſunt. Præſtat vero, id protinus fieri, niſi id ægri imbecillitas & ſanguinis profuſio impediat. Nam, ubi ulcus pus alere cœpit, difficilius reperiuntur ſinus & rivuli, qui ad latera tendunt, quippe quorum ora valde anguſta ſunt. (945.) Ulcus etiam, quamvis id linamentis impleatur, coarctari plerumque ſolet.

§. 1007.

Alia ferramentorum atque ſcalpellorum genera repererunt, quibus etiam has fiſtulas minori ægri dolore incidunt. Scalpelli genus eſt, cujus extremum mucronem obtuſum habet, Gallis regium dictum *a*. Hoc in fiſtulam demittitur & inclinatur, ut mucro per anum exeat, id vero adducendo, fiſtula & inteſtinum, omneque, quod inter hæc eſt, ſecatur. Etiam ſcalpellum habent, cujus obtuſo apici ferruminando ſpecillum argenteum flexile junctum eſt, quod ultimum etiam per fiſtulam in inteſtinum conjicitur, & per anum educitur *b*. Hoc, quod ſyringotomum vocant, illis fiſtularum generibus opportunum eſt, quod altius & recta intus fertur atque inteſtinum ſuperiori parte perrupit. Nec deſunt alii, qui illo ſcalpelli genere, quod elatere movetur, (954.) utuntur: ne autem eo inteſtinum altera, & fiſtulæ oppoſita, parte vulneretur, prius in hoc conjiciunt ferramentum, canaliculi in modum excavatum *c*. His omnibus fiſtula minori dolore inciditur, callus vero haud exciditur, immo ulcus non ſatis ampliatur, quare illud medentem fallere poteſt. Si vero aliquis nihilominus his ſcalpellorum generibus uti velit, eum oportet protinus, inciſa fiſtula, forfice concidere illam ſupremam inteſtini oram ea parte, qua illud mala materia perroſerat, quæ, cum vel calloſa, vel alienata ſit, niſi exaſperetur, glutinari nequit. Omnia ferramenta, quæ in fiſtulam, vel anum, demittuntur, oleo inuncta eſſe oportet.

a Biſtoury Royal. Vide HEISTERUM T. V. fig. 3.

b Hoc a LE MAIRE, Argentoratenſium Chirurgo, inventum primus deſcripſit Cl. HENR. BASS in Diſſert. de Fiſtula Ani feliciter curanda, Halæ, CIↃIↃCCXVIII. Frid. Hoffmanno præſide, propoſita. Hoc parum immutatum vid. in GARENGEOT T. I. Cap. IX. Art. V. p. 337.

c Quale eſt, quod delineavit HEISTERUS in Chirurg. Tab. XXXV. fig. II. qui etiam alia ferramentorum ac ſcalpellorum genera habet. SHARPIUS iconem dedit forficis, qua ani fiſtulam incidit. Vid. ejus Tab. II. p. 31. B.

§. 1008.

Alterum genus fiſtulæ, quod recta intus tendit, quo vero inteſtinum violatum non eſt (997. 1.) ea ratione, qua de abſceſſu dixi, duabus & pluribus lineis incidendum eſt, ut imus ſinus pateat. (994.) Ubi ad finem fiſtulæ ventum eſt, callus etiam vel totus excidi, vel concidi, & adurentibus exedi debet. Si quando fiſtula inteſtinum nondum perrupit, eo autem tendit, illaque propior eſt, celeritati multum adjicitur, ſi protinus demiſſum in fiſtulam acutum ſpecillum per inteſtinum trajicitur, atque ſuper id, & fiſtula, & inteſtinum, inciditur.

§. 1009.

Tertium genus, (997. 2.) quod integra cute in inteſtinum patet, hanc moleſtiam habet, ut illud prius extrinſecus aperiendum ſit. Ubi enim tactu ſub cute tumor, vel callus, ſentitur, demittendum ſcalpellum & aperiendus ſinus eſt. Hoc minori negotio fit, ſi conjectus in anum digitus ad fiſtulam flectitur & eo cutis extrorſum urgetur, ita, ut hæc contra digitum incidatur. Si autem ſinus in inteſtino arctior eſt, & digitum non recipit, ſpecillum ex plumbo, vel argento, ita inflecti debet & per anum in fiſtulam demitti, ut contra hujus caput cutis incidi queat. Perforata autem cute, cetera in curatione ſimilia his eſſe debent, quæ in illo fiſtulæ genere, quod & extrinſecus & in inteſtinum patet, præcepi. (1003. ad 1005.)

§. 1009.

Quo ſemper in his curationibus imus fiſtulæ inciſæ ſinus oculis pateat, ille cum linamentis impleri atque impoſitis pannis vinciri debet *a*. Hæc tolli oportet, ſi alvum dejiciendi neceſſitas eſt. Etiam poſt dejectionem ulcus ſpongia ex calida, vel vino, expreſſa, ſedulo purgari atque iterum novis linamentis, quibus etiam medicamenta illinuntur, impleri debet. Quo primis diebus, quibus quandoque metus eſt, ne ſanguis feratur, æger alvum cohibere poſſit, & illa ante curationem duci, & æger ſorbitionibus ſuſtineri debet. Nec ignorari oportet, homini, qui ita curatus

fuit, primis diebus frequentem desidendi cupiditatem esse, parum vero, vel nihil, ut plurimum excerni.

a Pulvilli atque linamenta ita demitti debent: In anum conjicitur digitus chirurgi, ita, ut is fistulæ incisæ sinum contegat: inter digitum & intestinum fistulæ oppositum altius demittuntur linamenta, quæ, vel in pulvillos, vel ellychnia varii generis, (*plumaceaux*, *bourdonnets*, & *maiges vel meches* 19. 20.) figurantur. Si hæc in intestino supra fistulæ finem detrusa fuerunt, digitus tollitur, & eo linamenta in fistulam deprimuntur. Vid. LE DRAN Obs. 83. p. 214.

§. 1011.

Aliæ quædam animadversiones necessariæ sunt. Si totus callus excisus non fuit, oportet adhiberi multam diligentiam, ne ejus quid maneat; quare, & demisso in ulcus digito, & specillo, omnia crebrius atque diligentius explorari debent. Sedulo etiam videndum, num ulcus, si illud purum videtur, siccum sit, an humidum. Nam, plures ac reconditos sinus subesse, manifestum est ex modo puris, si hujus plus fertur, quam, quod simplici spatio convenit. Ani spincter sine periculo, etiam repetitis vicibus, inciditur. Si vero ejus multum exciditur, adurentibus roditur, vel magna concitata suppuratione corrumpitur, is offenditur, ut quandoque angustetur, quandoque etiam resolvatur, ita ut alvum non recte continere possit.

§. 1012.

Interdum, si fistula altius descendit, evenire solet, ut, præcisa arteria, venave, sanguis cum impetu fluat, id quod non sine periculo est. Si igitur profusionem timemus, vulnus implendum est linamentis, quæ, si sicca parum valent, etiam alcohol, vel alio liquore stiptico, madefacienda sunt, & manu super comprimenda. Quandoque, si sanguis conquiescere videtur, alius metus subest, ne is, si ei exitus non datur, feratur in intestinum; id quod sciri potest, si ægrum ventris inflatio atque tormina afficiunt.

§. 1013.

Veteres linum in fistulam conjectum ligaverunt, quo paulatim, & cutis, & fistula incisa fuit. Quæ ratio curationis longa atque tædii plena fuit.

b Vid. HIPPOCRATEM de Fistulis. T. XII. p. 680. CELSUM L. VII. c. 5.

§. 1014.

Si fistula intus aliqua procedit, quo scalpellum tuto pervenire non poterit, vel, si ætas, aliaque, illam curari prohibent, collyrio utendum est, quo illa pura sit. Ad id idonea sunt deco-

ctum herbarum, abſinthii, rutæ, agrimoniæ, ſalviæ & ſimilium, nec non aqua vulneraria, cui parum eſſentiæ ſuccini adjici poteſt. (913.)

HÆMORRHOIDES.

§. 1015.

Raro evenire ſolet, ut ex hæmorrhoidibus ſanguinis profuſio oriatur, quæ manus auxilium deſiderare poſſit. Si enim ſanguis exitum per hæc venarum ora non habet, multa obſervatione compertum eſt, inlinata in viſcera materia homines ſubitis & graviſſimis morbis correptos eſſe. Si autem ora venarum, vel ſæpius, vel periculoſius, ſanguinem fundunt, & homo ex ejus profluvio imbecillior fit, imperanda eſt abſtinentia, quies & potio dilutiſſima, dandaque ſunt alia, quæ adverſus ſanguinis profuſionem alibi præcepi. (417. 418.) Neceſſe etiam eſt, ut alvus, ſi ea coacta & adſtrictior eſt, lotione in eam immiſſa, quæ egelida, nitrum adjectum habet, ſolvatur. Parum tuto ſupprimitur profluvium, admotis extrinſecus adſtringentibus, vel ſi ora venarum ferro candente aduruntur, aut filo conſtringuntur. Si ora venarum, tamquam capitulis quibuſdam turgentia, ſanguinem fundunt, alii præcipiunt, ut ea volſella, hamulove, apprehendantur, & forfice, vel ſcalpello, excidantur, quo profluvium melius poſſit ſupprimi. Ad omnia hæc auxilia non facile, & niſi neceſſitas cogat, decurrendum eſt. Ex his tuberculis ſæpe mala ulcera & condylomata naſcuntur.

§. 1016.

Multo autem frequentius evenire ſolet, ut illa venarum ora magna cum inflammatione & intolerabili dolore intumeſcant. Hæmorrhoides cæcas vocare ſolent. Accidere id ſolet, ſi ſanguini exitus non datur, vel etiam, ſi æger ſumſit ex purgantibus acriora, & quæ multam aloën habent, nec non, ſi in humidis ex ſcorbuto & venerea lue vitium, & ſi ſanguis percraſſus eſt, qualis eſſe ſolet eis, qui corpus parum exercent. Hæc valetudo etiam ex aliis naſcitur, quæ ſupra, ubi de abſceſſibus dixi, qui circa anum ſunt, exſecutus ſum. (991.) Horum vitiorum curatio a medicis requirenda eſt. Alvus lotione minime acri, ex emollientibus, lacte atque oleo, cienda; ſanguis, ſi is

abundat, mittendus, & potio dilutiſſima & victus a fame propior imperandus eſt. Circumcidendum vinum eſt, & omne acre, & quod ſanguinem movet, vel alvum adſtringit, aut inflat, & adhibenda ſunt alia, quæ adverſus inflammationem valent. (*62. 64. 66.*)

§. 1017.

Extrinſecus autem emollientia (*91.*) ex lacte coqui debent, & ex decocto multiplices panni recte exprimi, (*24.*) atque calidi loco dolenti admoveri. In alvum immitti poteſt oleum verbaſci, liliorum alborum, cui, ſi inteſtinum ab acri humore eroſum atque exulceratum eſt, parum unguenti de linaria adjici poteſt. Hoc enim, ſi ſolum in inteſtinum demittitur, nimis valens ad reprimendum eſſe, deprehenditur. Profuit etiam plurimum, ſi tubercula manu chirurgi, quæ oleo inuncta eſſe debet, intus promoventur; id quod neceſſarium eſt, ſi inteſtinum aliquantum reſolutum fuit. Peſtiferum eſt, ſi alcohol cum camphora, aqua calcis, & fumus ex ligno querneo, vel combuſtis muribus, ſic dictis, marinis, his tuberculis admovetur.

§. 1018.

His etiam opitulantur hirudines, ſi tuberculis admoventur. Meliores ad id habentur, quæ ex aquis puris colliguntur, & quæ ex flavo virideſcentem colorem habent. Confert etiam, eas, quæ ſanguine aluntur, famelicas eſſe. Locus, cui admoveri debent, ſedulo prius ſpongia extergi, & ei parum lactis, vel recentis ſanguinis, illiniri debet. Chirurgus hirudinem, quam admovere vult, manu prehendit linteolo obvoluta, vel eam collocat in arundinem in longum ſciſſam. Illæ, poſtquam ſe ſanguine impleverunt, decidunt, numquam enim vi diduci debent. Recedunt etiam, ſi cinere, vel ſale, adſperguntur.

§. 1019.

Illa hæmorrhoidum tumentium capitula interdum ſcalpello inciduntur, & ſanguis ex iis evocatur. Hoc vero non ſemper & in omni corpore, ſed tantum in eo, quod integrum eſt, & cujus humida nullum vitium habent; atque non aliter experiendum eſt, quam, ſi omnia auxilia, quæ mox propoſita, parum proficiunt, & ubi dolor, cum gravioris morbi metu, vehementer urget.

CONDYLOMATA.

§. 1020.

Sæpe enim ex hæmorrhoidum capitulis, ſi illa, vel inciſa fuerunt, vel ſuperdatis malis medicamentis, retentaque materia, induruerunt, tubercula multi generis naſcuntur, quibus a figura, duritie, aliiſque varia nomina impoſita ſunt. Condylomata ſunt tubercula majora, ceteris duriora, quæ ſi extremum inciſum & criſtatum habent, criſtæ nonnullis dicuntur. Θύμιον vel ἀκροθύμιον, verrucæ genus eſſe, ſupra (886.) retuli, quod etiam in his ſedibus quandoque naſcitur. Ficus tumor rotundus eſt ad cutim tenuis, ſupra latior, rarus ac mollis, cum quo fere convenit mariſca. Multum ad hæc tumorum genera confert, ſi corpus corrupti habitus & vitium ex venerea lue per id diffuſum eſt, vel, ſi in his ſedibus mala ulcera fiunt, & his nulla curatio adhibetur.

§. 1021.

Hæc tubercula non ſolum extrinſecus circum anum naſcuntur, ſed iis interdum inteſtinum altius etiam impletur, adeo, ut illa intus ſe opponant totumque inteſtinum intercludant & prohibeant, quo minus ſtercus deſcendere poſſit, quæ res etiam miſeram mortem adferre poteſt. Nam ſi altius in inteſtino atque penitius inſederunt, inſanabilia ſunt. Curationibus etiam ſæpe ea, quæ ſine dolore ſunt, concitantur, &, exciſa etiam, nonnumquam poſt inductam cicatricem revertunt. Hoc frequentius incidit, ſi corpus ægrum eſt, ſenile, atque mali habitus, & ſi vitium, per humida diffuſum, non fuit idoneis medicamentis victuque diſcuſſum.

§. 1022.

Excidi ergo poſſunt hæc tubercula, quæ extrinſecus circa anum & in inferioribus inteſtini partibus ſunt. Alvus ante omnia ducitur. Tum volſella, vel digitis etiam, tuberculum apprehenditur ac valentius adducitur, illudque ita exciditur, ut aliquid ex cute, ipſoque etiam ano, dematur. Nam præ aliis condylomata radices altius exigunt, quæ, ſi relinquuntur, illa renaſci ſolent. Hac enim ratione radices minori negotio, minori etiam ægri periculo, tolluntur, quam, ſi id quod plures præcipiunt,

adurentibus efficitur, ut illæ emoriantur. Si aliquid ex ano hujuſque ſphincȣere demendum fuit, ſub curatione in anum danda eſt major denſiorque turunda, ne, glutinatis inter ſe vulneris oris, anus nimium coanguſtetur. Si multum ſphincȣeris demtum fuit, manet quandoque imbecillitas, ut æger alvum vix continere poſſit. (1010.)

ANI PROCIDENTIA.

§. 1023.

Tædii etiam plenum vitium eſt, ſi anus, id quod interdum fit, procidit. Hoc enim evenire ſolet, ſi hominem cita alvus diu exercuit & per eam multa acria bilioſa deſcenderunt, ſi acrioribus purgantibus illa crebrius ducitur, ſi in inteſtino aſcarides, vel mala ulcera ſunt, ex quibus, atque ex veſicæ calculo, oritur teneſmus, in quo frequens deſidendi cupiditas eſt, atque dolor, ubi aliquid excernitur: Nam his omnibus, & ſi æger crebrius hæmorrhoidibus vexatus fuit, inteſtinum tandem infirmatur, quod ſub levi nixu deſcendit & procidit. Accedere quandoque ſolet inflammatio, quæ oritur, ſi ſphincȣer ſe valentius contrahit, &, id quod procidit, premit.

§. 1024.

Si cauſæ (1022.) patent, illas ante omnia tolli oportet. Si ſanies acrior per alvum defluit, in hanc dari debent oleum & lotiones ex decocȣo avenæ, cremore, lacȣe, ex quo coqui poſſunt emollientia. Aſcarides necantur, ſi oleum in alvum immittitur, idque, quamdiu poteſt, in ea relinquitur.

§. 1025.

Si vero, id quod procidit, inflammatum eſt, adhibenda ſunt fomenta & alia, quæ ſupra (1016.) præcepi, & ubi inteſtinum paululum detumuit, illud digitis (1016.) debet promoveri atque intus compelli, pòſt autem, pluribus multiplicibuſque pannis impoſitis, injicienda faſcia (996.) eſt. Admoveri etiam poſſunt, quæ leniter reprimunt, vinum auſterum, ex quo etiam coqui poſſunt radix tormentillæ biſtortæque, malicorium. Convenit etiam, locum thure, maſtiche, baccis juniperi, ſuffire.

§. 1026.

Si vero quædam infirmitas manet, alvus numquam vehementioribus duci, ita tamen lotionibus ſolvi, debet, ne illa coacta vi & majori nixu exprimenda ſit. Poſt dejectionem etiam adhiberi poſſunt alia reprimentia. (1024.) Neceſſe eſt, ut æger adductis, devinctis etiam inter ſe, cruribus ſedeat jaceatque. Nonnumquam malum nullam curationem recipit, id quod etiam fieri ſolet, ſi vitium ex ſectione, quam lateralem vocant, relinquitur, qua calculus ad Fratris Jacobi methodum extractus fuit, (989.) cum ea ani levator incidatur.

ANUS PRÆCLUSUS.

§. 1027.

Huic contrarium vitium eſt, ſi anus præcluſus eſt, id quod plerumque protinus in utero materno evenit. Si inteſtino oppoſita membrana eſt, curatio facilis eſſe ſolet. Si vero inteſtinum altius atque penitius intercluſum eſt, vitium plerumque morte finitur. Interdum ſtercus, reperta aliqua via, in puellis per vulvam, in pueris per veſicam, fertur.

§. 1028.

Si membrana ſe oppoſuit, oportet eam ſcalpello ancipiti duabus lineis tranſverſis incidere. Poſtquam meconium deſcendit, plaga, ſi id neceſſarium videtur, vel nova ſectione, vel demiſſo in eum digito, prius oleo inuncto, ampliari debet. Commodum etiam eſt, ut id, quod meconii ſupereſt, lotione immiſſa educatur. In anum vero dari debet turunda paulo plenior atque durior, ne vulneris oræ ſaneſcendo inter ſe jungantur, & anus nimis coanguſtetur. Turunda medicamento, quod cicatricem inducere poteſt, (396.) illinenda eſt, quam tamdiu intus dari convenit, donec plaga ad cicatricem perveniat.

OSSIUM MORBI.

§. 1029.

DUriores corporis partes, ossa, ex tenuioribus lamellis, minoribus, & quæ angustiori orbe finiuntur, bracteolis, vel squamulis, nec non ex fibris, atque his omnibus certa ratione inter se concretis & coagmentatis, constant. Illæ, tum lamellæ, tum squamulæ, non solum ex fibris componuntur, sed etiam mediis aliis fibris transversis, vel, ut quibusdam videtur, reflexis, inter se junguntur copulanturque. Lamellæ in ossibus solidis & eorum etiam partibus, quæ majorem duritiem habent, majores & rectæ sunt, ac quasi lævigatæ, & quæ sibi junctæ arctius continentur, id quod v. g. in femoris tereti mediaque parte conspicitur. In ossibus autem mollibus ac raris minus frequentes sunt majores lamellæ, illæque etiam flexuosæ ac inæquales videntur, crebriores autem squamulæ atque fibræ reperiuntur. His efficitur, ut os tumidum sit molle, rarum ac cavernosum, quale femur est, ubi illud extremis suis partibus intumescit. Harum cavernularum varia figura & magnitudo est. Quo illæ autem majores sunt, eo rariora ac molliora ossa etiam esse solent. Nam in ossibus solidis durisque etiam cavernulas, quamvis minores, esse, medulla probat, quam illa exsudant. Tandem vero in ossibus fistulatis horumque interiori parte deficiunt, & lamellæ, & squamulæ, & plures in longum ductæ atque etiam transversæ & obliquæ fibræ sunt, quæ quasi reticulatum opus constituunt, sustinendæ pinguiori medullæ accommodatum. Inter lamellas, bracteolas atque fibras, arteriæ venæque discurrunt, quæ ossibus, ut ceteris partibus, alimentum subministrant.

a Vid. CLOPTON HAVERS Osteologia nova, GAGLIARDI Anatome Ossium, WINSLOVV Expos. Anat. T. I. §. 84. sq.

§. 1030.

Ossa omnia, si dentes excipias, extrinsecus membrana includuntur, quam periostium vocant. Illa arctius ossibus inhæresit & non sine negotio ab iis diducitur. Incipere dicitur a dura matre, cum qua in orbitis aliisque capitis sedibus committitur. Eam nervosam esse, dolor manifestat, qui, ubi injuriam acce-

pit, oritur. Sunt etiam arteriæ venæque admodum multæ, quæ a perioſtio in oſſa pertinent. Inter os & membranam contextus eſſe videtur celluloſus, valde tener. Membrana hæc non æqualem craſſitudinem habet, ſed in aliis ſedibus tenujor, in aliis plenior eſt. Fibræ enim ex muſculorum tendinibus atque oſſium ligamentis, quæ ſuper oſſa finiuntur, illi junguntur, ex quibus perioſtium craſſeſcit. Ex perioſtio ad oſſa pertinent iiſque adhærent arteriæ, per quas ſuccus, quo illa aluntur, permanat, quibus etiam accommodatæ venæ ſunt. Super hanc membranam etiam, quæ lævis ac lubrica eſt, muſculi celeriori mobilitate feruntur. Ea epiphyſes contineri, ex eo diſcitur, quod hæ decidunt, ubi perioſtium exeſum fuit.

§. 1031.

Alia membrana eſt, qua oſſa interius cinguntur. Hæc naſcitur ex arteriis, venis nerviſque, quæ per foramina feruntur, ab exteriori ad oſſium intimas partes pervia. Hac membrana non ſolum majora medulloſaque cava includuntur, ſed etiam illæ cavernulæ oſſium cavorum ac mollium. A vero propius eſt, etiam hanc membranam, ſive internum perioſtium, ex duabus tunicis conſtare, per alteram ad oſſa permanare ſuccum, quo illa aluntur, per alteram, & maxime illius interiores partes, in oſſis cavum cavernaſque medullam cadere, atque ad varios uſus ſecerni. Oſſa, ſi læduntur, nullo, perioſtium externum acerrimo, perioſtium internum, vel medullam *a*, aliquo, ſenſu doloris affici, experimentis cognitum eſt.

a Vid. C. A. R. Sc. MDCC. p. 252.

§. 1032.

Medulla ex arteriis ad interius perioſtium pertinentibus a reliquo ſanguine ſecernitur. In ea vero etiam diſcrimen eſt. Nam quædam pinguior atque oleoſa, ut vera adeps, membranaceis folliculis continetur, qua majora cava oſſium teretium implentur. Hæc illo fibrarum oſſearum reticulato opere (1027.) quaſi ſuſpenſa ſuſtinetur. Alia medulla eſt tenerior, & lymphæ ſuccoque ſimilis, quo corpus alitur, in qua etiam, ſi illa arte coquinaria in jus vocatur, plurimum alimenti eſt. Ea in illis oſſium rarorum molliumque cavernis ſecernitur. Hac tamen multo tenerior eſſe videtur illa medulla, quam oſſa etiam duriſſima, ſi ſoli exponuntur, exſudant, & quam minimis & ſenſum effugientibus lo-

culamentis contineri jam retuli. Omnis medulla in corpore integro, & quod quieſcit, pinguis eſt & oleoſa; ubi vero corpus infirmum & mali habitus eſt, vel ſenile, poſt longam etiam inediam atque multam exercitationum defatigationem illa tenuis fit, ſanioſa, acris. In iis, quibus venereus morbus per humida diffuſus eſt, oſſa emedullata atque multo leviora fiunt. Nemini obſcurum eſt, medulla, quæ oſſibus inſidet, effici, ut his quædam flexilis mollitia ſit, & prohiberi, quo minus hæc facile findantur franganturque.

§. 1033.

Neceſſarium eſt, medentes hæc ſcire, cum omnes hæ oſſium partes ex variis cauſis laborare & ex his multi ac peſtiferi morbi oriri ſoleant. Nam, ſi perioſtium externum inflammatur, inflammatio vero ad ſuppurationem ſpectat, hæc membrana ab oſſe diducitur & corrumpitur. Oſſis igitur exterior pars, quoniam a perioſtio nullum alimentum accipit, vitiatur atque emoritur, & os carioſum fit. Hoc etiam accidit, ſi ictu aliquo, vel alia cauſa, membrana ab oſſe diducitur. Si humida, quæ per oſſa, etiam duriſſima, naturaliter feruntur, in his ex ſuis receptaculis effunduntur atque quieſcunt, illis oſſium fibræ diducuntur, & naſcitur tumor, qui ἐξόστωσις vocatur. Si ſuccus ille ex vaſis ſuis emiſſus bonus eſt, qualis eſſe ſolet, quo medio fracta conſervent, ille in callum duratur, qui tandem in os vertitur, & tumor benignus eſt *a*. Si vero aliud vitium ſubeſt, & humor ille acrior non ſolum oſſium fibras inter ſe diducit, ſed quoque exeſt atque corrumpit, exoſtoſis dicitur maligna *b*. In his tumoribus nonnumquam putris caro reperitur, quæ naſci conſuevit ex minoribus per oſſa diſcurrentibus arteriis, quæ, exeſa atque liquata per vitiatum humorem oſſea materia, fungi in modum, increſcunt *c*. Ex eadem cauſa & vitiatis humoribus nonnumquam oſſa, non ex parte, ſed tota, intumeſcunt, quod morbi genus ὑπερόστωσις a recentioribus vocatur *d*. Immo interdum oſſa ita molleſcunt, ut, quaſi cerea, flecti queant, quæ, ut videtur, acido inprimis, humore emollita, tum muſculorum actione, tum corporis pondere, incurveſcunt *e*. In aliis oritur mira fragilitas, adeo, ut ex levi contactu, motuve, frangantur *f*. In his omnibus vitiis, cum ceteris per totum corpus diffuſis humoribus, etiam medulla corrupta eſt. Quæ, ſi aliqua parte, frequentius ve-

ro in offium partibus cavernofis rarifque, præcipue prope articulos & in epiphyfibus, ex quacumque cauſa ſubſiſtit & corrumpitur, dirum illud valetudinis genus efficit, quod παιδαρθροκακὴν, vel ſpinam ventoſam, vocamus *g*.

a Vid. PETIT *des maladies des Os* T. II. p. 380. ſqq. Poſſideo calvariam, in qua talis exoſtoſis eſt in oſſe coronali, & hujus parte ſiniſtra. Ictum vehementiorem ſine dubio homo acceperat, nam non ſolum exterior calvariæ pars quaſſata & confracta fuit, ſed & intus lamina vitrea fiſſa eſt. Inter utramque vero laminam & fractas ſquamas callus duriſſimus deprehenditur, qui etiam hanc calvariæ partem longe ponderoſiorem reddit. Ab illa parte coronalis incipit amplior fiſſura, quæ per medium os temporis ad futuram lambdoideam uſque procedit. In parte poſteriori bregmatis os modiolo exciſum fuiſſe deprehenditur. Homo tam graviter vulneratus vixit & convaluit. Nam & fiſſura & ſinus modiolo factus callo completus fuit, qui majorem partem, & relicta minori fiſſura atque exiguo foramine, jam in verum os duratus fuit.

b Vide figuras in CHESELDENS *Oſteographie* Tab. XLII. fig. 2. in maxilla inferiori & Tab. LIII.

c Hoc etiam ex ictu illato accidit. Vid. PETIT l. c. p. 389. conf. §. 526.

d Vid. Cel. ASTRUC c. l. L. IV. Cap. III. T. I. p. 416. conf. figuras in RUYSCHII Theſ. X. Tab. II. fig. 2. CHESELDEN Tab. XLIX. fig. 2. Tab. LV. fig. 1.

e Hoc in pueris rhachitide laborantibus frequens eſt. Vid. fig. in C. A. R. Sc. MDCCVI. p. 613. ſq. CHESELDENS c. l. Tab. LII. fig. 3.

f Vid. HENR. MEIBOMII Exerc. de offium conſtitutione naturali & præternaturali, Helmſt. MDCLXVIII. & WILH. HULD. WALDTSCHMIEDT Diatribe de Fracturis offium ſine violenta cauſa externa, Kil. MDCCXXI. SAVIARD. Obſ. 62. PETIT in Comm. A. R. Sc. MDCCXXII. p. 311. ſqq. qui hunc morbum novum eſſe opinatus eſt. Sed confutatus fuit ab Auctore libelli (FRANCISCO JOHANNE HUNAULD :) *Diſſert. en forme des Lettres au ſujet des Ouvrages de l' Auteur ſur les maladies des Os*, & ab ASTRUCCIO c. l. p. 418. qui Auctores plures Obſervationes olim proditas adduxerunt.

g Vide PANDOLPHINUM de Ventoſitate Spinæ & SEVERINUM de Pædarthrocace in Libro de Abſceſſuum natura, & vide figuram in CHESELDENS *Oſteographie* Tab. XLV. fig. 3. Confer de omnibus his HEYNE de Offium morbis.

§. 1034.

Offa etiam emoriuntur, ſi ſuccus, quo aluntur, non ad ea perlabitur. Hoc incidit, ſi arteriæ paulo majores, quæ ad intima offa tendunt, præciſa læſaque fuerunt, & perioſtium etiam corruptum eſt. Offa hæc arida ex toto ſunt, quæ levia, calci ſimillima, facile friantur. Alibi retuli, magnum periculum eſſe, ſi arteriæ, quæ a ſummis offibus ad intima tendunt, in illis foraminibus præciduntur. Sanguis enim, quem illæ offi innexæ arteriæ fundunt, vix cohibetur, quod comprimi haud ſatis poſſunt. (248. 543.)

§. 1035.

Sed cum omnium hæc oſſium vitia parum ab iis differant, quæ in aliis mollioribus corporis partibus eſſe ſolent, illa fere ſimilem curationem requirunt. Supra docui, (35.) in oſſium arteriis ex varia occaſione humores ſubſiſtere, iter claudere, atque fieri obſtructionem, haud vero inflammationem, cum oſſium fibræ nullum vitale robur habeant, quo humor, qui coiit, diſcuti, vel magis cogi atque in pus verti poſſit. Igitur, ſi humor in ipſo oſſe, non in hujus membranis, quieſcit, iſque corrumpitur, mala ulcera naſcuntur, quæ, dum ab interioribus incipiunt, tandem per totum os, perioſtium, atque etiam, ſupernatis gravibus ulceribus ac fiſtulis, per cutim perrumpunt. Caries igitur cum ulcere & gangræna, exoſtoſis maligna & pædarthrocace cum cancro occulto (262.) & carcinomate, comparari poteſt.

§. 1036.

Neque id ignorandum eſt, in oſſibus carioſis fere idem accidere, quod in gangræna fieri ſupra (198.) retuli. Quemadmodum enim in hac illa putrida & fœtida cruſta, moto inter eam, & inter id quod integrum eſt, pure, reſolvitur; ſic etiam, ſi oſſium pars emortua eſt & vitiata, illa etiam ab integro reſolvitur, dum inter integram ac emortuam partem caruncula naſcitur, quæ, quod abſcedit, expellit, ex qua caruncula novum perioſtium naſcitur. Exfoliationem vocant hanc emortui oſſis reſolutionem, quæ interdum ſponte fit, interdum adhibitis ad id facientibus variis auxiliis *a*. Longe facilius enim vitiatum ab eo, quod integrum eſt, reſolvitur, ſi illud ſiccum aridumque factum fuit. Quandoque tamen etiam os, quod vitiatum eſt, pedetentim & ita ſolvitur, ut carioſum, quaſi liquatum, cum humore ex ulcere feratur. Ex his manifeſtum eſt, cur hæc ſquamæ reſolutio ægrius in oſſibus raris ac cavernoſis fiat.

a HIPPOCRATI ſquama, quæ ſic decedit, dicitur ἀποσμικὸς ὀστέον. Vide Librum de Capitis vulneribus §. 23. T. II. p. 705.

§. 1037.

His propoſitis ad ſingulas ſpecies veniendum eſt: ac primo quidem ſuper oſſibus varia tumorum genera naſcuntur. Interdum ſola membrana extrinſecus intumeſcit, ſi ſub ea humor coiit. Id accidere poteſt, tum ex gravi ictu, (522.) tum ſi mala morbi cujuſdam materia in oſſa inclinata eſt; id quod ſæpius, dece-

dentibus variolis morbilliſque, fieri conſuevit. Longe tamen frequentius ex venereo morbo perioſtium intumeſcit, ſi ei corruptus humor ſubjicitur, qui, ut videtur, in illo teneriori celluloſo contextu (1028.) confluit. Si ex gravi ictu percuſſum fuit perioſtium, & ſub eo ſanguis confluxit, tumor repente conſurgit. Si mala materia ex alio morbo in os inclinata fuit, locus ab initio fere ſine tumore eſt, ita ut, quo tempore extrinſecus tumor conſpicitur ac digito premitur, intus circumfluens humor cutim, quæ non premitur, attollat. Tertium genus poſt longos acerboſque, noctu etiam auctos, dolores ſenſim pedetentimque conſurgit. Si tumor inciditur, humor plerumque flavus, & gelati inſtar coactus, reperitur. Aliis etiamnum vocabulis hos tumores ex venereo morbo ortos alii diſcernunt. Si enim illi digito prementi cedunt, gummata a recentioribus vocantur. Si duriores magis renituntur, tophi. Maxima durities eſt in exoſtoſi.

§. 1038.

Quoniam os emoritur, ſi ab eo diductum, vel etiam corruptum fuit perioſtium, (1028.) in primo caſu, & ubi, capite vel alio membro, graviter percuſſo, metus eſt, ne perioſtium injuriam accipiat, feſtinari oportet, & diligentiam adhiberi, quo humorum aditus avertatur. Sanguinem igitur protinus mitti, neceſſarium eſt, omniaque fieri, quæ adverſus inflammationem valent. Extrinſecus ſuperdari poſſunt fomenta, quæ emolliunt, (91.) quo humor, qui membranam gravare poteſt, evocetur. Utile etiam eſt, ſi cutis carneſque, ubi illud tuto fieri poteſt, ad perioſtium uſque inciduntur, vel etiam conciduntur, hoc vero ut integrum maneat, neceſſe eſt. (521. 724.)

§. 1039.

At, ubi ſub perioſtio jam ſanguis confluxit, expeditiſſima curatio eſt, tumorem ad os uſque incidi, ſanguinem evocari. (522.) Oſſis nudati curatio talis eſſe debet, qualem ſupra (523. 524. 525.) propoſui.

§. 1040.

Si vero ex decedente febre, vel ex venereo morbo, perioſtium cum dolore intumeſcit, inflammatio raro averti poteſt. Nec proficit in his caſibus ſanguinis miſſio, niſi ejus copia ægrum male habeat. Non raro enim, ſi ejus multum detrahitur, vires ad curationem neceſſariæ effunduntur. Licet tamen illud experiri, &

cutim ſuper tumorem incidere. Danda ſunt homini medicamenta, quibus vitium, quod in humidis eſt, præcipue venereus morbus, ſi eo æger laborat, diſcutitur. Ubi autem, ſe remittente dolore, ex tumore nihil minuitur, is vero mollior fit, perioſtium corruptum, atque os nudatum, & carioſum eſſe intelligitur. Quare oportet os deoperire, & per alias curationes, de quibus protinus dicam, id quod vitiatum eſt, tollere. Qui carcinomate, vel ſcorbuto conflictantur, ſi eis morbus penitius & adeo inſedit, ut perioſtium corruptum ſit atque ab oſſe diductum, illi eo morbo brevi extinguuntur. Pueris, qui rhachitide ægri ſunt, oſſa, & præcipue epiphyſes, prius intumeſcunt, & tandem in his mediis vitium, ſeu παιδαρθροκακὴ naſcitur, quo oſſa, & tandem etiam perioſtium, vorantur.

§. 1041.

Perioſtium exulcerationem habere, & os ſub illis tumoribus (1036.) jam vitiatum eſſe, ſcire licet, ſi dolor, qui acerbior fuerat, cum omnibus inflammationis notis ſe ſubito remittit, æger vero gravitatem ſentit. (85.) Etiam altius ſub cute ac carnibus circumfluens humor digito ſentitur, & quandoque cutis commutato colore aliquantum attollitur. Si autem, quod in oſſibus vitiatum eſt, non protinus inciſa cute, &, ſi caries latius patet, ſubſectis etiam carnibus, tollitur, vel, ſi vitium altius, & aliquo loco, quo ferrum tuto pervenire nequit, conditum eſt, gravia ulcera atque fiſtulæ ſupernaſcuntur, quæ multiplices inter muſculos in eorum tunica celluloſa ſubtereunt, longius ab ortu procedunt, & tandem aliqua parte cutim perrumpunt. Alibi retuli, (899. 931.) hæc ulcera & has fiſtulas, niſi percurato oſſe, haud ſaneſcere.

§. 1042.

Exoſtoſis benigna (1032.) vix oritur, niſi ab ictu, & ſi perioſtium laxatum læſumque fuit, & ipſum etiam os graviter percuſsum: quare frequentius in capite & in tibia naſcitur, quod hæc oſsa ſolis membranis contecta crebrius injuriam excipiunt. Veluti ſcirrhus benignus (262.) eſt hoc tumoris genus, cum in eo retenta materia ſine metuenda noxa hæreat. Tumor tamen adferre poteſt moleſtiam, ſi is muſculis ſubjectus eſt, quorum motum & actionem is impedire poteſt *a*. Si tumor in interio-

ri calvariæ parte increſcit, is cerebrum premit, & hujus functiones lædit *b*.

a V. PETIT l. c. T. II. p. 434.
b Vid. Obſ. SALTZMANNI in Actis Petropolitanis Anno MDCCXXVIII. p. 274. Exoſtoſin benignam in oſſe bregmatis deſcribit PETIT l. c. p. 385.

§. 1043.

Ex compertis cauſis hujus benigni tumoris notas habere poſſumus. Naſcitur enim, ſi ictus aliquis, vel caſus, perioſtium graviter offendit, præcipue, ſi hoc incidit in corpore integro, & quod boni habitus eſt, & ſi, ſemel diſcuſsa inflammatione, æger nullum dolorem ex tumore ſentit. Nec hic, ſi is adolevit, curationem recipere poteſt.

§. 1044.

Exoſtoſis maligna quandoque etiam ab iis, quæ extrinſecus incidere poſsunt, naſcitur; & ſi os, vel minus, vel rarum ac cavernoſum, graviter percuſsum fuit *c*. (526.) Sed frequentius ab humidis, quæ aliquo morbo per totum corpus diffuſo vitiata ſunt. Illa ſæpius oſsa dura ac fiſtulata, aliquando etiam cavernoſa, occupantur. Nam quoddam in morborum generibus diſcrimen eſse ſolet. Si corpus male habet ſcorbutus, iſque eo proceſſit, ut oſſa, eorumque membranæ affectæ ſint, plerumque ſine tumore, diducto exeſoque perioſtio, vorantur & decidunt epiphyſes, & oſsa, quæ naturaliter rara ac cavernoſa ſunt, carioſa fiunt. Qui rhachitide ægri ſunt, his etiam epiphyſes, illaque rara atque cavernoſa, ut & minora digitorum, oſsa tota circum circa intumeſcunt. Exoſtoſis raro a decedentibus variolis relinquitur, frequentius vero ex morbo venereo naſcitur, & ſi is imprudentia medentium, maliſque curationibus, præcipue intempeſtive datis medicamentis, ex mercurio compoſitis, agitatus fuit. Sæpe tamen unum valetudinis genus alteri jungitur, ut corpus, quod olim rhachitide laboravit, jam etiam ſcorbutus, vel venereus morbus teneat; in quo caſu illi tumores peſſimi eſse ſolent. Nec meliores ſunt in iis, qui aliqua corporis parte graves exulcerationes atque carcinomata habent.

c Vide commemorabilem caſum in Com. A. R. Sc. MDCCVI. p. 318. & PETITUM l. c. p. 388.

§. 1045.

Exoſtoſin malignam eſse, denunciat ipſe morbus, ex quo ea

nata fuit . Crebrius etiam illa occupat ossa , quæ , non multis musculis , sed solis membranis conteguntur , atque aëris injuriis expositа sunt ; quare in capite & tibia frequentius reperitur . Tumor ab initio parum , & minus etiam , quam tophus , dolet, dolor vero omni , & noctu etiam lectuli calore intenditur . Dolor talis est , qualis sentiri solet , si periostium affectum fuit . Postquam autem mala materia os totum voravit , dolor , exesa membrana , fere conquiescit . (1040.)

§. 1046.

Vera exostosis , etiam ex venereo morbo enata , raro medicamentis , nec etiam mercurio , obedit : quare , si illa dolorem non adfert , supervacuum , immo etiam noxium est , eam variis curationibus agitari . Ubi autem graves dolores veniunt , os , si id commode fieri potest , oportet nudari , omnisque caro subsecari atque ossis tumor crebris foraminibus urgeri . Quatenus vero , & modiolus , & terebra agi debeat , vitiatus humor & scobis significant . Factis foraminibus , exciſorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adigendus est , ut id quod inter utrumque medium est , excidat . Id quod reliquum est , scalpello radendum , & omne vitiatum tollendum est iis auxiliis , quæ protinus , ubi ad cariem venero , exponam *a* . Si autem vitium ad alteram etiam ossis partem penetravit , & totum corruptum , totum eximi non potest , vera sanitas haud reddi potest : sed , si tumor artus occupat , membrum , curato priori morbo , præcidendum est . Neque ulla spes est in aliis vitiis , scorbuto inveterato , & ubi ossa tota intumuerunt , (1032.) vel præter naturam fragilia facta sunt . (1032.) Victu & medicamentis nihil aliud efficitur , quam , ut morbi impetus trahatur .

a Curationem talem proposuit PETITUS c. l. p. 388. & 518.

§. 1047.

Ab his vero ossium tumoribus proximus transitus est ad cariem . Hæc oritur , si membrana , qua os contegitur , ab osse diducitur , vel , si illa , pure orto , corrumpitur , id quod ex variis morbis causisque accidere ex supra (1032.) dictis constat . Morbi , quo æger laborat , ejusque & causæ æstimatio , cum aliis signis , ostendit , periostium vitiatum esse : inter quæ primum est , si locus , qui ante vehementem & continuum dolorem habuerat , jam sine dolore est . (1040.) Idem significat cutis , si tumida

eſt & plumbea atque mollior, & ſi ſub ea humor preſſius circumfluit, & ſi gravitas materiæ atque febricula, intus vero aliquæ punctiones, ſentiuntur.

§. 1048.

Ubi os, ſupernatis gravibus ulceribus, aut fiſtulis, vitiatum eſt, id cognoſcitur ex putri carne, quæ increſcit, & per quam ſine negotio ac ſine dolore ſpecillum demiſſum intrat. Naſcitur hæc ex arteriis veniſque, quæ naturaliter ex perioſtio in os feruntur, & quæ, quod os vitiatum eſt, ab eo diductæ ſunt. Propter hanc putrem carnem, & quia, hac increſcente, cutis adducitur, oræ ulceris recurvantur. Ex eo ſanies fertur acris, livida, nigra, & quæ intolerabilem ac cadaveroſum odorem excitat. (897.) Humor enim, veluti de ulceribus dictum eſt, (894.) ex immutatis arteriolarum diſruptarum oris corruptus exit, cui malus odor ex corrupto rancidoque medulloſo ſucco accedit. Propter hanc putidam ſaniem impoſita emplaſtra & demiſſa in ulcus argentea ſpecilla nigreſcunt, (574.) in qua etiam exeſi oſſis fruſtilla ſentiuntur. Specillo occurrit os aſperum & inæquale, & quaſi ſpongiæ ſimile. Hæc ulcera ac fiſtulas, niſi oſſi ſanitas reddita fuerit, haud ſaneſcere, alibi poſitum eſt. (899.) Quæ ulcera, ſi etiam ſana videntur, rupta, quæ illis inducta fuerat, cicatrice, iterum renovantur. Hæc cicatrix, cui vitium ſubeſt, eſſe ſolet mollis, rara, & quæ ſuper cutim fere excrevit. Ubi autem ea ſuper os integrum inducta fuit, illa denſa eſt & dura atque concava.

§. 1049.

Oſſis vero corrupti expedita cognitio eſt, ſi illud nudatum oculis patet. Oſſis integri ac vitam habentis color eſt ex albo cæruleus, qualem habet tunica exterior oculi, qui color in infantium oſſibus paulo magis ſanguinolentus eſt. Nam hunc colorem oſſa recipiunt a ſanguine per arterias venaſque permanante. Oſſa vero quandoque candida fiunt, calci ſimilia, ſi propter alimenti defectum emoriuntur. Hoc incidit, ſi illæ arteriæ, quæ per foramina majora in oſſa feruntur, & his atque medullæ alimentum ſanguinemque ſubminiſtrant, præciſæ fuerunt, aut, id quod frequentius deprehenditur, a magno tumore preſſæ. Cereroquin vero, id quod in oſſe emortuum eſt, pingue fit & luridum, a medulla, quam exſudat. Medulla, ſi magis corrum-

pitur, &, veluti omne oleoſum, rancida fit, tandem nigritiem oſſi adfert, cum fœdo & intolerabili odore. Caries etiam in oſſe ſerpit, quemadmodum ſupra de ſphacelo dictum fuit. (55.) Os omne, quod ſua membrana non contegitur, tum digito, tum ſpecillo, aſperum & inæquale occurrit, quippe quod a malo corruptoque humore exeſum atque exaſperatum eſt.

§. 1050.

Caries autem ex iis omnibus oritur, quibus perioſtium, ipſaque oſſa & illæ arteriæ venæque, quæ his alimentum ſubminiſtrant, læduntur. (1032. 1033.) Igitur, ſi locus, cui os ſubjectum eſt, graviter percuſſus, vel altiori & ad os uſque penetrante vulnere, nec non abſceſſu, ulcere, fiſtula, læſus fuit & exulceratus, os carioſum fit. Id etiam accidit ex vitio per totum corpus diffuſo, & præcipue per venereum morbum, quo omnia pinguiora atque oleoſa in corpore corrumpuntur *a*. Etiam cariem adfert ſcorbutus, ſi is adolevit, & alii vetuſto ac venereo morbo ſupervenit, quandoque etiam carcinoma, ſi illud aliquam corporis partem, præcipue pectus, occupat, quo coſtæ vitiantur. Id etiam accidere ſolet, ſi ex variolis malignis mala materia in perioſtium inclinata fuit. Rhachiticorum oſſa, ſi vitiantur, non tam carie, quam ſpina ventoſa, infeſtantur. (1039.)

a Vid. BOERHAAVE Præf. in Aphrodiſiacum.

§. 1051.

Facile tollitur caries, quæ a cauſis orta fuit, quæ extrinſecus accidere poſſunt, multo difficilius, ſi illa nata eſt ex vitiato corporis habitu. Tolerabilior eſt, quæ oſſium partes duriores occupat, & quæ in ſummis eſt, quam, quæ oſſa rara cavernoſaque (1018.) infeſtat, & altius deſcendit. Nam in his oſſibus eorumque cavernulis celerius procedit vitium, nec os tam facile ſiccum fieri poteſt; id quod neceſſarium, ſi vitiatum ab integro reſolvi debet. (1035.) Etiam alius metus eſſe ſolet, ubi illud rariora oſſa articulis propiora tenet, ne vitiatus humor in articulos defluat. Cum etiam prope articulos plures muſculi & tendines ſuper oſſa finiantur, & articuli etiam ligamentis contineantur, oſſa non ſine difficultate deoperiuntur: quare in his quandoque caries, ſi profundius hæret, inſanabilis eſt. Cartilagines etiam, ſi illæ corruptæ fuerunt, numquam renaſcuntur, ex qui-

bus ſiccatis ceteroquin etiam, prout a ſiccato oſse, ſquama ſecedit. (1035.)

§. 1052.

Peculiarem animadverſionem infantium oſsa requirunt. Hæc appendices, vel epiphyſes, habent, & præter eas tota copioſiori ſucco abundant, quare, ſi vel carie tentantur, vel vitio intus orto & pædarthrocace infeſtantur, longe celerius, quam adultorum, corrumpuntur. Si vero perioſtium ipſumque os aliquam injuriam extrinſecus illatam accipit, corpus vero integrum eſt, interdum, ſi recta adhibetur curatio, nulla ſquama, ut in aliis, ſecedit, ſed os iterum ſuo perioſtio protinus contegitur.

a Rerum harum intelligentiores videant, num excuſari poſſit CHESELDEN, qui tradidit, in puella novem annorum, cui os modiolo exciſum fuerat, ſinum decimo die fere callo impletum fuiſſe, in Oſteographia Cap. I., quem Caſum aliter propoſuerat *in the Anatomy of the Human Body* Edit. quarta, p. 48. Eum enim acriter reprehendit DOUGLAS *in the Animadverſions on the* Cheſeldens *Oſteographia* p. 6.

§. 1053.

Si oſſibus carioſis medendum, perpetuum eſt, ad quod omne conſilium dirigi oportet, ut vitium, ſi quod in humidis eſt, idoneis medicamentis diſcutiatur, & ut omne, quod in oſse corruptum eſt, tollatur, & ab integro reſolvatur. Nam, ſi id quod relictum fuit, integrum eſt, os etiam nova membrana cingitur, &, ſi ſinus relictus fuit, is callo repletur.

§. 1054.

Non difficili ratione tollitur caries, quæ ab injuria extrinſecus illata orta fuit. In hoc caſu, ſi corpus integrum eſt, fere ſupervacua ſunt medicamenta, ſed cibo utendum exiguo, ſicco, minime jurulento, carne non elixa, ſed aſſa. Ætas vero conſiderari debet. Nam ſenibus & ſiccioribus cibo, qui plus alit, uti convenit.

§. 1055.

Si autem caries a venereo morbo profecta fuit, huic ante omnia medendum eſt. Ignorari tamen haud oportet, nec mercurium ſemper in his oſſium vitiis, ſi penitius inſident, & iis vetuſtas acceſſit, prodeſſe. Immo obſervatione manifeſtum eſt, plura ex mercurio parata, quæ medendi cauſa reperta fuerunt, nonnumquam hos oſſium morbos in pejus vertere. Quandoquidem, etſi nemo negaverit, intus dato, vel extrinſecus illito,

mercurio plerumque illos perioſtii tumores (1036.) diſcuti, nonnumquam etiam per has curationes os vitiatum aridum fieri, & ab eo, quod integrum eſt, ſolvi; (1035.) nihilominus, ubi caries altius deſcendit, & cum malo odore eſt, raro curatio feliciter cedit, niſi etiam manus auxilium accedat. Quare ea frequentius fallit, ſi oſſa illa rara, veluti palati, oſſis ethmoidei, lacrymalia, vitiata ſunt. In pædarthrocace vero hæc medendi ratio longe minus prodeſt, immo nonnumquam peſtifera eſſe ſolet. Nec tollit mercurius exoſtoſes. Quandoque tamen & inter rariora obſervatum eſt, hos tumores, valde extenuato per ptyaliſmum corpore, manſiſſe, ſed arida, & mala materia exhauſta, ſine dolore *a*. Ubi homo jam diu multumque medicamentis ex mercurio compoſitis vexatus fuit, præſtare arbitror ptyaliſmum illitis unguentis, quam intus datis variis compoſitionibus, concitari, & hac curatione colliquato omni oleo corpus extenuari.

a Vid. PETITUS c. l.

§. 1056.

Solent etiam parum proficere potiones, quæ adverſus venereum morbum vulgo ſorbentur potanturque. In caſibus tamen deſperatis, & ubi etiam curatio cum mercurio non reſpondit, interdum profuiſſe dicitur decoctura meracior ligni guaiaci. Neceſſe vero eſt, ut ea valentiſſimi generis ſit, & ut ſe æger ea ſola, per plures etiam menſes, impleat, ſervata ſimul, quanta maxima, abſtinentia. Cibo enim idoneus eſt ſolus panis bis coctus, & hujus intrita ex eodem decocto. Poterit tamen æger interdum pauciores paſſulas cum his eſſe. Neceſſarium vero eſt, ut quotidie ſicco & laconici calore ſudor eliciatur quam plurimus. Hac enim curandi ratione omne medulloſum & pingue, quod in corpore eſt, & in quo ſedem morbi illius mali eſſe retuli, (1049.) digeritur & evocatur, atque totum corpus ad ſupremam uſque maciem exhauritur. Extrinſecus panni ex eodem decocto expreſſi calidi admoveri poſſunt.

b V. DE HUTTEN de Ligno Sancto in Collect. LUISINI p. 275. ſqq. & BOERHAAVE Præf. in eamdem. His vero contradicit Cel. ASTRUC l. c. T. I. L. II. Cap. XI.

§. 1057.

Quod ſi autem homo jam venereo morbo tenetur, ad hunc vero etiam ſcorbutus accedit, majus negotium eſt. Id autem

ſcire licet, ſi, cum aliis malis ſignis, ulcera non cruſtas habent, muco ſimiles, ſed colorem lividum, vel nigrum, ſi ea exaſperata ſanguinem protinus fundunt, ſi, dentibus corruptis, in gingivis mala ulcera fiunt, parum pura, aſt ex ſanguine, qui ex illis fertur, rubicunda & nigra cum malo odore, & ſi per omne corpus maculæ, etiam nigræ, diſperſæ ſunt. In hoc caſu prius oppugnandus eſt ſcorbutus, qui ſi evictus fuit, danda etiam ſunt, quæ adverſus veneream luem poſſunt. Ex mercurio compoſita medicamenta ſcorbuto ægris peſtifera ſunt.

§. 1058.

Manus vero curatio, quam caries deſiderat, etiam diſcrepat. Si enim ab injuria, extrinſecus illata, perioſtium diductum fuit, non alia curationis ratio eſt, quam ea a BELLOSTIO *a* prodita, & ſupra propoſita, qua efficitur, ut protinus os nova membrana ex oſſe adhuc integro cingatur. (524. 525. 1038.) Nam, ſervata hac medendi ratione, non neceſſe eſt, ut ex oſſe ſiccato ſquama ſecedat.

a BELLOSTE *Chirurgien d'Hôpital Cap.* XII.

§. 1059.

Ubi autem hæc non protinus poſt illatam noxam facta ſunt, & ſuprema oſſis pars jam aëre, pure, medicamentis, alienata fuit, neceſſe eſt, ut illa abſcedat. Squama igitur reſolvi ac recipi debet, ad quam ſolvendam plurimum juvant ſiccantia. Primum eſt aëris omnis, (388.) nec non omnis aquoſi ac pinguis, ipſius etiam puris, aditum magna adhibita diligentia ita avertere, ut os ſemper ſicciſſimum ſit. Reſpergi illud poteſt maſtiche, colophonio, ſuccino, olibano, galbano, iiſque aridis atque diu multumque tritis. His ſuperimponenda ſunt linamenta arida. Nec alcohol oſſi inimicum eſt, ſi illud ſine aqua eſt, ex quo exprimi poſſunt linamenta, quæ imponuntur. Communia ſunt, quæ alibi præcepi, quorum vero heic maxima neceſſitas eſt, os ſic nudatum rariſſime, (375.) & magna adhibita celeritate & feſtinatione, admoto etiam ignitabulo, deligandum eſſe, & omnia, quæ imponuntur, igne prius calefieri debere. (389. 525.)

§. 1060.

Valentior medicina requiritur, ſi oſſis quædam pars jam carie exeſa eſt, & hoc vitium paulo altius deſcendit. Oportet enim

ante omnia os nudare, &, ſi latius eſt ejus vitium quam ulcus, carnem ſubſecare, donec undique illud, & oſſis etiam integri ora, pateſiat, tum vero illud, quod vitiatum eſt, tolli. Id medicamentis idoneis, manu etiam atque ferramentis fit. In prioribus leniora ſunt eſſentia ariſtolochiæ, myrrhæ, aloës, oleum ligni ſancti, caryophyllorum. Commode eſſentiæ ariſtolochiæ oleum caryophyllorum adjicitur, quæ compoſitio etiam opportuna eſt, ſi palati oſsa exeſa ſunt. (916.) Valentioris generis eſt euphorbium, quod, vel tritum inſpergitur, vel alcohol exceptum, illinitur.

§. 1061.

Inter medicamenta vero fortiſſima ſunt, quæ ex liquoribus, vel dictis ſpiritibus acidis, componuntur, ſpiritus vitrioli, vel ſulphuris, phlegma vitrioli, & illa BELLOSTII compoſitio, qua argentum vivum aqua forti ſolvitur, aqua plantaginis diluitur, & mediante penicillo illinitur *a*. Circumſpectius hæc omnia & ita admoveri oportet, ne his carnes tendineſque ac nervi, & id quod ex oſſis membrana adhuc integrum eſt, violentur, cum hæc res, & dolorem, & gravem inflammationem, movere poſſit. Nec nimis diu in his perſeverandum eſt. Finis enim eſse debet, ubi ad ſolidum integrumque os ventum eſt.

a Vid. LE DRAN Obſ. T. II. p. 201.

§. 1062.

Si vero manu res agenda eſt, oportet, id quod vitiatum eſt, ſcalpro, *b* ad id idoneo, radere, donec integrum id ſit, quod relinquitur. Si caries profundior eſt, audacter imprimere ferramentum oportet, deſinere vero, ubi ſe cruor oſtendit, & ubi os ſoliditatem habere incipit. Si os eatenus, quod corruptum eſt, deraſum fuit, id reſpergi debet medicamentis ſiccantibus, mox propoſitis *b*.

b Vide GARENGEOT *des Inſtr. T. II. p. 96.* Diſſ. meam de Fiſtula lacrymali fig. XIII.

§. 1063.

Si os durum & fiſtulatum, veluti tibia, ita vitiatum eſt, ut caries ad alteram etiam partem & medullam tranſiverit, expeditiſſimum eſt, os modiolo, etiam, ſi neceſse eſt, pluribus factis foraminibus, excidere, & deinde circumſpectius radere, aliaque auxilia adhibere, quibus, id quod corruptum eſt, tollitur. Ubi

caries per totum os penetravit, vel, ſi vitium, quod vel latius eſt, vel ſub carnibus reconditum, patefieri nequit, oportet membrum præcidere.

§. 1064.

Oſsa carioſa etiam ferro candente aduruntur, quo celerius efficitur, ut vitiatum aridum fiat & ſolvatur. (1035.) Feliciter hoc cedit, ſi caries in oſse duro ac fiſtulato altius deſcendit, illaque humida & cum malo odore eſt. Oſſi ſic aduſto non alia imponenda ſunt, quam linamenta ſicca, vel ex alcohol, quod ſine omni aqua eſt, expreſsa, quæ ſiccando ſquamam magis aridam reddunt.

§. 1065.

In his omnibus curationibus quædam obſervanda ſunt. Si vel medicamentis, vel candentibus ferramentis, os aduritur, aut etiam ſcalpro raditur, major vis adhibenda eſt medio ulceri, quam extremis ejus oris, quo ubique vis extrinſecus adhibita vitium altitudine æquet. Plus igniri debent ferramenta, quibus oſsa rara ac cavernoſa aduruntur, quam, quibus duriora. Longe perniciosiſſimum cariei genus in his oſſibus raris ac cavernoſis, veluti in ſterno, eſse, ſupra (1050.) retuli: quare omnia hæc auxilia, etiamſi recte ceſſit curatio, raro veram ſanitatem oſsi reddunt. Ubi ab oſse pars, vel ſquama, reſolvi cœpit, illa labat, & æger etiam dolorem ſentit. Expedit, id quod labat, ſuſpenſa manu, neque violenter, concutere, quo id facilius abſcedat. Os omni vitio liberatum eſse, ſcitur, ſi ſinus carne integra ac dura repletur, & cicatrix ei inducitur denſa atque concava. (1045.)

§. 1066.

Sequitur, ut etiam de Pædarthrocace, vel ſpina ventoſa, dicam, quam ex corrupta medulla, præcipue in oſsibus cavernoſis, oriri (1032.) retuli. Quandoque accidit, ut hoc vitium ex injuria extrinſecus illata naſcatur, ſi ictu vehementiori os rarum ita offenditur, vel etiam finditur, ut ex ruptis minoribus arteriis veniſque humor in oſſium cavernulas effundatur, vel, ut in perioſtio interno & membranis, quibus cellulæ intus cinguntur, (1031.) inflammatio oriatur, quæ, ſi ad ſuppurationem ſpectat, hac mala ipſius oſſis exulceratione finitur. Igitur hoc etiam adultis incidere poteſt in illo fracturæ genere, quo oſſa, etiam duriora, non tam franguntur, quam ad medullam uſque

finduntur. Nam hac fiſſura læduntur membranæ, quibus utraque medulla, tum illa pinguior, tum altera tenerior, continetur. (1031.) Crebrius autem ſpina ventoſa ex corruptis humidis oritur. Raro hoc accidit in venereo morbo laborantibus, quibus illi ſupra deſcripti tumores (1036. 1043.) & caries (1046.) frequentiores eſſe ſolent. Sed præcipue hac ætate hoc vitium infeſtare ſolet oſſa rariora puerorum, qui rhachitide conſumuntur.

a Vide caſum, quem ſupra §. 526. adduxi. In ſterno hoc rarum non eſt. (717.) In tibia etiam, quo pertinet hiſtoria ex PETITO adducta. (1042.) De illo fracturæ genere, quo etiam majora oſſa finduntur, plura habet FELIX WURTZ *In der Bund-Arzney* Cap. XXVIII. p. 256. Etiam medulla vitiari poteſt oſſium, quæ tranſverſa fracta multum inter ſe ceſſerunt & recte commiſſa haud fuerunt. Poſſideo tibiam viri adulti & robuſti. Hæc olim cum fibula tranſverſa fracta fuerat. Cum vero oſſa fracta fuerat non recte in ſuas ſedes collocata eſſent, illaque capita acuta haberent, & cum alia quædam fragmenta ab iis receſſiſſent, ſupernatum eſt grave ulcus & fiſtula, quæ etiam per plures annos ad mortis uſque diem manſit. Jam oſſa, quæ non recta repoſita fuerant, obliqua, non adverſa, inter ſe juncta ſunt & medio duriore callo conferbuerunt; foramen tamen relictum fuit, quod ad interiora & pinguiorem medullam tendit. Nam media tibia fracta eſt; medulla vero corrupta fuit: id quod etiam hoc tempore nigrities oſtendit, quæ in tibiæ in longum ſectæ inferiori ac cavernoſa parte conſpicitur, quo corruptus humor defluxerat.

§. 1067.

Jam ſupra retuli, in hoc valetudinis genere, præcipue, ſi a malo corporis habitu enatum eſt, affici oſſa rara & cavernoſa, non, ut in exoſtoſi a lue venerea orta fieri ſolet, dura atque fiſtulata. A parvulo vero hæc vitia incipiunt, quorum initia & incrementa conſiderari oportet. Intumeſcunt igitur epiphyſes circa articulos & oſſa alia, ubi ea naturaliter pleniora & intus cavernoſa ſunt, præcipue minora digitorum in pedibus manibuſque. Dolor in ipſis oſſium medullis incipit, ab initio lentus, qui mox, tumore etiam oſſis aucto, creſcit & fere continuus ægrum fatigat. Hoc tempore oſſis membrana nondum vitiata eſt, & muſculi cutiſque ſine noxa ſunt. Plus mali vero ſubeſt, ſi dolor augeſcit & fere intolerabilis fit, qui ſignificat, malam materiam intus ortam perioſtium vorare. Subito, ut ſupra dictum eſt, (1040.) ſe remittit dolor, & tandem ſine tumore ac ſine inflammationis notis ſub cute ſentitur pus, quod preſſu circumfluit. Hoc vero ſi increſcit, cutis parum levari ſolet. Inciſa cu-

te, magna vis puris ac ſaniei fœtidæ exit, quibus evocatis, demiſſo ſpecillo, os nudatum vitiatumque occurrit (1047.)

§. 1068.

Cum vero his oſſium vitiis crebrius hac ætate rhachitici obnoxii ſint, neceſſarium videtur, hoc dirum valetudinis genus, ejuſque proprietates, cauſas, initia, atque deceſſiones, noſſe. Hoc vero infantes potiſſimum affligit, quibus id a ſexto circiter poſt nativitatem menſe oriri ſolet. Raro enim id in eos, quorum ætas ultra alterum, tertiumve annum proceſſit, incidere ſolet. Corpus non alitur, ſed, ſumma macie orta, cutis carneſque deficiunt atque emacreſcunt, venter multum intumeſcit, & digito renititur. Oſſa augeſcunt, & præcipue epiphyſes, prope articulos, tumidæ fiunt. Pueri etiam adultiores facti greſſus movere propter ſummam imbecillitatem non poſſunt, quibus etiam dentes ſerius naſcuntur, mox nigri fiunt, labant, caduntque. His vero pueris, pro modo ætatis, major ingenii acies atque docilitas eſſe ſolet. Ubi procedente ætate adoleſcunt, parum creſcit corpus, multum autem caput; & calvariæ futuræ, multum inter ſe diductæ, ſero committuntur. Pectus a latere depreſſum in priorem partem prominet, & quaſi acuminatum carinatumque redditur. Etiam coſtarum extrema intumeſcunt, & iis tubercula dura innaſcuntur. Quod ſi autem plus mali eſt, & morbo non inter initia occurritur, oriuntur aliorum membrorum pravitates. Præcipue autem ſpina diſtorquetur, & in dorſo gibbera fiunt, tibiæ incurvantur ac in anteriora projiciuntur. Tandem vitium, quod in oſſibus eſt, intenditur, quæ malus humor vorat, & naſcitur pædarthrocace. Accedit lenta febris, quæ ſine intermiſſione corpus tenet, qua illud longo morbo vitiatum ſummaque macie extenuatum perimitur. Ubi autem morbus non morte finitur, is per ætatem levatur, & præcipue congruo victu & exercitatione, ejus indicia in adoleſcentibus pedetentim minuuntur. Oſſium deformitates aliquantum etiam emendantur, ſi per ætatem nervis & muſculis imbecillioribus ac fere deficientibus novum robur acceſſit.

§. 1069.

In corporibus rhachitide extinctorum inveniuntur glandulæ fere omnes, quæ lymphaticæ, vel conglobatæ vocantur, duræ atque ex concreta quadam materia ſcirrhoſæ, præcipue in me-

ſenterio. Oſſa præter conſuetudinem mollia ſunt *a*, muſculi extenuati, viſcera autem, & præ ceteris cerebrum, mole auctum, in quibus etiam multus & muco ſimilis humor reperitur.

a Oſſa molliri, cum GRISSONIO, plures negant: id vero oſtendit RUYSCHIUS Adverſ. Dec. II. Obſ. 6. & BOERHAAVE in Chemia T. I. p. 737.

§. 1070.

Si hujus morbi curationem ab evidentibus cauſis, rejectis obſcuris omnibus, inſtruere animus eſt, ei obnoxii fiunt infantes, qui geniti ſunt ab imbecillis parentibus, nimis otioſa vita lautiſque dapibus enervatis, & varia etiam longaque valetudine confectis. Eo etiam tentantur pueri, qui teneri lacte aluntur crudo vitiatoque, & quibus, dum lacte depelluntur, dantur inter continuos vagitus, diu noctuque, potiones aceſcentes, vel etiam addito ſaccharo dulciculæ. Plurimum confert victus, ſi is crudus eſt & valentior, quam, ut ab infirmis viſceribus confici ac in bonum ſuccum converti poſſit, præſertim pinguiores ac glutinoſiores pulticulæ, nec non dulciaria & omnis generis pulmenta. Alimentum etiam corpori tenello idoneum haud conficitur, ſi dentes cum maximis cruciatibus naſcuntur, & ſi varii generis vermes in inteſtinis hærent. Nec omittendum eſt, pueris nihil magis nocere, quam, ſi negligitur mundities, & ſordes ventriſque proluvies, quibus cutis conſpurcari ſolet, non tempeſtive ſummoventur. Hæc & plura alia, a medicis requirenda, ſi morbum non faciunt, corpus tamen tenellorum ei magis obnoxium reddunt, cum hæc valetudo raro ab una & ſimplici cauſa, ſed plerumque a plurium conſortio oriatur.

§. 1071.

Ex his omnibus autem manifeſtum fieri arbitror, ſuccum illum, quo omne corpus, & oſſa etiam, ali debent, in his ex crudo vitiatoque chylo confectum corrumpi. Oſſa igitur, quæ omni ceteroquin acido liquantur, molliora fiunt & intumeſcunt, &, quia caput ex oſſibus componitur, illud etiam, pro modo reliqui corporis, plurimum augeſcit, ita ut ejus mole ſpina non parum prematur. Hujus vertebræ, quæ mediæ perforatæ ſunt, ſi intumeſcunt, & a capite premuntur, medullam premunt cerebro commiſſam, nec non nervos, qui ab hac per tenuja cava utrimque inter duos proceſſus pervia educuntur. Cum vero hi nervi ad muſculos potiſſimum pertineant, hi naturali robore de-

fecti emacreſcunt. Igitur, dum oſſa increſcunt & tumidiora fiunt, oſſium vero vincula, vel ſic dicta ligamenta, etiam infirma ſunt, muſculi breviores atque extenuati oſſa adducunt & inflectunt. Hoc primum in ſpina incidit, quæ in variam partem inclinata gibberis non unam ſpeciem oſtendit. Etiam a pectoralibus muſculis & ſerrato antico majori pectus, ipſumque ſternum, multum projicitur, *a* a muſculis abdominis pectus inferiora verſus adducitur, & in dorſo gibber naſcitur, vel κύφωσις.

a Spinæ & membrorum pravitates quomodo adductis variis muſculis oriri ſoleant, curioſius expoſuit Doctiſs. JOANNES GODOFREDUS BRENDELIUS in Diſſ. de Rhachitide, Goettingæ, MDCCXXXIX. Confer GLISSONIUM, MAYOVIUM & MARTINI HERMANNI GEISVVEIT Diſſ. de cauſa Rhachitidis proxima, Lugd. Bat. MDCCXXXVI.

§. 1072.

Quoniam vero in his corporibus non oleoſus confectuſque ſuccus ad oſſa perlabitur, ſed crudus, glutinoſus & muco ſimilis, ex eo, qui ſubſiſtendo oſſium fibras diducit, & corruptus vitium etiam medullæ adfert, naſcitur tandem hoc peſſimum cariei genus, ſeu pædarthrocace, quod raro curationem recipere, ſæpe etiam cauſam mortis adferre ſolet. Multum illud intenditur, ſi ad alias cauſas etiam morbus venereus accedit, quem infans vel a parentibus accepit, vel cum lacte nutricis ſuxit.

§. 1073.

Etiam hujus morbi curatio a medicis requirenda eſt. Scire vero licet, eos plerumque falli, qui adhibita feſtinatione & temeraria aliqua via morbum depellere conantur. Maximum præſidium in modico ac idoneo victu, qui facile concoquitur & aromate abundat, potione etiam meraca & corporis exercitatione eſſe ſolet. Extrinſecus ſalubres ſunt multæ valenteſque fricationes, quibus fluentia corpora adſtringuntur. Commode etiam lanei aſperioreſque panni thure, maſtiche, benzoë, baccis juniperi, ſuffiuntur, & his fricatur dorſi ſpina. Unguento nervino ungi & pertractari muſculi poſſunt tenues atque infirmi. Nec ad mutandum corporis habitum aliena ſunt balnea, quæ tamen frigida potius, quam calida, eſſe oportet. De gibbere in dorſo, & quomodo ei per thoraces medendum ſit, ſcribam, ubi luxatorum curationem exſequar.

§. 1074.

Si in iis, quibus oſſa rhachitide intumuerunt, decedente illo

morbo, cum aliis ſalutaribus ſignis, dolores in oſſium medullis novi oriuntur, & aliquantum ingraveſcunt, illi ſpem oſtendunt, hominem ſanum futurum eſſe. Si vero cum his, increſcentibus doloribus, corpus magis emacreſcit, & in malum habitum decidit, illi ſignificant, os intus corrumpi. Si os vitium habet, illud non alia ratione curari poteſt, quam, qualem in carie propoſui. Sæpe vitiatum non per ſquamam, ſed pedetentim, reſolvitur. (1035.) Cum his experienda eſt illa Guajaci decoctio, (1055.) quæ vero adultis magis accommodata eſt, quam pueris. Si in oſſe vitium eſt, quod nulla medendi ratione vinci poteſt, neceſſe eſt, ut membrum præcidatur. Et hoc tamen ſupervacuum eſt, immo quandoque mortem maturare poteſt, niſi vitium per humida & totum corpus diffuſum prius aliis curationibus fuerit diſcuſſum.

DENTIUM MORBI.

§. 1075.

Oſſibus duriores dentes ſunt, qui oſſibus malarum & maxillæ inferiori hærent. In his gingivarum oſſibus veluti cuneoli infixi ſunt, quam rationem, qua oſſa inter ſe committuntur, γόμφωσιν Anatomici appellant. Pars dentium, quæ radix dicitur, in ſinubus & alveolis hæret, atque, ut cetera oſſa, etiam membrana cingitur. Hac dentes, qui media parte paulo exſtantiores atque aſperiores ſunt, illis oſſibus alligantur. Nam reliqua dentis pars, quæ corona appellari poteſt, ſine membrana eſt.

§. 1076.

In omni dente duplex materia conſpicitur. Altera non multum ab aliis durioribus oſſibus diſcrepat, ex qua fere tota radix & coronæ interior pars componitur. Hæc colorem habet quaſi corneum. Hac longe candidior eſt altera illa exterior coronæ pars, quæ eburneola ex fibris albidis, iiſque duriſſimis, compoſita eſt, ita inter ſe concretis, ut ab interioribus exteriora verſus procedant. Parum hujus eburneæ materiæ habent radices, plurimum corona. In utriuſque vero, & coronæ, & radicis, medio ſinus eſt, membrana ſua, ac veluti perioſtio, cinctus. Extremum radicis foramen habet, per quod ex oſſibus deſcendunt & denti inſeruntur arteriæ, venæ, nervique. Hoc fo-

ramen in juniorum dentibus, in quibus radices nondum formatæ ſunt, multum patet, quod pòſt, increſcente radice, coanguſtatur. Sinus ille, qui in radice valde anguſtus eſt, in corona multum ampliatur.

§. 1077.

Dentes quaterni primi, qui, quod ſecant, τομικὸι, vel inciſores, vocantur, & his ad latus poſiti duo canini, ſingulis, duo molares priores, vel ſingulis, vel binis, reliqui molares ternis quaterniſque, radicibus nituntur. Dentes poſtremi & ſerotini, qui plerumque, adoleſcente ætate, naſcuntur, unam, ſed pleniorem, radicem habent. In his tamen nihil perpetuum eſt. Radices quandoque curvæ & varium in modum flexæ ſunt, ita, ut iis etiam oſſis pars quaſi irretita comprehendatur.

a Vide EUSTACHIUM de Dentibus, MALPIGHII Opera poſth. p. 51. H. A. R. Sc. MDCCIX. p. 48. Obſ. de la HIRE, GAGLIARDUM c. l. p. 57. & præ aliis FAUCHARD *Chirurgien dentiſte*.

§. 1078.

Dolor, quo excruciantur, & pueri, & adulti, quibus dentes naſcuntur, maximis tormentis adnumerari poteſt, ex quo alii etiam graveſque & ſæpe perniciales morbi naſcuntur. Levamen adfertur, ſi gingivæ membrana extenuatur & mollitur. Cujus rei cauſa radix altheæ, non trita, ſed integra, cum melle coquitur & infantibus datur, qui illam loco dolenti admovent & mordendo gingivam extenuant. Eum in finem etiam infantibus alia duriora, corallium, dens lupi, panis durior cruſta, ſubminiſtrantur, quibus morſicatim ludunt. Etiam ſubinde ſpecillum linamentis involutum in mel calidum demitti, eoque gingiva foveri poteſt. Cum his expedit, dari medicamenta lenientia, & rhabarbarum, quo alvus ducitur. Purgationes valentiores, nec non varii generis medicamenta, quæ adverſus hos dolores & adverſus nervorum diſtentionem extolluntur, &, quibus non pauci fidem ſuam addixerunt, ſæpe grave periculum adferunt.

§. 1079.

Incidere ſolet, ut dens, qui prominet, aſt ſub exteriori gingiva latet, maximos dolores & nervorum etiam diſtentionem adferat. Ergo, ne dens increſcens tam acerbos dolores moveat, gingiva incidi poteſt. Et ſuper primores plaga fieri poteſt recta, ſuper alios vero, & molares, ea duabus tranſverſis lineis facien-

da eſt. Tota vero gingiva ad dentem uſque aperienda eſt, donec dens totus pateat. Nam, ſi, ſectis ceteris, quædam fibræ integræ relinquuntur, acerbitas doloris & nervorum diſtentio increſcit. Nec nimis feſtinandum eſt. Nam, ſi gingiva ſuper dentem nondum perfectum ſecatur, is brevi vitium contrahit.

§. 1080.

Dentes naturaliter candiduli, extrinſecus ſcabri fiunt, atque atri, ſi aſperioribus pulveribus, & quibus multi ſales admixti ſunt, & iis etiam crebrius, infricantur, vel, ſi peniculo aſperiori ex ſetis rigidis compoſito abſterguntur. Nam his eburnea illa pars tandem raditur: Eam etiam exeſt humor viſcidus & acris, qualis eſt a ſaccharo, omnibus acidis & dulcibus, & qualis etiam, ſi ſtomachus ex coaceſcente cibo exæſtuat, fauces denteſque infeſtat. Ex his cruditatibus & ciborum reliquiis coagulum denti inhæreſcit, quod tartarum recentiores vocant, & quod præcipue eam partem, qua alveoli membrana denti illigata eſt, infeſtat. Si hæc materia quotidie novis incrementis, & quandoque ad immenſam molem, *a* augeſcit, membrana a dentis radice diducitur, ut tandem gingiva a dente prorſus recedat. Igitur ob id dentes non bene hærent, & labare incipiunt, quos præterea acris humor etiam exeſt.

a Vide figuram in FAUCHARD T. I. Tab. II. p. 136.

§. 1018.

Sed non raro vitium ab interioribus incipit. Nam, ſi in illa membrana, qua intus ille medius cingitur, (1075.) ex quacumque cauſa, inflammatio movetur, dens vehementer dolet. Si inflammatio ad ſuppurationem ſpectat, illaque membrana exulceratur, oritur caries, quæ tandem ad exteriorem partem tranſit. Dentes nonnumquam, ſi duriora iis ſubmittuntur, finduntur, ex quo etiam corrumpuntur. Duobus vero modis, & vitio ab interioribus orto, & mala materia extrinſecus rodente, dentes infeſtantur, ſi totus corporis habitus vitiatus eſt, id quod in pueris rhachitide ægris, & iis quibus ſcorbutus, vel venereus morbus, per humida diffuſus eſt, incidere ſolet. His enim omnibus dentes nigri fiunt, labant, caduntque. Nihil vero magis dentibus inimicum eſſe ſolet, quam argentum vivum, & omnia, quæ ex hoc chemica arte componuntur, ſive ea ore ſumantur,

ſive extrinſecus dentibus admoveantur. Dentibus etiam, & nimius calor, & frigus, non parum nocere ſolent.

§. 1082.

Cum vero dentes magnam partem, & ad ſanitatem, & ad formæ dignitatem, conferant, illi ſumma cura tuendi ſunt. Si illi integri ſunt, confert, eos crebrius, quoque die, & mane, & poſt cœnam, tepida colluere, & linteolo, vel ſpongia, tergere. Si vero jam dentes lividi ſunt, interdum dentifricio utendum eſt, quo dentes ſplendidi fiunt atque confirmantur. Variæ hujus compoſitiones ſunt, quæ plerumque corallia rubra, oſtrearum teſtas, lapides cancrorum, os ſepiæ, terram ſigillatam, bolum Armenam, terram Japonicam, gummi laccæ, myrrham habent, quibus parum aluminis uſti adjici poteſt. Oportet vero hos pulveres bene tritos eſſe, cum aſperiores eburneam dentis partem abradant. Ii etiam commode melle excipiuntur, quod roſam habet, & mediante ſpongia admoventur. Neceſſe vero eſt, ut, & pulvis, & mel, quod dentibus adhæret, aqua diligentius eluantur. Alii radicem altheæ coquunt ex melle, cui prius varii generis aromata & ſuccum radicis anchuſæ adjiciunt. Radicem bene coctam ſiccant, eamque dentibus fricandis emaculandiſque adhibent. Tenacior pituita tollitur dentiſcalpio, quod optime ex ligno fit; Illud vero coagulum, ſeu tartarus, quoque ferramenta deſiderat. Cura adhibenda eſt, ne vel ipſe dens, vel etiam gingiva & illa alveoli membrana, ea parte, qua illa denti innectitur, lædatur, & a dente reſolvetur.

§. 1083.

In dentium autem dolore cauſam conſiderari oportet. Si copia ſanguinis corpus male habet, oportet eum, vena inciſa, vel conciſa cute admotiſque cucurbitulis, mitti. Alvus ducenda eſt lenioribus, quæ etiam in inflammatione utilia eſſe dixi. (63.) Cum his prodeſt abſtinentia & potio dilutiſſima. Dari etiam poteſt nitrum. Ubi autem ſerum redundat, id quod incidit, ſi corpus, calore relaxatum, ſubito frigore excipitur, ſudor eliciendus eſt. Commode etiam in hoc caſu cantharides, vel nuchæ, vel proceſſui maſtoideo, ſuperdantur, & ulcera per aliquot dies ſervantur. (937. 938.) Si dens, qui dolorem movet, exeſus eſt, expeditiſſimum eſt, eum eximi.

§. 1084.

Nigrities autem & caries, ſi ea nondum altius deſcendit, nec ad alteram partem penetravit, interdum tolli poteſt, ſi ſcalpro atque ferramentis raditur, donec dens integer ſit, cui poſt eſſentia cinnamomi, caryophyllorum, myrrhæ, admovetur. Valentioris generis eſt oleum caryophyllorum, quod etiam ſuperdari poteſt. Nec inutilis eſt uſtio, ad quam etiam ferramenta idonea habemus, quam tamen plures reformidant. Si autem dens exeſus eſt, & nec commode, nec ſine periculo, eximi poteſt, ſinus bene accommodato auro, plumbove, replendus eſt, ne cibus & potio atque aër, quibus intus membrana nervuſque offenduntur, dolorem moveant.

§. 1085.

Si omnia hæc nihil adjuvant, dens, qui ſervari nequit, debet evelli, cum corrupta ejus materia etiam reliquos, qui integri ſunt, infeſtare ſoleat. Ducuntur variis ferramentis, forcipe potiſſimum, & alio, cui nomen Pelecani impoſuerunt chirurgi. Si, exemto dente, radix relicta eſt, ea alio ferramento, quod ῥιζάγρα vocari poteſt, eximenda eſt *a*.

a Sic vocat CELSUS Lib. VII. Cap. XII. Confer RHODIUM in SCRIBONIUM LARGUM p. 94. Noſtratibus dicitur *ein Geiſſus*, Gallis *un pouſſoir*. Vid. FAUCHARD T. II. Tab. XVIII. fig. 3. In hoc omnia ad dentium curationes neceſſaria inſtrumenta delineata ſunt.

§. 1086.

Dentium etiam radices quandoque vitiantur, integra manente corona. Scire id licet, ſi, dum ſpecillo ferreo dens feritur, æger dolorem acutum ſentit. Id quandoque uni, quandoque pluribus dentibus, accidit. Et hos, qui ſic affecti ſunt, educi oportet. Nam iis abſceſſus, ulcera atque fiſtulæ ſupernaſcuntur.

§. 1087.

Non ſine periculo dentes, præcipue molares, poſteriores evelluntur. Oſſa enim rara gingivarum quandoque forcipe prehenduntur, vel a majori dente concutiuntur, franguntur que; id quod etiam accidit, ſi inflexæ radices oſſi inhærent. (1076.) Ubi autem os fractum eſt, gravis dolor atque inflammatio moventur. Subinde etiam ſanguinis profuſio oritur, ſi arteria, quæ per gingivæ os diſcurrit, & dentibus alimentum ſubminiſtrat, rupta fuit; quæ res quandoque mortem maturavit. Hoc ſi incidit, acetum frigidum ore continendum eſt, obſervatis omnibus, quæ adver-

ſus ſanguinis profuſionem maxime poſſunt. In ſinum etiam, vel alveolum avulſi dentis, demitti & mediante ferramento infulciri linamenta debent, ex alcohol expreſſa. Scire quandoque licet, dentem pluribus majoribuſque radicibus niti, ſi ejus corona amplior ac pluribus tuberibus exaſperata eſt. Expedit, ejuſmodi dentem, de quo ſuſpicio eſt, eum non ſine majori periculo poſſe evelli, prius multum ac per plures dies concutere, donec bene moveatur, & tum eum, ſi fieri poteſt, digitis, ſi minus, forcipe excipere.

§. 1088.

Fit etiam interdum, ut in gingivis juxta dentes tubercula oriantur dolentia, quæ παρυλίδας Græci appellant. Si illa cum inflammatione ſunt, imponenda eſt ficus ſemiuſtulata. Ore etiam continendum erit lac, in quo radix altheæ decocta fuit. Fere ſupervacuum eſt, extrinſecus imponi emplaſtra. Si ſuppuratio ſe oſtendit, pus celerrime evocandum eſt, ne id, ſi diutius permanſerit, os lædat. Pure exemto, ſatis eſt, ore fruſtillum ſacchari cum eſſentia pimpinellæ continere, & ceteroquin uti illis medicamentis, quibus ulcera oris curantur. (914. 916.)

§. 1089.

Nonnumquam ex ejuſmodi abſceſſibus mala ulcera & fiſtulæ fiunt, ex quibus pus diutius fertur. Si pus ex his exitum non habet, gingivæ, & quæ juxta ſunt, cum inflammatione iterum ac crebrius intumeſcunt. Hoc evenire conſuevit, ſi, vel os gingivæ vitiatum, vel ipſe dens, & hujus præcipue radix, corrupta eſt. Tales fiſtulæ nullam curationem recipiunt, niſi exemto dente. Si in oſſe quid vitioſi eſt, illud radendum, & idoneis medicamentis (916. 1059.) purgandum eſt, donec illud integrum ſit. Nonnumquam etiam teſta oſſis decedit, quæ recipi debet. (1035.)

§. 1090.

Aliud tumoris genus in gingivis naſcitur, quod ſine inflammatione eſt, & ἐπυλὶς dicitur *a*. Tumor quandoque durus eſt, veluti callus, quandoque rarus molliſque, & fungo, vel putri carni, ſimilis. Etiam is plerumque vitiato oſſi ſuperincreſcit. Si tumor durus eſt, confert illum circumcidere & carnem ſubſecare, quo os patefiat: tum id ea ratione, ac de ceteris oſſibus dictum eſt, curare. (1058. ad 1065.) Si tuberculum molle

eſt ac rarum, illud, volſella apprehenſum, juxta radices excidi-tur. Ne quid iterum increſcat, radix ſcalpello altioribus plagis concidenda & increſcens caro alumine uſto coërcenda eſt. Si ve-ro os vitiatum ſubeſt, curatio talis eſſe debet, quæ oſſibus alie-natis adhibetur. In omnibus his curationibus os crebrius ido-nea lotione eluendum eſt.

a Differentiam πυρελίδος καὶ ἑψελίδος habet PAULUS Lib. III. C. XXVI. p. 38.

LUXATA.

§. 1091.

Articuli, ſi ſedibus ſuis excidunt, & oſſa, quæ naturaliter juncta ſunt, ſi inter ſe dehiſcunt, luxata vocantur. Medentem, qui his ſuccurrere cupit, oportet non ſolum oſſium poſitus figu-raſque noſſe, quas ſceletus oſtendit, ſed etiam compertos habe-re omnes articulos atque commiſſuras, & in his ligamenta, car-tilagines atque glandulas, quæ in articulo ſunt, & quæ humo-rem fundunt, quo, veluti axungia, oſſa, quæ ſuper ſe moven-tur, illita ſunt. Conſiderandi etiam ſunt muſculi, quibus mem-bra ad varios uſus moventur. Nec ignorari oportet ætatum va-rietates, & illas, tum cartilaginoſas, tum oſſeas appendices, ſeu epiphyſes. Hæc, cum ad curationem plurimum conferant, diſcuntur ex diligenti & aſſidua oſſium & articulorum, non tam in ſceleto, quam in recenti cadavere contemplatione.

§. 1092.

Ut tirones has varias oſſium commiſſuras melius ſcientia com-prehenderent, eas anatomici in certa genera digeſſerunt. Magna vero illorum diſſenſio eſt, & alii alia vocabula iiſdem oſſium commiſſuris impoſuerunt. Quoniam vero nullus articulus alteri tam ſimilis tamque par eſt, ut non ab eo diſcerni debeat, non illorum nominum a variis auctoribus propoſitorum notitiam, ſed diligentem & aſſiduam contemplationem, iis, qui curaturi ſunt, neceſſariam eſſe reor.

§. 1093.

Proponam tamen illa genera nominaque, quæ, quamvis me-dendi peritiam non faciant, eam tamen, excitando artificis in-genium, adjuvare poſſunt. Nam ex illorum generum cognitione certæ regulæ præceptaque proficiſcuntur, ad quæ curatio dirigi

poteſt. Ubicumque igitur os oſſi junctum & unum contra alterum ſitum eſt, conſiderari poſſunt duo. Et utriuſque, immo & plurium oſſium figura ſtructuraque, qua ea inter ſe committuntur, σύνλαξις, & illorum nexus, ſeu ratio, qua ea inter ſe continentur deliganturque. Primo τὸ ἄρθρον vocant, ſeu articulum, vel juncturam, poſterius per σύμφυσιν exprimunt. In articulo mox diſcrimen eſt, ut oſſa ſuper ſe moveantur, vel motu, qui in ſenſus incurrit, & dicitur διάρθρωσις, vel motu minimo, & qui vix deprehendi poteſt, & vocatur συνάρθρωσις. Utriuſque vero, & diarthroſis, & ſynarthroſis, tres modi ſunt. Nam os, quod caput rotundum habet, in ſinum profundum conjicitur, & vocatur ἐνάρθρωσις *a*; vel oſſis extremum caput ſe inſerit in ſinum minus profundum, & vocatur ἀρθρωδία *b*; vel duo oſſa inter ſe junguntur, ut utrumque & ſinus habeat & proceſſus, utque proceſſus in ſinus inſerantur, his vero illi excipiantur, quod commiſſuræ genus, cardinis modo, quaſi mutuum, vocatur γίγλυμος *c*.

a Enarthroſis diarthrodes ſeu cum motu in ſenſus incurrente eſt, in articulo, ubi caput femoris ſinui rotundo & altiori coxæ inſeritur. Enarthroſis ſynarthrodes, ſeu cum motu minimo eſt in palma manus, ſeu carpo. In hoc enim os maximum, ſeu capitatum in profundiorem ſinum demittitur, qui ex junctis inter ſe oſſiculis, lunato ac naviculari, formatus eſt.

b Arthrodia diarthrodes eſt, ubi humeri rotundius caput ſinui glenoideo ſcapularum oſſis inſeritur. Arthrodia ſynarthrodes deprehenditur in pede, ubi major calcanei proceſſus in ſinum oſſis navicularis inſeritur. Etiam ex mente horum anatomicorum ad arthrodiam referri debent illi articuli, ubi os fere planum ſuper aliud, quod etiam planum eſt, movetur, v. g. oſſa, quæ cunei figuram habent in tarſo, ſuper naviculare, proceſſus obliqui vertebrarum dorſi inter ſe, jugulum ſuper acromium.

c Ginglymus varii generis eſt. Ginglymus diarthrodes eſt in junctura humeri cum radio & ulna, femoris cum tibia. Ginglymus ſynarthrodes eſt in commiſſura calcanei cum aſtragalo. Ginglymum angularem vocant, ubi duo pluraque oſſa quaſi angulum repræſentant, v. g. humerus & ulna cum radio, femur & tibia. Ginglymum lateralem, ubi oſsa e latere inter ſe committuntur, v. g. radius & ulna, tibia & fibula. Nonnulli ad arthrodiam referunt, alii ab hac & ginglymo diſtinguunt τὸ ἄρθρον τροχοειδὲς, qui articulus eſt inter primam & ſecundam cervicis vertebram, & hujus proceſsum odontoideum. Vid. RIOLANUS in GALENUM de oſſibus Cap. VI. in Oper. p. 454.

§. 1094.

Synarthroſin etiam nominant commiſſuram oſſium ſine omni motu. Hæc ratio etiam varios modos habet. Suturam, harmoniam, quam alii ad ſuturam referunt, γόμφωσιν (1074.) &

χινδύλησιν. In hoc ultimo commiſſuræ genere os ab alio oſſe, quod in longum fiſſum eſt, excipitur *a*.

a Talis commiſſura eſt, ubi oſſis ſphenoidei proceſſus & ſeptum naſi excipiuntur a vomere. Vid. KEILS *Anatomy* Cap. V. Sect. III. p. 237. qui primus hoc nomen dediſſe videtur.

§. 1095.

Hæc omnia ad τὴν σύνλαξιν attinent. Σύμφυτις vero etiam varia eſt. Nam vel os contra aliud ſitum eſt, ita, ut nulla media materia ſit *b*. Vel oſſa inter ſe continentur, media cartilagine, per συγχόνδρωσιν, vel deligantur ligamentis per συνδέσμωσιν, quam etiam συννεύρωσιν vocant, vel conjunguntur carne & muſculis per συσσάρκωσιν.

b Aliter hanc rem propoſuit WINSLOVIUS Expoſ. Anat. T. I. §. 123. τὸ ἄρθρον, ſive junĉturam, dividit in διάρθρωσιν, συνάρθρωσιν & ἀμφιάρθρωσιν. Diarthroſis eſt ei, ubi duo oſſa, quorum extrema cartilagine mollita ſunt, ſuper ſe, vel manifeſto, vel parum & obſcure, moventur. Diarthroſin etiam in enarthroſin arthrodiam & ginglymum dividit. Synarthroſin appellat, ſi oſſa inter ſe continentur, quorum extrema non in cartilaginem vertuntur, nec etiam ſuper ſe moventur. Quo referri poteſt futura ἁρμονία γόμφωσις, quibus adhuc addi poteſt χινδύλησις. Ἀμφιάρθρωσιν autem vocat, ſi inter duo oſſa, media cartilago eſt, eaque mollior, quæ ſinit hæc oſſa paululum moveri. Talis commiſſura eſt inter utrumque os pectinis & inter os ſacrum atque innominata, inter coſtam primam atque os pectoris. Symphyſin, quæ ſine media materia eſt, diſtinguit in eam, quæ per ætatem fit, dum quædam oſſa in pueris diviſa tandem nullo relicto veſtigio concreſcunt; & in aliam, ſi oſſa nulla cartilagine terminantur, ſed ſola figura, veluti oſſa, quæ in baſi calvariæ ſunt, continentur. MONRO *in the Anatomy of the humane bones*, ad ſymphyſin refert ſolam futuram & γόμφωσιν. Ab hac diſtinguit τὸ ἄρθρον, ſ. articulum. Hunc iterum dividit in ſynarthroſin & diarthroſin. Ad diarthroſin refert & motum manifeſtum & obſcurum. Synarthroſin vocat commiſſuram, ubi nullus motus eſt. Is etiam articulum humeri cum omoplata, quem plures ad arthrodiam referunt, revocavit ad enarthroſin. Quia ego tironibus ſcribo, permanere malui in veterum doctrina, cum ceteroquin magis commoda videatur diviſio WINSLOVII & MONRO.

§. 1096.

Cum vero oſſium commiſſuræ atque articuli ita diſcreti ſint, de his quædam communia noſcenda ſunt. Siquidem frequentiſſime & facillime ſuis ſedibus moventur articuli per arthrodiam, qui etiam penitus inter ſe dehiſcunt, ut os prorſus ab altero oſſe, cui id junctum erat, recedat. Articuli vero per ginglymum, qui validioribus ligamentis adſtringuntur, non niſi majori vi, & vix umquam penitus, & ita expelluntur, ut duo oſſa inter ſe ex toto diſtrahantur. Nec hoc fieri poteſt ſine violatis, diſruptis, vel multum infirmatis ligamentis. Itaque illi articuli ſal-

tem parum & aliqua parte ſuis ſedibus promoventur. In arthrodia & enarthroſi eſt motus orbicus, ita, ut membrum, quaſi circa axin, volvatur, qui motus tamen perfectior eſt in priori, quam in altera. In ginglymo non alius motus eſt, quam, quo membrum adducitur flectiturque, & quo illud extenditur. Si artus conſideramus, & humeri caput ſinu ſcapulæ per arthrodiam, & femoris caput, ſinu profundo coxæ per enarthroſin excipitur, in cubito & genu ginglymus eſt. Etiam, ubi manuum & pedum digiti incipiunt, arthrodia eſt. Nam digitorum ſuprema oſſa in vertice ſinuata ſunt, & recipiunt oſſium, ex quibus metacarpus & metatarſus componitur, pleniora capitula. Reliqui digitorum articuli per ginglymum committuntur.

§. 1097.

Veteres nervos appellaverunt illa dura, flexilia, elaſtica, cartilaginibus molliora, membranis rigidiora, vincula, quibus oſſa inter ſe deligantur, & quæ recentioribus ligamenta vocantur. Horum varia figura eſt. Communia fere omnibus articulis ſunt illa membranacea, pro modo oſſium valida, vel tenuja, quibus oſſium extrema in articulis comprehenduntur. His a Gallis nomen impoſitum fuit *les Capſulaires*, &, cum latinum vocabulum deeſſe videatur, ea forte manticulas appellare poſſes *a*. Hoc genere ligamentorum interdum ſolo, *b* interdum accedentibus aliis, oſſa inter ſe connectuntur. His vero etiam continetur axungia, qua oſſium cartilagines illinuntur. Super has manticulas, membranæ in modum diſpanſas, feruntur, & ex uno oſſe in aliud, quod contra ſitum eſt, pertinent alia ligamenta valentiora plenioraque, magis vero contracta & teretia, quæ illis prioribus adhæreſcunt *c*. Sunt alia ligamenta, quæ intra illas manticulas ex uno oſſe educta alteri inſeruntur *d*. Nec deſunt, quæ prohibent, quo minus oſſa ſibi ad latus poſita inter ſe dehiſcant *e*. Omitto alia ligamentorum genera, quæ non tam oſſibus jungendis, quam continendis aliis partibus, accommodata ſunt.

a A WINSLOVIO v. Expoſ. T. I. de oſſibus recentibus §. 36.

b Veluti in articulo humeri cum omoplata. Præter aponeuroſes enim a tendinibus muſculorum profectas vix alia ligamenta eſſe videntur, quæ hunc articulum comprehendunt.

c Præcipue in ginglymo, v. g. humeri cum radio & ulna, femoris cum tibia.

d In articulo coxæ cum femore, femore cum tibia.

e Quæ inter ulnam & radium, tibiam & fibulam, ſunt. Illud tranſver-

ſum, quod in prima vertebra colli eſt, & quod proceſſum odontoideum ſecundæ vertebræ continet. Ligamenta, quæ inter proceſſus vertebrarum ſpinoſos ſunt. Quo referri etiam poteſt illud, quod in ſcapula eſt, inter proceſſum caracoidem & acromium, quod humeri caput, ne facile excidat, tuetur. V. MONRO l. c. p. 268. Confer de omnibus, præter VESALIUM & REALDUM COLUMBUM, WINSLOVIUM l. c.

§. 1098.

Articuli, qui brevioribus validiſque ligamentis comprehenduntur, non, niſi majori vi, expelluntur. Si vero exciderunt, etiam non ſine negotio in ſedes ſuas compelluntur. Si ligamenta infirmata ſunt, & horum vitio oſſa emota fuerunt, hæc facile reponuntur, ſed vero in ſuas ſedes compulſa iterum excidunt.

§. 1099.

Oſſa in articulis cartilagine terminantur, & nullus articulus non ſic finitur. Cartilagines duræ ſunt, elaſticæ, lubricæ, ſine omni ſenſu. Præter eas cartilagines, in quas ipſa oſſa deſinunt, aliæ ſunt, quæ mediæ, inter duo oſſa, etiam cartilagine mollita, collocatæ ſunt, ſuper quæ quoque ligamenta, præcipue illæ membranæ manticulæ, (1096.) illigantur *a*. Sunt aliæ, in quas oſſa quaſi degenerant, & quibus mediis eæ continentur. Hæ etiam aliquam, quamvis minorem, mobilitatem præſtant *b*.

a In articulo maxillæ inferioris cum oſſe temporum, in articulo ſterni & juguli, femoris & tibiæ.

b Cartilagines, quibus mediis oſſa coxarum inter ſe & cum ſacro committuntur. Præcipue in coſtis & in ipſo ſterno.

§. 1100.

In articulos humor confluit, quo ad faciliorem motum cartilagines, veluti ad circumactum rotarum oleo piſſino vehiculorum axes, perunguntur. Humor ille compoſitus eſſe videtur ex pituita, oleo & lympha. Glutinoſus, pituitæ vel muco ſimilis, humor effertur ex majoribus glandulis, quæ in articulis collocatæ ſunt, quas mucoſas vocare ſolent *c*. Illæ glandulæ molles ſunt, & ex iis plures minores fiſtulæ educuntur, ex quibus ille humor deſtillat. Ita vero in articulis collocatæ ſunt, ut motis agitatiſque oſſibus aliquantum premantur, quare pro modo vehementioris exercitationis major humoris vis ex his glandulis exprimitur, qui ad lubricandos cartilaginoſos oſſium fines neceſſarius eſt. Humor ille ovi albo ſimilis, ſaporis ſalſi, igne non cogitur, ſed per aëra in vaporem diffunditur, relicta aliqua quaſi cuticula. Hæ glandulæ multa adipe circumdantur, quæ etiam

articulis ubique fere inhæret. Adipis oleum etiam preſsu diffunditur & illi glutinoſo humori admiſcetur. Nec a vero alienum eſt, aliquid accedere ex tenujori oſſium cavernoſorum medulla, (1031.) quæ forte per cartilagines penetrare poteſt. Præcipue vero humor lymphæ ſimilis deſtillat ex illis ligamentis, ſeu manticulis, quibus articuli comprehenduntur, & vel ex earum minoribus glandulis, vel arteriarum minimarum finibus.

c Vide Cl. HAVERS Oſteologiam novam Cap. IV. p. 187. WINSLOV. c. l. §. 66. & Clar. FRIDERICI LEBEGOTT PITSCHEL Diſſ. de Axungia articulorum, Lipſiæ MDCCXL. Experimenta nonnulla cum axungia facta vide in Comm. Bononienſibus p. 148.

§. 1101.

Ob id vero axungia ex humoribus natura diverſis mixta eſt, quo magis idonea lubricandis articulis eſset. Illam quiete cogi, motu autem liqueſcere, liquefactam venulis iterum abſorberi, & cum humidis per univerſum corpus diffuſis confundi, experimentis cognitum eſt. Alibi retuli, (357. 485. 486. 487.) ex vulneratis articulis quandoque μελίκηραν, vel ſynoviam, exire, & hanc eſse confluentem redundantemque axungiam. Quæ ad τὰς ἀγκύλας rigidoſque articulos attinet, qui inter alias cauſas etiam ab hoc humore naſcuntur, ſi is craſſior evadit, protinus dicam.

§. 1102.

Oportet vero cum his omnibus etiam conſiderare nervos & muſculos, arterias venaſque, earumque omnium ſedes atque figuras, poſitus atque receſſus, quæ omnia in anatomicis exercitationibus diſcuntur. Nam, ſi ab oſſibus luxatis arteriæ venæque comprimuntur, graves inflammationes moventur, & non raro membra gangræna periclitantur. Nervi ſi premuntur, oritur ſtupor debilitaſque & eorum reſolutio. Muſculi, ſi eorum nonnulli nimium, alii minus intenduntur, membrum reponi non ſinunt.

§. 1103.

In pueris raro incidit, ut articuli aliqua vi ex ſuis ſedibus expellantur, ſed ſæpe illæ appendices, ſeu epiphyſes, (1090.) prope articulos a reliquo oſſe diducuntur. Hoc vitium, quod quaſi medium inter fracta luxataque eſt, difficilius ſaneſcit. Quandoque caro in his membris emacreſcit, & hæc minus, quam cetera, creſcunt.

§. 1104.

Luxata vero varia discrimina recipiunt. Nam ossa quandoque penitus inter se recedunt, quandoque parum ex sedibus suis moventur, ita, ut, quod ab altero excidit, non prorsus recedat, sed aliqua parte subsistat. Prius in enarthrosi & arthrodia, alterum in ginglymo, frequentius evenire, jam supra retuli. (1095.) Nonnumquam ossa cum vulnere, contusis etiam vexatisque carnibus, loco moventur, vel, quæ exciderunt, etiam fracta collisaque sunt, ideoque magnus inflammationis, gangrænæ, & quandoque mortis metus oriri solet. Etiam discrimen est, si os, quod excidit, protinus & sine mora reponitur, & si illud relinquitur, atque tandem vetustas accedit. Multum etiam confert corporis, ligamentorum musculorumque habitus.

§. 1105.

Vix attinet dicere, articulos suis sedibus vi, ictu, casu, saltu, expelli, & si membra, vi facta, in diversa distrahuntur. Ossa vero etiam quandoque musculorum resolutorum & emacrescentium vitio prolabuntur. Nam in his membris ligamenta, quamvis ab initio satis valida sint, tamen membrorum pondere infirmantur extenuanturque. Si vero musculi integri sunt, & satis validi, ligamentis vero vis destituta est, ossa ipsa musculorum actione facile promoventur; id quod accidit, si major vis adhibita fuit, membraque ab eo, qui curaturus erat, nimium fuerat intenta. Interdum in articulos, præcipue in profundiores, vel etiam quandoque in exiguos sinus, quibus ossa contra sita excipiuntur, humor confluit, quo indies augescente, os pedetentim e sede sua promovetur. Hoc incidit, si ex febre, veluti ex variolis, mala materia in articulos inclinata est, vel, si, id quod crebrius evenire solet, graviori ictu, casuve, extrinsecus articulus ita læsus fuit, ut in eo etiam, vel ligamentum, vel supra commemoratæ glandulæ, (1099.) graviter percussæ sint. Si ossa puerorum, qui rhachitide ægri sunt, intumescunt, illa etiam tandem e sedibus suis elabuntur. In nullo articulo hæc vitia frequentius incidunt, quam in sinu coxæ, quo caput rotundum femoris recipitur.

§. 1106.

Sunt quædam communia luxatorum signa, quædam propria. Siquidem semper ea parte tumor est, in quam os prorupit, ea

ſinus, a qua receſſit. Membrum in eam partem, in quam os excidit, porrigi non poteſt, paulo magis in contrariam, numquam vero ſine dolore. Pro variis caſibus, membrum emotum brevius, quandoque longius, eſſe ſolet. Huic etiam, vel nullus, vel minor, uſus relictus eſt. Dolor & inflammatio quandoque non tam ab oſſe, quod loco ſuo non eſt, oriuntur, (1100.) ſed, quod muſculi nervique injuria extrinſecus illata vexati ſunt, atque colliſi, qui membrum, quamvis integrum & haud luxatum ſit, moveri vix ſinunt.

§. 1107.

Os non totum e ſede ſua motum eſſe, ſed parum ſaltem excidiſſe, intelligitur, ſi articulus poſt ei illatam vim cum tumore dolorem habet vehementem atque continuum, qui etiam ſuo tempore, & adhibitis omnibus auxiliis, non levatur. Membrum non in omnem partem porrigi poteſt. Illud loco ſuo non eſse, ipſa ejus figura oſtendit. Quare, os luxatum eſse, ſcitur, ſi membrum, quod noxam habet, cum altero, quod integrum eſt, diligentius confertur.

§. 1108.

Si articuli reſolutorum muſculorum vitio (1104.) elapſi ſunt, id ſcire licet, ſi olim homo apoplexia attonitus fuit, ſi membrum reſolutum eſt, & in eo carnes emacruerunt. In ejuſmodi membris articulus ſine omni negotio in ſedem ſuam compellitur, ſed mox iterum excidit. (1097.) Si brachium reſolutum eſt, tandem etiam naturali ejus pondere extenuantur ligamenta, quibus humerus omoplatæ adſtringitur, quare membrum longius fit. (1104.) In articulo vero circum circa depreſsus digitus ſinum invenit, ubi duo oſsa inter ſe receſserunt.

§. 1109.

Si ligamentis vis deſtituta eſt, (1104.) muſculi vero integri valenteſque ſunt, horum vel minori actione oſsa emoventur. Articulus tumidus eſt & dolorem habet. Si os, quod excidit, in ſedem ſuam compelli nequit, quamvis omnia recte fiant, ſcire licet, in ſinum, quo os excipiendum eſt, confluxiſse humorem, qui ſe intus opponit, &, ne os revertatur, prohibet.

§. 1110.

Varia etiam pericula oſſibus luxatis oriuntur. Membrum nonnumquam inflammatione & gangræna periclitatur. Quandoque

abſceſſus fiunt, vel naſcuntur tumores œdemati ſimiles. (729.) Interdum carnes emacreſcunt. Articuli tumidi rigidique, & in iis ἀγκύλαι fiunt, quæ efficiunt, ut minor uſus (1104.) membri relinquatur. Majus periculum eſſe ſolet, ſi ginglymus excidit quam, ſi arthrodia, præcipue, ſi in illo oſſa penitus inter ſe receſſerunt. Hoc vero in ginglymo evenire nequit, niſi majori vi, & ruptis, diſtractis infirmatiſque omnibus ligamentis. (1095. 1103.) Nullam curationem recipiunt articuli, qui ligamentorum muſculorumque vitio emoti ſunt. (1104.) Nec perfecta ſanitas, ſed ſemper debilitas ſequitur, ſi os quod, vi extrinſecus accedente, loco ſuo motum eſt, non protinus repoſitum fuit, ſed neglectum. Articuli, qui validis ligamentis pleniſque muſculis continentur, non, niſi majori vi, e ſedibus ſuis moventur, nec, niſi magna etiam vi adhibita, iterum in eas compelluntur. Qui vero articuli ſine negotio & expeditius reponuntur, multo facilius iterum excidunt, & minus fideliter continentur. Frequentius adoleſcentibus, feminis & imbecillis oſſa excidunt, quam adultis, robuſtioribus & viris. Si in ſinum humor confluxit, & hunc axungia quiete coacta craſſaque implet, (1104. 1108.) vel, ſi os propterea excidit, quod id ipſum intumuit, (1087. 1104.) articulus ſanus fieri, & vetuſtæ ſedi adſueſcere non poteſt. Os etiam quod reponi non potuit, tandem cum ſedibus in quibus reſidit, concreſcit. Si, repoſito oſſe, vehemens dolor manet, vel nervorum diſtentio ſequitur, ſcire licet, id loco ſuo non eſſe, & ab eo ligamentum premi.

§. 1111.

Articulos, qui exciderunt, reponi oportet, & averti ea, quæ his ſuperveniunt. Si vero os, quod e ſede ſua prolapſum eſt, compelli debet, neceſſe eſt, ut illud, quod ſemper muſculorum actione adducitur, ſatis extendatur. Hoc vero a chirurgo ſolo fit, vel eum adjuvantibus miniſtris. Quandoque, id quod optimum eſt, res ſolis manibus agitur, quandoque injectis habenis, & adhibitis etiam variis machinamentis.

§. 1112.

Membrum, ſi illud tenerum eſt, intendere unus homo poteſt, cum dextra manu, id quod loco ſuo motum fuit; ſiniſtra aliud, a quo hoc receſſit, prehendit. Valentius autem membrum duobus eget, qui in diverſa contendunt. Non major adhiberi debet

vis, qua membrum luxatum extenditur, quam ea eſt, qua alterum reducitur. Si id fieri poteſt, nec manus, nec lora, alii membro injici debent, quam ei, quod expulſum eſt, illique, a quo hoc receſſit. Ubi membra ſic in diverſa ducuntur, conſiderandi ſunt muſculi, ut omnes æquali modo intendantur. Extendi debet membrum, quod excidit, pro modo ac ratione, qua illud longius a ſua ſede receſſit, eo uſque, ut illud paulo longius ſit, quam naturaliter eſſe debet. Si vero nimium adducitur, vis ligamentis infertur, quibus imbecillitas manet. (1104. 1108.) Membrum, quod extendi debet, vi æquali ſedataque paulatimque aucta adduci oportet, non vero per repentinos impetus rapi. Si vaſtum corpus faſciis, habenis, loriſve eget, illa mollia eſſe & ita extremis membris injici debent, ne cutim carneſque offendant. Oportet tamen illa magis adſtringi, ſi iis membra corporum vaſtorum obeſorumque deliganda ſunt.

§. 1113.

Ubi autem oſsa ſatis inter ſe diducta ſunt, id quod ſcire licet ex articuli & muſculorum habitu, & ſi membrum paulo longius videtur, quam id naturaliter eſse ſolet, (1111.) os iterum in ſuam ſedem compelli oportet. Ergo remitti debent vel manus, vel habenæ, quibus membrum emotum intenditur; aliud vero, a quo hoc receſſit, reducitur. Cura habenda eſt, ut hoc etiam æquali lentoque motu fiat, ne, cum os cum impetu revertitur & reconditur, ejus cartilago vel aliquod ligamentum, lædatur. Os vero quandoque per ſe, muſculorum ac ligamentorum motu, per eam partem, per quam venit, revertit, vel manu chirurgi, vel etiam per varia genera machinamentorum, compellitur. Si illud his dirigitur, videndum eſt, ut ſemper in ſuam ſedem, per eam viam, per quam venit, revertatur.

§. 1114.

Os loco ſuo eſse, ſcire licet, ſi tumor (1105.) deſidit, dolor levatur, & membrum ab eo, quod integrum eſt, haud differt. (1106.) Manere ſolet tumor dolorque, qui non a prolapſo oſse, ſed ab ictu illato, orti ſunt. (1109.)

§. 1115.

Ubi os in ſuam ſedem repoſitum eſt, in junioribus robuſtioribuſque illud ſolis ligamentis & muſculis continetur. Articulus tamen per aliquot dies poteſt injecta faſcia panniſque deligari,

ne is, ſi forte laceſſitur, iterum a ſede ſua excidat. Ob id etiam debet membrum, vel mitella, vel canaliculo, excipi & contineri. Ita vero collocandum eſt, ne vis in ligamenta muſculoſque fiat. Oportet autem, ubi membrum, levata omni inflammatione, per aliquot dies conquievit, id quoque ad uſus ſuos promoveri. Hic motus, qui urgente dolore ac inflammatione, peſtifer eſſe poteſt, his diſcuſſis, neceſſarius eſt, quippe qui prohibet, quo minus axungia in articulo cogatur, & is rigidus fiat. (1004.) Medicamenta, quæ vulgo adhibentur, fere ſupervacua ſunt.

§. 1116.

Ubi autem metus eſt, ne infirmatis ligamentis articulo imbecillitas maneat, ei, antequam deligatur, ſuperinjiciendus eſt pannus compoſitus, ex vino auſtero, rubro, calido, vel etiam aceto cum aqua, expreſsus. His commode incoquuntur radices tormentillæ, biſtortæ, bryoniæ, ſigilli Salomonis, herbæ agrimoniæ, abſinthii, alchimillæ, majoranæ, ſerpilli, rutæ, lavendulæ, & adjicitur ſal ammoniacus, vel ſal communis. Nec corporibus plenis inutilis eſt ſpiritus matricalis, ſerpilli, lumbricorum terreſtrium, formicarum. Hæc omnia etiam ob id in his caſibus proficiunt, quod iis & novum robur additur ligamentis muſculiſque, & quod quoque inflammatio levatur. Qui emplaſtris fidem ſuam addixerunt, illi, ſi nulla, vel exigua inflammatio membrum tenet, imponere poſſunt illud, cujus compoſitionem WURTZIUS dedit, & quod defenſivum viride nominant. Emplaſtrum autem injici debet, ne totum membrum comprehendat. Quandoque, ſi hæc medicamenta ab initio neglecta fuere, articulo imbecillitas manet, & dolores oriuntur, qui ſub tempeſtatibus variant, interdum urgent, interdum ſe prorſus remittunt.

§. 1117.

Si vero major infirmitas poſt hanc curationem in articulo eſt, præter hæc medicamenta, conveniunt etiam emplaſtra, ex quorum numero oxycroceum, nec non ſaponatum Barbette, ceteris præferri debent. Multum proficit fricatio, & ſi membrum crebrius ac diutius, ſi poteſt, per ſe, ſin minus, per alium, movetur agitaturque, ut ad conſuetudinem redeat. Infricari poſſunt modo dicti liquores chemica arte parati, ſeu ſpiritus. Hæc tamen ſpirituum infricatio junioribus pleniſque corporibus magis

idonea eſt, quam gracilibus, tenuibus, ſenectute emaceratis, quibus opportuniora ſunt unguenta. Unctioni aptiſſimum eſt unguentum, quod nervinum nominatur, oleis deſtillatis caryophyllorum, origani, ſerpilli, roſmarini, abſinthii, & balſamo Peruviano, admixtum. Nec inutiles ſunt ſuffitiones, (1072.) & ſi hæ laneis pannis exceptæ infricantur. Dolenti parti admovendæ ſunt cucurbitulæ. In his vero infirmatorum membrorum curationibus diu perſeverandum eſſe, apparere cuilibet poteſt.

§. 1118.

Gravibus inflammationibus expoſita ſunt luxata, (1109.) quæ quandoque ab ictu caſuve excitantur, quandoque autem ab oſſe moto, quo venæ comprimuntur. (1101.) Scire hoc poſſunt, qui grandium venarum per membra procedentium ſedes perſpectas habent. Etiam aliud ejus rei indicium eſt. Si os majori vi expulſum fuit, & inflammatio a vexata cute carnibuſque orta fuit, ea maxima illa parte conſiſtit, quæ ictum exceperat; ſi autem venæ premuntur, intumeſcit extremum membrum & inflammatio increſcit, & verſus articulum procedit. In priori caſu, ſi inflammatio a vi extrinſecus illata orta eſt, eaque vehemens articulum occupat, ille laceſſendus non eſt, ſed oportet prius eam levare, & ob id ſanguinem mittere, ac quietem imperare, & imponere, quibus tumor dolorque tolluntur. (79. 80. 81. 1115.) Si etiam febris acceſſit, huic idoneis medicamentis & abſtinentia occurrendum eſt. Inflammatione ſe remittente, vel finita, os reponitur. Ubi autem inflammatio oſſis emoti venaſque comprimentis vitio orta fuit, oportet feſtinare, & os quam primum in locum, unde id lapſum eſt, reſtituere. Si vero, repoſito oſſe, nihilominus tumor & inflammatio manent, timeri debet gangræna, quod rupta eſt arteria, vel vena, quæ ſanguinem fundit *a*.

a Hoc aliquando curantis, & brachium nimium extendentis, culpa factum eſſe, novi. (423.)

§. 1119.

Si corpus valens eſt, idque ſanguine tumet, requiritur, ut, repoſito oſſe, ſanguis mittatur. Si febris accedit, illam cauſæ æſtimatio, cui accommodanda auxilia ſunt, ſolvere poteſt. Si febris cum dolore increſcit, interdum pus oritur, abſceſſus fit, qui, cum articulum ejuſque ligamenta afficere poſſit, præcipue,

ſi ſuppuratio altius condita eſt, etiam crudus, & non exſpectata maturitate, incidi debet. (96. 993.)

§. 1120.

Multo gravius eſt, ſi oſſi luxato etiam fractura acceſſit. In hoc caſu opera danda eſt, ut prius emotus articulus, pòſt vero oſſis fragmenta, in ſuas ſedes reponantur. Majoribus periculis membrum expoſitum eſt, ſi os prope articulum, qui excidit, fractum fuit. Os enim tractari & ſatis extendi nequit. In hoc caſu fracta inter ſe committenda ſunt, exſpectandumque, donec ea callus firmaverit. Tunc tentandum eſt, an etiam diducta oſſa rurſus inter ſe jungi poſſint. Interea, ne rigor articulo accedat, is calida aqua oleoque foveri poteſt. Hoc, ſi vetus res eſt, raro feliciter cedit. (1109.)

§. 1121.

Caput ſuper cervicem continetur duobus proceſſibus depreſſioribus, vel condylis, qui ad latus foraminis magni poſiti ſunt, per quod in occipite ſpinæ medulla cerebro commiſſa deſcendit. Hi condyli oblongi, cartilagine molliti, parte media gibbi, & linea tranſverſa diviſi, oblique in exteriorem partem inclinati, dum verſus anteriora procedunt, ſibi appropinquantur. Pars illorum anterior elatior eſt & paulo amplior, pars poſterior depreſſa & anguſtior. In his tamen & aliis nihil perpetuum eſſe, deprehendo. Hi condyli excipiuntur duobus oblongis, etiam obliquis, & media tranſverſa linea diviſis, ſinubus, qui ſunt in ſuperioribus proceſſibus obliquis, vel articularibus, vertebræ primæ. Sinus illi modo deſcriptis condylis, quos excipiunt, reſpondent. Quare etiam proceſſus articulares ſuperiores, qui illos ſinus habent, in parte poſteriori exſtantiores ſunt, in parte media plurimum depreſſi & ſinuati, in parte anteriori minus deſidentes, ceteroquin interiora verſus oblique inclinati. Hic articulus, &, tum occipitis condyli, tum vertebræ articulares proceſſus, continentur ligamentis validis, qui eos, manticularum in modum, comprehendunt. (1096.) Id, ne ſæpius dicendum ſit, omnibus, & vertebrarum etiam, articulis commune eſt. Alia ligamenta ſunt, quæ ab occipite incipiunt, & ſummæ exſtantioriſque oræ primæ vertebræ inſeruntur. Etiam valida membrana eſt, quæ intus vertebris perviis ab occipite ad os ſacrum uſque cum ſpinæ medulla deducitur. Hac enim, & medulla contegi-

tur, & ossa, quibus adhæret, continentur. Nec omittenda est membrana, ligamento similis, qua anterius vertebræ omnes earumque corpora conteguntur. Hic articulus sustinet caput, idque flecti, non vero in latera moveri sinit.

§. 1122.

Prima cervicis vertebra, quam Atlantem vocant, deorsum versus etiam exigit duos minores processus articulares. Hi parum desidentes sinus habent, vel plana obliqua, quæ ab interiori parte versus exteriora & inferiora porriguntur. His respondent alia plana, paululum gibba, quæ sunt in alterius vertebræ processibus articularibus superioribus, quæ oblique exteriora versus inclinantur. Inter cartilagines, quibus harum vertebrarum extremi processus molliti sunt, interdum aliæ distinctæ & in medio positæ minores reperiuntur. (1098.) Ex hoc articulo facilis vertici mobilitas in utrumque latus est.

§. 1123.

Quo vero cervix melius inter varios motus flexusque caput sustinere posset, ex anteriori & pleniori alterius vertebræ parte consurgit major, crassior & procerus processus, quem dentiformem, vel odontoideum vocant, quia nonnullis dentem repræsentare visus est. Is valido ligamento, quod ex ejus summo apice educitur, super occiput hujusque processum sphenoideum extremamque & anteriorem oram majoris foraminis illigatur. Vertebræ autem prioris & supremæ anterior pars quasi excisa est & sinuata, etiam cartilagine mollita, quæ hunc processum odontoideum molli cartilagine quoque lævigatum e latere recipit. Hic vero processus valido ligamento constringitur, quod post hunc processum transversum in prima vertebra ex una laterali parte in alteram porrigitur. (1092. *c*)

§. 1124.

Caput igitur per articulum, qui inter occiput & primam vertebram est, levatur & inclinatur, per articulum qui inter primam & secundam vertebram est, in latus vertitur. Quo minus occiput a prima vertebra recedat, prohibent processus ille odontoideus ejusque ligamenta, quæ ex genere valentiorum sunt, & quæ caput ultra prolabi non patiuntur. Caput igitur si luxatur, inter se recedunt prima secundaque vertebra, in quo articulo major mobilitas est. Hoc incidere potest, si ligamenta sub oc-

cipitio majori vi extenduntur, & eodem temporis momento caput in latus movetur. Haud crediderim, hujus rei aliquam curationem esse, cum sub tali motu spinæ medulla comprimatur, qua compressa omnes nervi, qui a cervice descendunt, resolvuntur *a*.

a PETITUS c. l. T. I. p. 66. historiam prodidit de puero, quem vir, prehenso duabus manibus capite, in altum sustulerat. Cum puer reniteretur, & corpus in aere suspensum multum agitaret, vertebræ inter se diductæ atque emotæ fuerunt, & puer momento extinctus fuit. Aliquam medendi rationem proposuerunt PETITUS, aliique, nullam vero hujus rei curationem esse, ex ea ipsa illius historia intelligitur. Vertebras, quintam sextamque, vehementiori ictu inter se dehiscentes, & spinalem medullam per transversum disruptam in cadavere viderunt Auctores Selectorum Medicorum Francofurtensium. Homo adhuc ad decimam tertiam horam post acceptum ictum vixisse dicitur. Vol. I. Obs. 2.

§. 1125.

Cervicem distorqueri, & caput obstipum vitio musculorum cutisque fieri, jam alii animadverterunt *b*. Si cutis ambusta est, & cum hac platysmamyodes musculus, & mala cicatrix caput obstipum reddit, adhibenda sunt fomenta, (226.) vel cutis incidenda est. Tunc plaga diduci, & in eam plumbea lamina imponi debet, quo cicatrix latior atque locum implens nascatur. (581.) Si vero musculus mastoideus rigidus contractusque factus est, nonnulli tendinem illius musculi præcidere ausi sunt, qui caput protinus erectum, vulnusque sine noxa glutinatum, fuisse prodiderunt *c*. Minus ardua est curatio, si unus musculorum mastoideorum resolutus est, & ob id alter adducitur. Quia vero musculo mastoideo dextro caput in sinistram partem, sinistro autem illud in dextram movetur, musculus resolutus est in illo latere, in quod caput inclinatur. Huic musculo adhibenda sunt remedia, quæ membris resolutis idonea sunt, infrictiones supra propositæ. (1072. 1115. 1116.) Prodest etiam, torpentis musculi summam cutim exasperare, impositis cantharidibus, vel admoto sinapi, aliisque acrioribus. Maxime necessaria est fascia, qua pedetentim caput reducitur. *d* Id, quod vero mastoideis incidit, evenire etiam potest aliis musculis, spleniis complexis, rectis, ceterisque quibus caput continetur *e*.

b Vid. BOOTII Obs. de Affectibus omissis C. V. p. 14.

c Vid. hanc Observ. in TULPIO L. IV. C. 56. p. 371. in MEEKREN Obs. 33. p. 136. c. fig. & ROONHUYSEN Obs. 22.

d Hujus curationis exemplum nobis propoſuit Cel. WINSLOVIUS in Quæſtione medica: An in cognoſcendis morbis errores funeſtos vitare poſſit Anatomes parum dumtaxat gnarus, Lutetiæ, Anno MDCCXXXII. propoſita §. 3. & in Comment. A. R. Sc. Anno MDCCXXXV. p. 409. in quibus vide etiam figuram faſciæ.

e Confer Diſſert Celeb. MAUCHARTI de Capite obſtipo, Tubingue MDCCXXXVII.

§. 1126.

Maxilla inferior habet duos proceſſus, ſeu condylos ſuperiores, latos, in anteriora oblique inclinatos, qui ſubire videntur illos ſinus, qui in oſſe temporum juxta auris foramina ſunt. Committuntur vero rotundi condyli cum proceſſibus tranſverſis, qui in parte anteriori oſſium temporum ſunt, ubi oſſa jugalia incipiunt. Inter illos condylos & modo commemoratos ſinus media cartilago *a* eſt. (1098.) Articulum comprehendit ligamentum valens, ſeu manticula, quæ ex illo oſſis temporum ſinu educta mediæ cartilagini arctius inhæreſcit, & tandem condylum maxillæ comprehendit. Ligamenta fere duo eſſe videntur. Illud, quod cartilaginem oſſi temporum adſtringit, laxum eſt, magis vero adſtrictum, quod e cartilagine deſcendit & condylum comprehendit. Hæc res efficit, ut, dum aperto ore maxilla deprimitur, hæc cartilago, condylo juncta, ſuper illum tranſverſum proceſsum oſſis jugalis moveatur & major mobilitas articulo præſtetur. Huic articulo in poſteriori parte annexa eſt glandula, (1099.) quæ in parotidem fere implicita axungiam fundit. Maxillam utrimque validis muſculis, crotaphite, maſsetere, & duobus pterygoideis adduci & contineri, notum eſt. Muſculi pterygoidei externi portio illi ligamento atque mediæ articuli cartilagini innexa eſt *b*.

a Vid. fig. in MORGAGNI Adverſ. II. fig. 1. 2. 3.

b Vide accuratam hujus articuli deſcriptionem a Cl. MONRO proditam *in the Medical Eſſays* Vol. I. Ob. XI. p. 131. & Vol. III. Obſ. XIII. p. 261.

§. 1127.

Maxilla non in aliam, quam priorem, partem propellitur, id quod incidit, dum ejus condyli ſuper illum tranſverſum oſſis jugalis proceſſum promoventur. Nam in poſteriorem & dextram ſiniſtramque partem excidere non poteſt, quia oppoſiti ſunt proceſsus maſtoidei & ſtyloidei. Nec, vel propter illos ipſos maxillæ condylos, ea in latus moveri poteſt.

§. 1128.

Si maxilla utraque parte ex ſede ſua excidit, totum mentum inclinatur, & in exteriorem partem promovetur. Si vero una parte procidit, illud ſemper in contrariam partem inclinatur & dentes paribus non reſpondent, ſed ſub his, qui ſecant, canini ſunt. Os in utroque caſu hiat, & claudi nequit, ex quo multa ſaliva effertur. Homo, nec loqui, nec mandere, & vix deglutire poteſt. Prolapſæ enim maxillæ anteriores coronoidei proceſſus, quibus muſculi crotaphites innexi ſunt, ſub oſſibus jugalibus conduntur, & prohibent, quo minus maxilla attolli queat.

§. 1129.

Maxilla e ſede ſua propelli non poteſt, niſi aperto hianteque ore, & ſi illo tempore ei ictus infertur. Rarum non eſt, maxillam excidere ſub oſcitatione, magnoque & ſoluto riſu, id quod iis evenire ſolet, quibus ligamenta imbecilla ſunt.

§. 1130.

Si maxilla in ſedem ſuam compellenda eſt, homo collocari debet in ſedili, ſic, ut miniſter caput ejus a poſteriore parte contineat, vel, ut is juxta parietem ſedeat, ſubjecto inter parietem & caput ejus ſcorteo pulvino duro. Caput eo urgendum eſt, quo ſit immobilius. Tum chirurgus digitos pollices linteolis, vel faſciis involutos, in os, ſuper dentes poſteriores molares conjicit, & ceteros digitos, ipſamque palmam, extrinſecus ita mento admovet, ut mentum maxillamque vehementer apprehendat. Digitis in os demiſſis maxillam deprimit, palma vero eam eodem momento, quo depreſſa fuit, retro agit. Si una demum parte illa prorupit, difficilius reponitur. Non, niſi ea parte, qua excidit, maxilla deprimenda, oblique vero ex oppoſita parte mentum apprehendendum, & ſic illa retro agenda eſt.

§. 1131.

Sunt, qui, ut maxillam in ſedem ſuam compellant, homini colaphum ducunt, alii bacillum durum inter dentes demittunt, quo, veluti vecte, maxillam deprimunt; quas curationes graviores offenſæ ſæpe ſequuntur. Ubi maxilla in ſedem ſuam collocata eſt, faſcia injici poteſt, vel longior habena, utrimque in longitudinem ad medium fere inciſa, cujus medium mentum complectitur, capitum vero duo hominis caput; reliqua duo ſu-

per cervicem, & ab hac ſupra frontem, adducta, ibi ligantur. Alibi hanc faſciam fundam nominavi. (13. *b*)

§. 1132.

Cervicis & dorſi ac lumborum vertebræ dividuntur in partem anteriorem ac pleniorem, quam corpus vocant, & in proceſſus, quorum quælibet vertebra, (ſi ſupremam & alteram cervicis, de quibus dictum (1120.) eſt, excipias,) ſeptem habet. Sunt enim quatuor obliqui, vel articulares, duo tranſverſi, & unus poſtremus, cui a ſpina nomen eſt. Articularium duo ſurſum, duo deorſum, ſpectant. Hæ articulares apophyſes inter ſe committuntur ſtructura quadam, ita, ut altera alterius planities ſit. Si ſpinam a parte poſteriori contueamur, deorſum ſpectantes ſuperioris vertebræ proceſſus feruntur ſuper proceſſus articulares ex inferiori vertebra conſurgentes. Horum proceſſuum extrema planities cartilagine mollita in cervicis vertebris oblique inclinata eſt. In vertebris dorſi autem & lumborum ea planities recta ſurſum & deorſum ſpectat, & anterior poſteriori adverſa eſt. In vertebris lumborum hi articuli fere e latere poſiti, & ſurſum ſpectantes proceſſus ſinuati ſunt, qui accipiunt deorſum ſpectantes proceſſus ſuperioris vertebræ. Infimæ vertebræ lumborum proceſſus inferiores inhærent aliis ſinuatis, qui ex oſſe ſacro excreſcunt.

§. 1133.

Multis validiſque ligamentis vertebræ continentur. Durum & cartilaginoſum eſt elaſticum & flexile, quo vertebrarum corpora conſtringuntur. Conſtat ex pluribus in orbem ductis mollioribus & flexilibus cartilaginibus, quarum exteriores ampliori circuitu internas minores comprehendunt. Hæc corpora etiam aliis pluribus brevioribus ligamentis continentur, quæ ſe in ſpeciem litteræ X decuſſant, ab infima ac exſtantiori ora ſupremæ vertebræ incipiunt, ſuper modo commemoratum ligamentum cartilaginoſum oblique feruntur, & oræ ſupremæ infra ſitæ vertebræ illigantur. Hæc ligamenta comprehenduntur illo, quo vertebrarum corpora contegi dixi. (1120.) Accedit illud, quod intus in vertebris perviis cum ſpinæ medulla deducitur. (1120.) Cum hoc cohæret aliud, quod per cava in poſteriori ſpina inter vertebras relicta proceſſus ſpinoſos eorumque baſes inter ſe connectit. Proceſſus articulares ad ſimilitudinem aliarum, quæ in ar-

ticulis ſunt, comprehendunt manticulæ. (1090. 1120.) Alia ligamenta ſunt inter proceſſus ſpinoſos, alia inter proceſſus tranſverſos, quæ muſculis potiſſimum ſedem præſtare videntur. Sunt quædam inter proceſſuum ſpinoſorum extrema, quæ, ſi homo ad neceſſaria opera curvatur, eum ultra prolabi haud patiuntur.

Vid. WINSLOVV *des Os frais* §. 314.

§. 1134.

Coſtæ, & contra vertebrarum corpora, & contra earum proceſſus tranſverſos, ſitæ, prima ſua parte rotundæ & leniter quaſi capitulatæ ſunt. Hæc capitula duo minora plana habent, quæ committuntur cum aliis minoribus parum exſtantibus tuberculis, etiam depreſſis, planis, vel leviter ſinuatis, & in cartilaginem verſis, quæ in parte poſteriori & extrema duarum ſuper ſe poſitarum vertebrarum harumque corporum conſpiciuntur. Eſt tamen diſcrimen. Nam prioris & duarum ultimarum ſpuriarum coſtarum capitula non cum duabus vertebris, ſed una ſaltem ejuſque corpore, committuntur. Et hi articuli ſuis ligamentis comprehenduntur. Prope coſtarum capitula etiam minores glandulæ, quæ axungiam dant, reperiuntur. (1099.)

§. 1135.

Coſtæ vero tuberculis aliis, inhærent tranſverſis proceſſibus paululum ſinuatis vertebrarum inferiorum, & validis ligamentis connectuntur. Duo ultimæ coſtæ ſpuriæ non cum illis proceſſibus committuntur, ſed, ab his disjunctæ, ſolis ligamentis continentur. Spina igitur ex pluribus oſſibus compoſita eſt, & ita aptata, ut homo & rectus inſiſtere & ad neceſſaria opera poſſit curvari. In latus etiam aliquantum inflecti poteſt, non vero motu ſupino curvari. Geſticulatores hanc corporis habilitatem conſequuntur multa exercitatione, qua ligamenta, præcipue illa cartilaginoſa, in flexibilibus puerorum corporibus tandem infirma reddunt atque laxant extenduntque.

§. 1136.

Raro vertebræ excidunt. Nam propter illa validiſſima cartilaginoſa ligamenta, quibus mediis corpora illarum conſtricta ſunt, (1132.) inter ſe recedere haud queunt. Nec id poteſt fieri, niſi medulla, quæ per mediam ſpinam fertur, compreſſa, ruptave. Hoc ſi incidit, partes inferiores, ad quas nervi ex medulla educti pertinent, reſolvuntur, alvus & urina ſupprimuntur,

& tandem ſine voluntate prorumpunt, homo vero intra paucos dies moritur.

§. 1137.

Interdum tamen, manentibus vertebrarum corporibus, earum articulares proceſſus ſuis ſedibus ita excidunt, ut proceſſus, qui ex inferiori vertebra conſurgunt, poſteriora verſus moveantur, & ſuper proceſſus deorſum ſpectantes ſuperioris vertebræ efferantur. Hoc incidere ſolet in vertebris inferioribus dorſi & lumborum, ſi homo eo tempore, quo is magno flexu in pronum, vel in latus, datur, ictu vehementiori concutitur. Et quidem proceſſus illi in utraque parte excidunt, ſi is pronus fuit, in una, & ſemper contraria parte, ſi is fuit in latus inclinatus. Plerumque non una, ſed etiam altera, & plures vertebræ ſic elabuntur.

§. 1138.

Hujus rei indicium eſt, ſi homo, qui inclinatus ictum accepit, erectus eſſe nequit, ſed, vel in anteriora, vel in latus, nititur. Prius incidit, ſi proceſſus articulares utrimque exciderunt, in latus vero inclinatus eſt, ſi id in uno latere evenit. Cum his dolor eſt, qui paululum levatur, ſi homo in pronum datus caput, quantum poteſt, attollit. Fere facilius articuli illi reponuntur, ſi utraque parte exciderunt, quam ſi una.

§. 1139.

Falſa veterum opinio fuit, vertebras ex toto inter ſe diduci, & ex toto etiam reſtitui poſſe. Quare etiam ſupervacua ſunt omnia genera machinamentorum, quæ ad extendendam ſpinam vertebraſque compellendas repererunt. Hominem pronum ſuper ſcamnum collocaverunt, & altera habena pectus circumdederunt, altera lumbos. Utramque habenam in diverſa adduxerunt, quas, ut valentius ſpinam intendere poſſent, etiam ad valida bacula deligaverunt, quorum imas partes oppoſitæ moræ objecerunt. Alii etiam habenarum capita ad axes utrimque in extremo ſcamno poſitos deligaverunt, & hos torcularibus converterunt. Ligamentis, uti opinati ſunt, ſatis extenſis, ii juſſerunt miniſtrum ſuper ſpinam hominis conſiſtere & calce vertebram in exteriorem partem prolapſam intus impellere. Alii, homini inſidentes, ſuis natibus, vel etiam aſſere in tranſverſum poſito & utrimque compreſſo vertebras retro agere voluerunt. Verum enim vero id fruſtra eſt, cum ſic articulares proceſſus haud ſatis inter ſe

diduci & prius fere omnia ligamenta, ſi quis in hac ligamentorum ac muſculorum intentione perſeveraverit, rumpi, vertebrarum quoque ſpinoſi proceſſus frangi, queant.

« Vide Figuram in CHARTERII Edit. HIPPOCR. T. XII. p. 38. Tab. IV.

§. 1140.

Ergo, ubi proceſſus articulares exciderunt, illi inter ſe commode diducuntur, ſi homo ſuper rotundum aliquod dolium, ſubjecto prius pulvino, pronus collocatur, & a miniſtris, tum ejus pectus, tum nates, deprimuntur atque urgentur. Ubi ſic ſatis inter ſe receſſerunt articuli, illi modico corporis flexu, dum homo iterum erigitur, reſtituuntur, ſi ex una demum parte articulus diſtractus fuit, ita, ut homo, non tam pronus, quam in contrarium latus, inclinatus ſit, is etiam in id latus, in quod is nititur, oblique dandus eſt. Reſtitutis in ſedem ſuam articulis, medicamentis iiſdem opus eſt, quæ, imbecillis ligamentis convenire, ſupra dixi. (1115.) Injicitur faſcia, quæ vix non omnibus noxis, quæ in pectore ac imo ventre ſunt, communis eſt, quæ dicitur mantile cum ſuſpenſorio. (693. 700.)

§. 1141.

In ſpina etiam interdum ligamenta valentius intenduntur, quamvis vertebræ & earum etiam articulares proceſſus loco ſuo maneant. Hoc evenire poteſt pueris, ſi horum imbecilla corpuſcula ſub vario motu flexuque concutiuntur, & adultis, ſi illi gravi opere funguntur, grande pondus ſub vario corporis flexu tollunt, movent, feruntque, vel inflexi totius corporis nixu in aliquid incumbunt. His dolor exoritur, qui a tergo ad præcordia tendit, & quia cum peritonæo etiam tranſverſum ſeptum afficitur, ſupervenire poteſt imbecillitas, nauſea & crebrior vomitio. Vulgus exiſtimat, aliquid in ſpina eſſe emotum, & id, quod elapſum eſſe putant, varia ratione, ut reſtituant, enituntur. Si homo adultus eſt, cum in pavimento, vel ſedeculæ, ſuum vero genu contra ejus tergum collocant, & ipſius brachia ſuper pectus decuſſata apprehendunt & valentius adducunt. Infantum autem, quos ſic affectos eſſe credunt, umbilico cucurbitulam aptant atque imprimunt, & interea totum corpus perfricant.

§. 1142.

Ipſa evidentia vulgi opinionibus repugnat, qui, cum veras morborum cauſſas noſſe non poſſit, ſibi plerumque fruſtra hanc ver-

tebrarum diſtortionem fingit, & huic etiam aliena ineptaque auxilia invenit. Nam illi dolores cum languore atque nauſea crebrius incidunt, præcipue infantibus, ſi in ventriculo plus eſt, quam, quod concoqui poſſit, ſi alvus adſtricta & inflatio in inteſtinis eſt. His etiam levamen adferre quandoque fricatio poteſt, quam adhibere conſueverunt, cum ea flatus diſcutiantur. Si autem ex certis indiciis, & præcipue ex cauſæ æſtimatione, cognoſcitur, aliquantum intenta fuiſſe ſpinæ ligamenta, illa per ſe tempore ac quiete confirmantur. Non inutiles vero ſunt fricționes, illaque medicamenta, quæ infirmatis articulis idonea ſupra (1116.) propoſui. Cucurbitula autem proficere poteſt, ſi ictu, caſuve, in poſteriorem partem inclinata eſt cartilaginoſa & xiphoides apophyſis, quam os pectoris habet, & quæ, cum ei ſtomachus ſubjectus ſit, hunc offendere poteſt. Illa vero non umbilico, ſed illi deſidenti ſinui, qui ſub præcordiis eſt, accommodari debet.

§. 1143.

Vulgare vitium eſt, vertebras, quamvis non exciderint, tamen in aliquam partem prominere, & pueros gibberoſos fieri. Obſervatio docuit, hoc præ ceteris evenire pueris, ex imbecillis parentibus natis, teneris, gracilibus, molliter educatis curatiſque. Hujus vero vitii plures modi ſunt. Nam, ſi ſpina in poſteriorem partem curva eſt, κύφωσις, vel κύρτωσις, dicitur. Huic contraria eſt λόρδωσις, in qua ſpina in priorem partem prorumpit, in poſteriori quaſi lunata & excavata eſt, ita, ut ſternum multum promineat. In σκολιώσει ſpina tortuoſo flexu in latus inclinatur *a*. Etiam in his conſiderari oportet omoplatas, quarum ſæpe una eminet, altera depreſſior eſt. Quandoque etiam omoplata a coſtis multum recedit, & in poſteriorem partem projicitur *b*. Si vero omoplatæ ſuo loco non ſunt, etiam ſpinam in variam partem inclinari & intorqueri oportet. Nonnumquam in gibberoſis oſſa coxarum ſuo loco non ſunt, ſed unum depreſſum eſt, alterum exſtat, ex qua re etiam ſpina in contrariam partem promovetur & diſtorquetur.

a Vide GALENUM in Comment. III. in Librum HIPPOCRATIS de Articulis Text. II. T. XII. p. 368. qui vero his modis addidit τὴν σῶσιν, ὅλως διακινηθῶσι μὲν αἱ ἁρμονίαι, κατὰ χώρην δὲ οἱ σφόνδυλοι μένωσιν. Videtur eſſe illa conditio, quando infirmata ſunt omnia ligamenta, ita, ut ſpina ſine negotio in omnem, etiam poſteriorem, partem inflecti poſſit. (1134.)

b Tales GALENO dicuntur πτερυγώδεις, quibus, alarum in modum, omoplatæ exſtant.

§. 1144.

Quod ſi vero medendi ratio maxime ex horum vitiorum cognitis cauſis ducenda eſt, ſcire licet, ea raro ab una, ſed plerumque plurium conſortio, oriri, & id pro cauſa apprehendi, quod contuliſſe plurimum videtur. Inter evidentiores vero eſt, ſi caſu, ictu, vehementique motu, ligamenta infirmantur, & ipſa oſſa, atque etiam epiphyſes, molles commiſſuras habentes, non quidem ita ſuo loco moventur, ut excidant, ſed tamen in aliquam partem inclinatæ promineant: Hoc evenire poteſt infantibus, ſi eos ſub partu per obſtetricias manus dirigi, quandoque replicari & manibus educi oportet. Etiam nutrices illud efficiunt, ſi pueros labantes & ab alto cadentes manibus violenter invadunt apprehenduntque, & artus, præcipue ſpinam, violenter adducunt atque intorquent. Pueri etiam in ludis, variiſque corporis exercitationibus, luctatione inprimis, &, ſi humi proſternuntur, vel de alto præcipitantur, his, aliiſque, membrorum pravitatibus obnoxii redduntur.

§. 1145.

Experientia vero in ipſis his curationibus docuit, longe frequentius pueros gibberoſos fieri, ſi eorum corpus ſub variis exercitationibus continenter multumque in aliquam partem flectitur. Id & jam accidit teneris a feminis alitis, quæ iis non niſi unam mammam dare poſſunt. Nam his neceſſitas eſt, ut, obliquato corpore, crebrius uni lateri incumbant. Etiam infantibus id evenire ſolet, qui non alternis, ſed uno brachio geſtantur & gerularum lateri valde multumque apprimuntur, qua re, & ſpina flectitur, & omoplata etiam projicitur. Id quoque experiuntur puſiones ſedeculis ſuis adfixi, qui corpus multum & ſemper in unum latus inflectunt, in alterum vero, quod ibi paries eſt, flectere non poſſunt. Nec non pueri in ludis litterariis ſcriptitantes, ſi tabulas, vel alteri genu, vel etiam elatiori menſæ, imponunt. Puellæ, quæ pannum tendicula diductum acu pingunt, & obſtipo capite altero humero cum omoplata demiſſo, altero elato porrectoque, ſedent. Bajuli & geruli, qui merces ex cervice pendentes venum exponunt & his onuſti per vias & compita errant, ut alios taceam. Nam ex his & pluribus occaſionibus,

invaleſcente tandem aſſidua conſuetudine, ſpina, omoplatæ humerique, immo etiam quandoque coxæ, a naturali ſua ſede & habitu recedunt, atque illæ membrorum pravitates naſcuntur.

§. 1146.

At enim non parum confert corporis habitus. De pueris rhachitide laborantibus jam ſupra (1067. 1070.) retuli. Etiam oſtendi, muſculorum vitio oſſa inclinari poſſe, id quod accidit, ſi illi una parte rigidi ſunt & adducti, altera reſoluti. (1070. 1124.) *a* HIPPOCRATES animadvertit, pueros ex aſthmate & tuſſi, nec non ex tuberculis juxta pulmones ortis *b*, gibberoſos fieri; id quod accidit, ſi mala morbi cujuſdam materia per μετάστασιν, non tam in pulmones, quam in pleuram, &, quibus vertebræ inter ſe continentur, ligamenta, fuit inclinata. Hæc enim a coëunte mala materia, &, ſi ex hac tubercula naſcuntur, multum adducuntur, ita, ut iis tenerior ſpina inflectatur *c*.

a Confer Obſ. de GOVEY P. II. p. 165.

b Sect. VI. Aphor. 46. & de Articulis Sect. XXXVII. T. II. p. 794. cum quo confer GALENI Commentarium, SEVERINUM de Abſceſſibus Lib. VI. meamque Diſſ. de Thoracibus, Lipſiæ Anno MDCCXXXV. Poſſideo ſceletum pueri duorum circiter annorum, in cujus ſpina κύφωσις eſt. Ea vero vertebra, quæ in poſteriora potiſſimum projecta fuit, intus carie exeſa eſt.

c Commemorabilis eſt hiſtoria Celeberr. CHICOYNEAU de puella gibberoſa, cujus ſpina fere ad naturalem poſitum rediit poſt ſuperatam febrem & plures dejectiones purulentas. H. A. R. Sc. MDCCXXXI. p. 724. conf. Diſſ. de Thoracibus.

§. 1147.

Hæc vitia non, niſi in pueris, naſcuntur, atque etiam in his ſolis, & inter initia curationem recipiunt. Primum vero oportet diligentius conſiderare illas jam propoſitas aliaſque occaſiones, ex quibus illa orta fuere, a quibus etiam medendi via trahenda eſt. Si enim intus tubercula ſunt, vel, ſi corporis habitus corruptus eſt, raro illa emendantur. Summa in omnibus moderatio adhibenda eſt, cum nihil magis perniciosum ſit, quam feſtinatio, &, ſi qui curaturi ſunt, adhibita majori vi, rigidis, immo ferreis etiam, loricis oſſa, quæ exſtant, ut retro cogant, valentius & continuo premunt. Si enim his auſteris curationibus pueri excarnificantur, viſcera abdominis & ligamenta premuntur; quare alii mali, immo interdum funeſti morbi naſcuntur. Et quia, tum omne corpus, tum ligamenta, magis infir-

mantur, ſæpe membrorum pravitates propter hanc malam curationem increbreſcunt *a*.

a Hæc medendi ratio tanto magis peſtifera eſt, ſi tales etiam totum pectus & abdomen quotidie multo oleo pinguique materia perungunt, qua re omnis humor per cutim exire ſolitus coercetur. Vidi adoleſcentulum, cui, cum ſic per plures menſes curatus eſſet, tandem digitorum oſſa intumuerunt.

§. 1148.

Igitur pueri & adoleſcentuli, quibus ſpina aliqua parte eminet, amiciendi ſunt thoracibus, non nimis duris & rigidis, nec ferreis, ſed, qui ex balænariis virgis ſibi aſsutis ſtruuntur & corpori recte accommodantur. Illi ita aptari debent, ut altius aſcendant & pectus, omoplatas, & ſummos etiam humeros, comprehendant. Etiam thoracibus recte & majori diligentia aptari debent analectides, ex corio, vel ex illa materia, quæ ex lanis piliſque coactis parari ſolet, quibus paulo durioribus extantiora officula paululum premuntur. In tenellis corporibus magis commoda eſt faſcia, qua totum pectus continetur *b*. Interea, dum corpus ſic ſemper amictum, vel faſcia involutum, naturaliter increſcit, illæ membrorum pravitates penitus tolluntur, vel multum emendantur.

b Dicitur hæc Cataphracta, vel aliis, Quadriga. Faſcia in duo capita glomerata media injicitur ſub ala. Capita faſciæ caput humeri illius lateris comprehendunt & per pectus atque ſcapulas ad alteram alam tendunt, ſuper hanc quoque feruntur, quam comprehendunt & per pectus atque ſcapulas revertunt. Si id neceſſarium videtur, adhuc aliquoties ad eamdem rationem faſcia per aſciam ſurſum ſerpendo circumagi poteſt. Ubi vero tandem iterum capita ſub alam, cui prius injecta fuerat, venerunt, ea circa totum corpus deorſum verſus, quaſi in cochleam, ſerpendo feruntur, ita, ut pectus atque abdomen involvant, in quo ultimo tandem capita finiuntur & acu ſiſtuntur. Huic faſciæ etiam ſubjici oſſibuſque prominentibus ſuperdari debent panni, vel analectides, quibus oſſa pedetentim retro coguntur.

§. 1149.

Parum tamen hæc omnia proficere ſolent, niſi etiam harum valetudinum cauſa finiatur. Morbis, qui in toto corpore conſiſtunt, veluti rhachitidi, & aliis, ex quibus illa membrorum ligamentorumque imbecillitas enata fuit, idoneis medicamentis, ſalubri victu, & moderata ac ipſi morbo accommodata exercitatione, medendum eſt. Præcipue vero opus eſt diligenti atque aſſidua obſervatione, ut, vel ab adoleſcentulis, quibus hoc imperari poteſt, vel etiam vi adhibita, corpus membraque in contrariam partem, & contra malam conſuetudinem inclinentur. Quia etiam præ omnibus ſcapulæ conſiderandæ ſunt (1142.) pueri,

inter ambulandum illa manu, qua humerus depreſſior eſt, inniti debent altiori baculo, altera vero, qua humerus elatior extat, ferre pondera. Si ſcapulæ nimis a coſtis receſſerunt, illæ injecta faſcia, qua utrimque humeri capita comprehenduntur, commode retro aguntur. Scapula quoque cum humero deprimitur, ſi pondera ex eo ſuſpenſa geſtantur. Quæ medicamenta muſculis ac ligamentis, tum rigidis, tum reſolutis & imbecillis, admoveri debeant, alibi expoſui. (1072. 1115.)

§. 1150.

Coſtæ longe frequentius franguntur, quam e ſede ſua moventur. Non poſſunt in exteriorem partem excidere, cum oppoſiti proceſſus tranſverſi vertebrarum ſummam illarum partem contineant. Nec facile ſurſum, vel deorſum verſus, promoveri poſſunt. Igitur, ſi moventur, in interiorem partem propelluntur, quam rem, cum pleura prematur, gravis inflammatio & ſpirandi difficultas ſequitur.

§. 1151.

Si in ſuperiorem, vel inferiorem, partem coſtæ exciderunt, imperandum eſt homini, ut illud brachium, quod ſuper eas coſtas eſt, quantum poteſt, attollat, & interea coſtæ in ſedes ſuas chirurgi digitis compelluntur. Ubi autem coſtæ in interiorem partem elapſæ fuerunt, caſus aſperior eſt. Homo ea ratione, quam ſupra de emotis proceſſibus tranſverſis vertebrarum propoſui, ſuper rotundum dolium in latus contrarium collocatur inclinaturque, ut coſtæ revertant. Plurimum juvat, ſi manu aliquantum comprimitur ſternum. Quod ſi vero hac ratione coſtæ reduci non poſſunt, neceſſe eſt, ut ſuper ſummam coſtarum emotarum & hujus ſupremam oram plaga fiat, & ut demiſſo in hanc digito coſtæ in ſuam ſedem reſtituantur. Quæ vero ad ſanguinis miſſionem & abſtinentiam attinent, ſervanda ſunt eadem, quæ ſervari oportet, ſi magnæ inflammationis periculum eſt. Alii inciſa cute vertebram in elapſam coſtam agunt. Hoc vero genus curationis variis aſperioribus caſibus patere, facile intelligitur.

§. 1152.

Os coccygis cartilago, qua media id cum oſſe ſacro committitur, & valida ligamenta continent. Præter ea ligamenta, quibus id cum oſſe ſacro connectitur, id deligatur alio, quod ſa-

cro iſchiadicum minus appellant anatomici *a*. Etiam inteſtino recto ejuſque ſphincteri aliiſque muſculis inhæreſcit.

a Vid. WINSLOVV *des os frais* §. III.

§. 1153.

Id e ſede ſua promovetur, ſi valenter premitur & rupta media cartilagine a ſacro diducitur. In priorem partem illud propellitur, ſi homo, ſupino motu humi proſtratus, hanc partem rei alicui duræ atque extantiori impingit. In poſteriorem vero partem illud plerumque ab exeunte partu, vel manu obſtetricis, promovetur. Ejus rei notæ ſunt dolor, qui intenditur, ſi æger graditur, urinam alvumque reddit. Supervenire ſolet inflammatio, & pus etiam concitatur, quod quandoque inteſtinum rectum perrumpit. Ex his abſceſſibus mala ulcera fiſtulæque, quæ interdum hominem tollere poſſunt, naſcuntur.

b Vid. PETIT l. c. T. I. p. 132.

§. 1154.

Os, ſi in poſteriorem partem excidit, impoſita manu facile in ſedem ſuam compellitur, & reconditur. Quo vero in ea contineatur, contra illud imponendi ſunt plures ac denſiores gradatique panni, & hi illa faſcia adſtringendi, quæ in fiſtulæ curatione (696.) neceſſaria eſt. Si vero in anteriorem partem procidit, illud digito, qui oleo peruńctus ſit, (1006.) in anum demiſſo retro cogitur. Tum neceſſe eſt, ut homo ſuper ſellam ſedeat, in medio exciſam, & quieſcat. Metus enim eſt, ne id quod per quietem cum ſacro coire debet, motu iterum in anteriora promoveatur.

§. 1155.

Juguli ſuperior pars committitur cum majori ſcapulæ proceſſu, qui acromium vocatur, & qui ea parte parum deſidentem ſinum habet. Inter cartilagines, quibus utrumque os mollitum eſt, reperiri interdum ſolet alia minima media. Inferius caput juguli plenius eſt, & fere triangulum, quo id in exiguo ſinu oſſis pectoralis inſidet. Semper in hoc articulo cartilago eſt, ab aliis, quibus oſſa finiuntur, diſtincta, notabilis & conſpicua. Uterque articulus arthrodiæ genus eſt. Jugulum, & cum acromio, & cum ſterno, connectitur validioribus ligamentis. A parte poſteriori ſterni, inter utriuſque juguli extremum, medium eſt ligamentum. Etiam jugulum proceſſui coracoidi omoplatæ in-

ſidet, & valido ligamento deligatur. Nec his oſſibus ea parte, qua ſuper ſe moventur, cartilagines deſunt. Super conſiſtens jugulum latum ſcapularum os & ipſe humerus moventur. Id enim prohibet, quo minus hæc oſſa anteriora & pectus verſum promoveantur.

§. 1156.

Crebrius jugulum frangitur, raro ex ſede ſua movetur. Hoc ſi quandoque incidit, id multo frequentius a ſterno recedit, rariſſime ab acromio. Id vero duobus modis fieri poteſt. Nam frequentiſſimum eſt, jugulum in priorem partem promoveri & ſuper ſternum efferri, ſi ſcapula vehementiori ictu, vel caſu, anteriora verſum propellitur. Interdum tamen juguli inferius caput in poſteriorem partem inclinatum eſt, & ſub pectoris oſse conditum. Hoc evenire ſolet, ſi, dum omoplata jam in priorem partem promota eſt, jugulum valentius feritur & deprimitur. A jugulo vero, ſi id in poſteriorem partem converſum & ſub ſterno conditum eſt, premitur, & ſtomachus, & aſpera arteria.

§. 1157.

Poteſt tamen etiam alter juguli articulus excidere. Si enim os ictum excipit, ejus vero infimum caput propterea, quia ſcapula demiſſa eſt, non poteſt e loco ſuo propelli, jugulum nonnumquam ſuper acromium fertur. Sub acromio vero conditur, ſi id ea parte, qua cum hoc committitur, valentius ictu aliquo deprimitur.

§. 1158.

Sine negotio reponi ſolet, difficilius vero repoſitum in ſede ſua contineri. Collocatur homo in ſedecula, miniſter contra ejus tergum collocat genu, & apprehenſum utrimque ſupremum humerum manibus retro dat. Hac enim ratione articuli inter ſe diducuntur. Interea chirurgus, qui homini adverſus ſtat, os in ſedem ſuam reſtituit, & illud, vel deprimit, vel adducit.

§. 1159.

In jugulo vero ad rem potiſſimum pertinet, illud rite deligari atque contineri. Diſſimilis enim caſus etiam diſſimilia quædam requirit. Ubi jugulum a pectoris oſſe diductum ſuper hoc effertur, poſtquam repoſitum eſt, illi ejus inferiori capiti multi denſique panni, & quidem duo, ſe ad ſimilitudinem literæ X decuſſantes, & alius latus, opponi debent. Humerus vero non

nimis valenter in priorem partem attrahendus eſt. Hoc vel alia habena fit, qua humeri capita anteriora verſus aguntur, vel illa faſcia, qua etiam os emotum deligatur. Hæc, ſi dextrum jugulum luxatum fuit, recte collocato prius humero & brachio, ſub ala ſiniſtra obvolvi, per ſcapulas ad humeri caput aſcendere, hoc comprehendere, & ſuper emoti juguli caput per pectus iterum ſub alam ſiniſtram revertere, & ter ad eamdem rationem per orbem, aliquoties cochleæ vel aſciæ in modum aſcendendo, circumire debet, ita, ut ſpicam deſcribat. Finitur vero faſcia per orbes acta in pectore. Nec minus etiam idoneum eſt aliud faſciæ genus, quod capitalem reflexam vocant, *la Capeline*. Hæc faſcia in duo capita voluta, quorum, id quod chirurgi dextra apprehenditur, altero minus eſt, ſi dextrum jugulum emotum fuit, ſub ala ſiniſtra incipit, fertur per pectus atque ſcapulas ſuper humerum dextrum, quem amplectitur. Ubi ſic iterum ad ſummum humerum venit, majus faſciæ caput iterum ſub alam ſiniſtram fertur, interea vero minus caput ſuper emotum claviculæ caput conſiſtit & a priori, quod per pectus agitur, ſiſtitur. Hoc ſi factum eſt, minus caput retro datur & per ſummum humerum ad ejuſdem lateris ſcapulam fertur, atque iterum ab hac per ſummum humerum ad juguli caput. Interea vero, dum ſic hæc faſcia reflectitur, ab alio miniſtro longius caput ſuper ſcapulas pectuſque ad ſummum humerum agitur, quod, dum ſic circumit, minoris capitis plicas comprehendit atque contegit. Longius caput prius ter per orbes fertur, & toties etiam alterum minus caput ita retro datur, ut ſemper a priori penitus contegatur. Poſt vero utrumque caput, quaſi per cochleam, deſcendit. Faſciæ longius caput tandem utrumque humerum comprehendit, anteriora verſus agit, ac in pectore finitur. Si hæc faſcia injicienda eſt, ea duos requirit, quorum alter majus, alter minus, caput movet ac dirigit. Quæcumque faſcia adhibita fuerit, ea maxime cura adhibenda eſt, ut totum brachium, antequam deligatur, ſic inclinatum ſit atque figuratum, ne poſtea illud vinctum aut ſuſpenſum aliter, atque cum deligabatur, inclinari oporteat.

§. 1160.

Quod ſi autem jugulum a ſterno ita receſſit, ut illud ſub hoc conditum ſit, prior faſcia (1158.) ſub ala ſiniſtra orſa, non

per ſcapulas, ſed per pectus, ad humeri caput ferri, & ita circumagi debet, ut utriuſque humeri capita, quæ comprehendit, retro dentur, & ut illa, deſcendendo, quaſi in cochleam, ſerpat. Prius etiam ſummo juguli capiti, quo id cum acromio committitur, denſiores panni objiciendi ſunt.

§. 1161.

Si quando vero juguli ſupremum caput ſuper acromium prorupit, impoſitis illi loco denſioribus pannis, humeros in priorem partem dari, & ſic contineri, faſciam autem deorſum ferri oportet. Si vero jugulum ita ſua ſede motum eſt, ut id in ſinum, qui ſub acromio eſt, delapſum ſit, ejus capiti inferiori, quod a pectoris oſſe eſt, objiciendi ſunt illi denſiores panni. Utriuſque autem humeri caput retro agi oportet, ita, ut faſcia ſurſum feratur.

§. 1162.

Etiam humeri utriuſque caput retro dandum & faſcia continendum eſt in omnibus caſibus, in quibus jugulum, vel a ſterno, vel ab acromio, diductum ſuper hæc oſſa effertur, illudque, quamvis denſioribus pannis objectis, ſatis contineri nequit. Adduci poſſunt humeri, tum in priorem, tum poſteriorem, partem, vel ea faſcia, qua & jugulum continetur, vel alia, cui a ſtella nomen eſt, quæ ſub ala obvoluta, vel per pectus, vel per ſcapulas, ad dextri lateris ſummum humerum adſcendit, hunc complectitur, & ad eamdem rationem iterum ad ſiniſtri lateris humerum tendit & hunc etiam comprehendit. Hæc faſcia plerumque bis, vel ter, ita circumagitur, donec bene teneat. Illud vero ante omnia obſervari oportet, recte collocandum eſſe humerum, ita, ut is ſatis attollatur, & ut, pro diſſimili caſu, diſſimili ratione ejus caput, vel in priorem, vel poſteriorem, partem adducatur, id quod fit, ſi inferius ejus caput, quod ſedem brachio præſtat, in contrariam partem inclinatur. Etiam neceſſe eſt, humerum immobilem præſtari, quare is ſic, ut decet, inclinatus faſciaque circumdatus ad latus deligari, & canaliculo, qui ex cervice ſuſpenditur, vel habena, ex ipſius faſciæ retro datæ capite facta, vel etiam mitella, excipi debet. Deligari in omnibus caſibus brachium debet, ut pollex ad pectus inclinatus ſit, ſiquidem is brachii naturalis habitus eſt. Ne æger membrum, dum aliquid prehendere vult, nocenter

moveat, is rotundum aliquid manu continere poteſt. Ob id quietem valde neceſſariam eſſe, intelligitur. Si homo gracilis eſt, antequam panni faſciaque injiciuntur, ſinus profundiores, qui ſupra infraque jugulum ſunt, commode linamentis, albo ovi madidis, implentur.

§. 1163.

Humeri ſummo capiti rotundiori & tumido ſedem præſtat parum deſidens ſinus, vel γλήνη, quæ in ſcapularum oſſe eſt. Continetur non alio ligamento, quam, quod articulum, manticulæ in modum comprehendit, quod vero validioris generis eſt. Per illud ligamentum, & per oblongum in oſſe ſinum ac nervoſam vaginam, fertur alter tendo muſculi bicipitis, vel coracoradiæi, qui in ſuprema ora illius γλήνης finitur, qua humeri rotundum caput excipitur. Articulum tuentur, tum ille ſuperior, tum alter, omoplatæ proceſſus, quorum prior acromium, poſterior coracoides vocatur, & validum ligamentum, quod inter hos duos proceſſus medium eſt. Haud ignorari oportet, ſub ala, præter majores arterias venas nervoſque, qui ad brachium feruntur, eſſe etiam glandulas; quæ partes omnes variis offenſis obnoxiæ ſunt *a*. Arthrodia eſt lubrica & in omnem partem mobiliſſima.

a Igitur, ne ſæpius dicendum ſit, ubi faſcia quædam ſub ala fertur, oportet ſemper prius molliores pannos imponere, ne hæ partes offendantur.

§. 1164.

Humerum in ſuperiorem partem emoveri, prohibent illi duo proceſſus, &, quod inter eos medium eſt, ligamentum. (1162.) Nec, ſi is deorſum verſum emotus eſt, rotundum caput diu ſuper anguſtam ſcapulæ oram conſiſtere poteſt. Si excidit in partem poſteriorem, ejus caput ſub ſpinam omoplatæ venit. Frequentiſſimum vero eſt, humerum in alam & in partem priorem promoveri. Raro incidit, ut is ſuper coracoidem proceſſum feratur, & inter hunc atque jugulum ſub pectorali muſculo conſiſtat.

§. 1165.

Non aliæ, quam communes, cauſæ ſunt, quæ efficiunt, ut humerus excidat, id vero, quia articulus ceteris omnibus mobilior eſt, frequentius evenire ſolet. In variam autem partem os expellitur, pro varia & contraria vi, quæ adhibita fuit.

Quædam tamen propria ſigna ſunt . Si humerus delapſus eſt , & ejus caput ſuper oram ſcapulæ conſiſtit , brachium longius videtur , & porrigitur . Magni dolores ſunt , qui intenduntur , ſi brachium deprimitur , parum levantur , ſi id attollitur . Humerum diu hoc loco conſiſtere poſſe , ſupra (1163.) negavi . Si humeri caput in poſteriorem partem motum fuit , cubitus in pectus inclinatus eſt , & dolor increbreſcit , ſi is a pectore abducitur . Si vero caput in alam delapſum eſt , prominet acromium , ſub quo etiam ſinus eſt . Si caput ſub muſculo pectorali eſt , in poſteriorem partem inclinatur cubitus , qui , ſi extenditur , magnos dolores movet , & membrum altero brevius eſt . Si vero caput humeri in partem priorem propulſum inter jugulum ac proceſſum coracoidem hæret , cubitus poſteriora verſus ſpectat , & membrum altero brevius eſt , & quoniam tumor eſſe ſolet ea parte , in quam os prorupit , (1105.) coracoides proceſſus ab humero haud facile diſcerni poteſt .

§. 1066.

Plerumque non difficillimum eſt , humerum , ſi is excidit , iterum in ſedem ſuam compelli , id tamen expeditius fieri ſolet , ſi humerus in alam delapſus eſt , nec non , ſi is ſuper ſcapulæ oram conſiſtit , difficilius , ſi is in partem priorem incidit & ſub muſculo pectorali hæret .

§. 1167.

Igitur , ſi corpus puerile eſt ac molle , ligamentiſque imbecillibus intentum , ſatis eſt , humerum manibus adduci . Homo in ſedili collocatur , & chirurgus ex duobus miniſtris alteri imperat , ut ſuis lacertis , & pectus , & collum hominis , comprehendat , & caput lati ſcapularum oſſis leniter reducat , alteri vero , ut imum humerum apprehendat & extendat . Ipſe autem chirurgus ad latus eſt , & , ubi deprehendit , ſatis intentum eſſe humerum , ita , ut ſpatium inter oſſa liberum ſit , is humerum manu allevat , dirigit , & in ſedem ſuam compellit . Fere melius res ſuccedit , ſi chirurgus ipſe humerum extendit , & eum habena , quæ , & ſuam cervicem & emotum humerum , comprehendit , attollit , manibus vero dirigit .

§. 1168.

At , ſi vaſtius corpus & ligamenta robuſtiora ſunt , neceſſariæ ſunt habenæ , aut faſciæ , valentiores . Duabus faſciis , quæ dua-

bus tranſverſis lineis ſuper pectus & ſcapulas ad ſimilitudinem litteræ X. feruntur, circumdatur & hominis cervix & ejus ſub ala pectus, atque ea ratione ſcapulæ caput comprehenditur. Illarum faſciarum capita miniſtro poſt caput hominis traduntur, vel etiam ad uncum parieti exadverſum infixum deligantur. Alia habena ab alio miniſtro injicitur imo humero. Omnibus ſic diſpoſitis, chirurgus, qui ad latus eſt, præcipit, ut duo miniſtri in diverſa contendant, vel, ſi illæ habenæ, quæ cervicem & pectus comprehendunt, ad uncum deligatæ ſunt, ut habena, qua imus humerus circumdatus eſt, adducatur & membrum extendatur. Chirurgus, qui ad latus eſt, ea ratione, quam propoſui, (1166.) humerum attollit, & in ſedem ſuam compellit.

§. 1169.

Hæc humerum reponendi ratio uſu maxime comprobata eſt. Sed ſunt multæ aliæ ab auctoribus propoſitæ. Sunt, qui hominem ſupinum collocant ſuper pavimentum, & alæ, qua humerus emotus eſt, ſubjiciunt lanam, pannos denſiores, vel aliud quid mollius. Is, qui curaturus eſt, homini obverſus ad latus, in quo membrum excidit, humi affidet, & manu ſua hominis brachium apprehendit, atque hoc, dum calce pedis ſub ala humerum elapſum cogit, intendit. Sed hac ratione membrum non ſatis & ita extendi poteſt, ut ſpatium inter oſſa liberum ſit, nec humeri & ſcapulæ articulus diducitur, ſed cubiti. Magis etiam adducuntur muſculi extenſores, quam flexores.

§. 1170.

Alii homini præcipiunt, ut in ſedeculam conſcendat, alæ etiam lanam, vel pannos plures denſos molleſque ſubjiciunt, brachium vero ſuper oſtium, vel ſuper ſcalæ gradum, trajiciunt, quod miniſter apprehendit &, quantum poteſt, adducit. Interea alius ſedeculam hominis pedibus ſubducit, ita, ut is conſiſtere non poſſit. Dum vero intento brachio corpus in alteram partem demittitur, caput humeri ab oſtio, lignove, in ſuam ſedem compellitur. Chirurgus elatiori loco ad latus ſtat & os manibus ſuis, ſi neceſſe eſt, dirigit. Non multum ab hac ratione differt alia, qua emotum humerum ſuper longurium, ſeu perticam, trajiciunt, quem miniſter, dum duo viri longurium attollunt, adducit. Etiam nonnulli humerum ſuper alam hominis robuſti ac proceri in genua procumbentis trajiciunt, qui hunc manu

prehendit, & dum ſe erigit, ea ratione membrum intendit, & humerum cogit. Magnum vero periculum eſt, ne oſtio, vel ſcalæ, aut longurii, ligno, ſub ala glandulæ, arteriæ, venæ atque nervi lædantur, & inflammatio moveatur. Nec his rationibus membrum, ut decet, ſed, vel nimium, vel nimis parum, intenditur, nec humerus recte dirigitur, præcipue, ſi is in poſteriorem, vel priorem, partem, & non deorſum in alam, excidit.

§. 1171.

Alii hominem in ſedecula demiſſiori collocant, hujus brachium inter ſua femina trajiciunt, & ut miniſter hoc intendat, & alius ſcapulam reducat, præcipiunt, interea vero brachium manibus ſuis, ſibi etiam ſuper cervicem injecta habena, (1166.) dirigunt ac compellunt. Sed non, niſi in valde infirmis corporibus, ita reponi poterit humerus, cum articulus non ſatis poſſit diduci.

§. 1172.

Nec deſunt, qui hanc curandi viam ingreſſi ſunt. Homo in ſedecula demiſſiori collocatur, &, qui curaturus eſt, ei adverſus ad latus in alia ſedecula aſſidet, atque ſuper ſuum genu poſito ſuo brachio nixus, manu, quæ hominis alæ ſubjicitur, humeri luxati caput attollit, ſiniſtra vero imum humerum deprimit. Raro tamen ſic rem bene cedere, ex prioribus intelligitur.

§. 1173.

HIPPOCRATES ad reponendum humerum machinamentum reperit, quod ἄμβην *a*, CELSUS vero *b* ſpatham ligneam, vocat. Hoc machinamentum quandoque idoneum eſſe poteſt, quo tamen etiam humerus non ſatis extendi & abduci videtur *c*.

a De Articulis Sect. IV. T. II. Edit. Lind. p. 760. conf. GALENI Comment. in Edit. Chart. T. XII. Text. XIX. p. 300.

b L. VIII. C. XV.

c PETITUS hoc machinamentum propter hanc rationem rejicit l. c. T. I. p. 186. ſed illud defendit NICOLAUS ANDRY in Quæſt. med. chir. *An in humeri luxatione Ambe potius, quam ſcala, janua, polyſpaſtuſque iterato renovata?* Pariſiis, Anno MDCCXXXII. propoſita. Conf. Scriptum HUNAULTI contra PETITUM p. 290.

§. 1174.

Etiam polyſpaſto utuntur, quo articulus ſatis diduci poteſt. Ubi vero humerus ſatis receſſit, is manu chirurgi, adhibita etiam, ſi is deorſum verſus in alam delapſus eſt, habena, (1166.) dirigitur, attollitur, & in ſedem ſuam compellitur.

Ex ambe vero, ſive ſpatha, & ex polyſpaſto, compoſita a variis varia machinamenta fuere, his longe aptiora. Illud, quod PETITUS *a* invenit, & operoſe factum, & mole ac pondere moleſtum eſt. Etiam ejus retinaculum, vel habena, quæ ex molli aluta conſuitur, ac ſuper humerum inducitur, retro cogere videtur tendines muſculorum, pectoralis, & latiſſimi dorſi *b*.

a Vid. fig. in C. A. R. Sc. MDCCXVI. p. 334. & *des Maladies des Os* T. I. p. 198.

b Hoc mox (1172.) citati Auctores, qui contra PETITUM ſcripſerunt, potiſſimum urgent.

§. 1176.

Fere fruſtra eſſe opinor, tot generibus machinamentorum ad extendendum humerum uti, qui laqueis ac habenis in diverſas partes adductis ſatis intendi, atque etiam, modo omnia obſerventur, reponi poteſt. Ubi autem machinamenta neceſſaria videntur, fere reliquis præferri debet illud, quod noſtratibus in uſu eſt. Ferreus, vel ex alio metallo factus, bacillus habet in parte ſuprema ſcutulum, quod alæ ſubjectum contra hominis latus nititur. Cavendum eſt, ne hoc carnes, præcipue in feminis mammas, nocenter comprimat. Membrum bacillo imponitur eique alligatur, habena autem, quæ imo humero injicitur, ad axin torculari motam, vel ad trochleam, orbiculumve, deligatur, quibus circumactis, membrum ſine negotio intenditur. Neceſſe vero eſt, ut inter illud ſcutulum ac inter bacillum articulus ſit in omnem partem mobilis. Nam membrum, bacillo ferreo impoſitum, ſi illud ſatis diductum fuit, hoc articulo, dum extremum machinamenti ſemper in contrariam partem inclinatur, in ſedem ſuam reſtituitur.

c Noſtri chirurgi hoc Gloſſocomium vocant. Veteribus γλωσσόκομον fuit organum tractorium. Vide ORIBASIUM de Machinamentis Cap. XXIV. Aliis vero fuit capſula, in quam tibia fracta, fuit, ut videtur, ita repoſita, ut oblique fractum os habenis in diverſa diductum fuerit. Vide GALENUM in HIPPOCRATEM de Fracturis Comment. II. in Textu LXV. T. XII. p. 218. Hoc, quod ego deſcripſi, machinamentum jam olim adhibuerat PURMANNUS in Chirurgia curioſa p. 692. Id vero magis perfectum vide in fig. XVIII. Si de machinamento judicium ferendum eſt, obſervari debent, quæ ſupra generatim de reponendis oſſibus præcepi. (1110. ad 1113.)

§. 1177.

Repoſito humero, panni molles alæ ſubjiciendi ſunt. (1162.) Dum alius longiorque pannus ſub ala ita injicitur, ut ſummum humerum amplectatur, & unum ejus caput ſuper alterum effe-

ratur. Injicitur faſcia, quæ ſub altera ala incipit, per pectus ad humeri caput tendit, illudque amplectitur, per ſcapulas ad priorem alam fertur, revertit, & ſic ter, vel quater, per orbes circumagitur. Tum ſurſum tendere debet cochleæ vel aſciæ in modum, ita, ut ſpicam in ſummo humero deſcribat. Antequam vero faſcia caput humeri ultima vice comprehendit, ea prius bis ipſum humerum ſub illa ſpica circuire debet, quæ tandem ad alam, a qua orſa fuerat, revertit, & in pectore finitur. Humerus etiam recte collocari, mitella excipi, atque ſic ex cervice ſuſpendi debet.

§. 1178.

In cubito tria oſſa coëunt, humeri, radii & ipſius cubiti. Humerus inferior duos habet proceſſus, vel orbiculatos & cartilagine mollitos condylos, inter hos vero parte poſteriori profundiorem ſinum. Inter duo brachii oſſa radius ſuperior eſt, cubito brevior; is capite rotundo & leviter cavo recipit orbiculatum humeri condylum externum. Cubitus inferior longiorque in ſummo capite habet duos proceſſus, ſeu extantiores vertices, inter quos quaſi lunatus atque exciſus eſt. Alter vertex ex ſummo cubito, vel olecrano, conſurgit, atque, ubi brachium exſtenditur, illo humeri poſteriori ſinu recipitur. Alter atque anterior proceſſus, ſive vertex, qui coronoides dicitur, contra interiorem humeri condylum ſitus ſuper hunc, cardinis modo, movetur. Olecrani vertice prohibetur, ne brachium, ſi id extenditur, retro dari poſſit; altero vero, coronoide, ne illud nimium poſſit adduci & inflecti.

§. 1179.

Cubitus etiam annexus radio eſt. Radii rotundum caput excipitur parum deſidente ſinu, quem cubitus habet in parte ſua extrema radio obverſa. Hæc oſſa etiam ſuper ſe moventur, ſi manus convertitur, ut illa, vel prona, vel ſupina ſit. Tria oſſa validis ligamentis continentur. Totum articulum cum utroque proceſſu cubiti & capite radii (1177.) comprehendit manticula. (1096.) Super hanc feruntur alia ligamenta, quorum alterum ex condylo humeri externo educitur & ſuper radium finitur, alterum, a condylo humeri interno orſum, ad cubitum procedit, & in hoc deſinit. Præterea caput radii conſtrictum eſt validiſſimo & cartilaginoſo ligamento, quo illud totum fere com-

prehenditur & cum ulna ejuſque parvulo ſinu conjunctum eſt. Inter hæc duo oſſa, quæ juxta humerum juncta in medio paulatim dirimuntur, rurſuſque ad manum coëunt, etiam medium ligamentum validum eſt, quo illa, ne diduci poſſint, continentur. Eſt in hoc articulo ginglymi genus, quod angulare vocant. Articulum tuetur, &, ut membro majora pondera levari poſſint, efficit ſupremus cubiti proceſſus, ſeu olecranum.

§. 1180.

Cubitus in tres partes excidere poteſt, in partem interiorem, exteriorem, ac poſteriorem. Nam, quo minus in partem priorem propellatur, prohibet olecranum. Hoc tamen frangi poſſet, & humerus etiam, eo fracto, in priorem partem emoveri. Si cubitus in partem poſteriorem excidit, cubiti proceſſus coronoides hæret in poſteriori humeri ſinu, in quem naturaliter olecrani vertex inſinuatur. Brachium curvum eſt & porrigi nequit. Si vero in interiorem partem brachium excidit, radius contra internum humeri condylum ſitus eſt, brachium paululum in eam partem, a qua os receſſit, recurvatum & pollicem verſus inclinatum eſt. Si vero brachium in exteriorem partem prolapſum eſt, cubiti lunatus profundiorque ſinus excipit humeri condylum externum, brachium etiam in contrariam partem paululum recurvatur, multumque flectitur. Frequentius evenire ſolet, ut brachium in poſteriorem partem moveatur, id quod fieri non poteſt, ſi brachium porrectum, ſed ubi id flexum eſt. Crebrius illud incidit, ſi homo, qui pronus humi proſternitur, brachium incurvatum, ut ſe eo ſuſtineat, aliquantum porrigit & in illud procidit.

§. 1181.

Quoniam hic articulus valentioribus ligamentis intentus eſt, is non ſine periculo, dolore atque inflammatione excidere poteſt. Etiam aliud periculum eſt, ne, quæ per cubitum feruntur, arteriæ, venæ nervique offendantur, & ne articulus, etiam recte repoſitus, ex coacta axungia rigidus maneat. In quamcumque partem prolapſum ſit brachium, reponendi ratio una eſt. Utrumque membrum a duobus robuſtis hominibus per manus, interdum etiam adjectis habenis, in diverſas partes ita extenditur, ut brachium, quod juxta manum, apprehenditur, antequam adducitur, prius modice flectatur. Ubi membrum ſatis intentum

eſt, quæ exciderunt, ab ea parte, in quam prolapſa ſunt, in contrariam impelluntur.

§. 1183.

Extendendi alia ratio eſt. Brachium ſuper aliquid rotundum, columnellam, vel lecti fulcrum, ponunt, illud ſuper hoc manu, vel injectis etiam habenis, adducunt, & a poſteriori parte in ſedem ſuam impellunt. Sed hac ratione membrum non ſatis extenditur.

§. 1184.

Repoſito articulo, medicamenta valde neceſſaria ſunt, non ſolum, quibus inflammatio levatur, ſed etiam, quæ infirmatis ligamentis mederi poſſunt. (1114. 1115. 1116.) Et, cum in hoc articulo axungia celerius coire, ac per quietem coacta brachii flexum prohibere ſoleat, quam primum id per dolorem licet, membrum exerceri, & ad uſus ſuos promoveri, etiam articulus idoneis medicamentis & aſperioribus pannis frequentius perfricari oportet. Si is deligandus eſt, injicitur pannus utrimque in longitudinem inciſus, cujus media pars olecranum complectitur, quatuor vero capita ſuper cubiti interiorem partem adducuntur. Faſcia ab humero incipit, ſuper interiorem cubiti partem ad brachium oblique tendit & hoc comprehendit. Sic vero a brachio ad humerum, ab humero ad brachium, ſuper articulum ita volvitur, ut hæc membra circumeundo amplectatur, & ut tandem, dum deorſum ſurſumque verſum, quaſi in cochleam, ſerpit, totum articulum comprehendat, contegat & adſtringat.

§. 1185.

Radius & cubitus ea ratione, qua ſupra ſcripſi, in parte ſuprema inter ſe committuntur, & medio ligamento, quod inter utrumque eſt, continentur, quod ligamentum etiam variis muſculis ſedem præſtat. (1178.) Hæc oſſa, quæ in medio brachio paulatim dirimuntur, rurſus ad manum coëunt, modo craſſitudinis mutato. Siquidem hic radius plenior eſt, & e latere cubito obverſus ſinum habet parum deſidentem, qui cubitum in extremo tenuem & rotundum excipit. Inter hæc oſſa cartilago ſingularis eſt. In utraque igitur parte, ad humerum, & ad palmam, hæc oſſa ſuper ſe moventur, quando manus convertitur, ut, vel prona, vel ſupina ſit. Sunt, qui putant, etiam hæc oſſa vi inter ſe diſtrahi poſſe, id quod vero non patitur illud,

quod inter ea medium eſt, validum ligamentum. Forte tamen paulatim hoc fieri poteſt, ſi in articulo humor confluxit, & axungia coacta fuit.

* Vid. WINSLOVV *des os frais* §. 271.

§. 1186.

Radius in caput plenius conſurgit, quod extrema ſua parte ſinuatum eſt. Ille vero ſinus cartilaginoſus media linea diviſus excipit gibboſiora palmæ oſſicula, præcipue naviculare & lunatum. Hic articulus etiam manticula & aliis validis ligamentis conſtringitur, quorum unum ex proceſſu acuto ſtiloide cubiti educitur & carpo atque hujus oſſiculi cuneiformi ac uncinato innectitur. Cubitus enim cum carpo non committitur, ſed ſolis ligamentis deligatur. Aliud ligamentum a proceſſu acuto atque extantiori extremi radii incipit & oſſi naviculari hujuſque tuberculo adnectitur.

§. 1187.

Frequentius manus in priorem ac poſteriorem partem excidit. Raro illa ad minimum digitum, multo rarius, ut videtur, ad pollicem, convertitur, quia hoc ille extantior radii proceſſus prohibere videtur. Evenire id ſolet hominibus, qui ſubito caſu ſuper porrectam manum corruunt.

§. 1188.

Scire licet, in quam partem manus promota ſit, ſi ejus habitus conſideratur. Digiti enim ſemper in contrariam partem convertuntur. Si illa in poſteriorem partem excidit, digiti porrigi non poſſunt, ſi vero illa in priorem incidit, ii haud flectuntur. Accedit gravis dolor, & homo quoque manum, nec in volam vertere, nec reſupinare poteſt. Etiam hic articulus per quietem rigidus fieri poteſt.

§. 1189.

Intendi ex altera parte manus, ex altera brachium, debet. Id etiam fieri poteſt ſuper menſam, vel alium locum durum ac renitentem, ita, ut manus prona ſit, ſi in poſteriorem partem excidit, ſupina, ſi in priorem. Ubi ſatis oſſa inter ſe diducta ſunt, illa manibus in contrariam partem repelluntur. Ubi articulus deligatur, ei, ſi manus in priorem poſterioremque partem prolapſa fuit, opponitur ferula ex charta denſiori coacta atque conglutinata.

§. 1190.

In palma, vel carpo ac metacarpo, ſi officula ſedibus ſuis, moventur, id quod modo in priorem, modo in poſteriorem, partem fit, ab ea parte, in quam venerunt, tumor eſt. Hæc officula, ſine intentione, digitis tantum bene preſſa, in ſuam ſedem retro dantur.

§. 1191.

At, inter officulum carpi, quod trapezium majus vocatur, & pollicis primum os, ſingularis commiſſura eſt. Nam in trapezio oſſe, ſuper quod pollex movetur, in parte anteriori atque poſteriori duo obliqui, & quaſi lunati, ſinus ſunt, in media autem parte illud officulum gibbum eſt, in parte vero externa & interna habet tubercula. Contra hoc vero primum os pollicis ſitum eſt, quod per totidem ſimileſque ſinus prioris proceſſus accipit, & cujus tubercula ejuſdem ſinubus excipiuntur. Quoniam hic articulus, quamvis & ligamentis & pluribus muſculis contineatur, valde in omnem partem mobilis eſt, os facile elabitur. Non alia eum reponendi ratio eſt, quam, qualem in aliis propoſui. Si vero officulum iterum in ſuam ſedem promotum fuit, circa articulum duo minores panni oblongi, ſeu ſplenia, ita circumdantur, ut articulum comprehendant. Faſcia, quæ ab extremo brachio incipit, ſuper articulum, quem ter comprehendit, datur, qua emotum os adducitur. In digitis nihil ultra fieri debet, quam, quod in aliis faciendum eſſe poſui.

§. 1192.

Femur parte ſua ſuprema habet magnum teretemque proceſſum, qui oblique ad os coxæ procedit, quem cervicem appellant. Hæc cervix, intus rara & cavernoſa, deſinit in magnum & rotundiſſimum caput, cartilagine etiam mollitum, quod in ſinum rotundum coxæ conjicitur. Sinus Anatomicis κοτύλη, vel acetabulum, vocatur, qui in junioribus ex tribus oſſibus, quæ media cartilagine inter ſe committuntur, conſtat, ex ilio, iſchio, & oſſe pectinis. Etiam is cartilaginoſus eſt. Cartilago tamen in parte ejus infima & externa deficit, quo loco ſita eſt major glandula, ex qua axungia in articulum fertur, & ubi etiam huic ſinui inſeritur illud validum ligamentum, quod ex medio femoris capite educitur *a*. Sinus ille, in ſumma parte profundior, in inferiori minus deſidens, habet oram ſuperius valde extan-

tem, e latere autem, & foramen ovale versum, excisam, qua re efficitur, ut femur melius interiora versum & ad coxam adduci possit. Super hanc oræ incisuram transversum ligamentum est, quod infra haud inhæresçit, sed lato cavo pervium est. Sub hoc arteria venaque ex cruralibus eductæ in acetabulum ad ligamentum illud internum eamque glandulam feruntur. Per illud etiam cavum effertur glandula illa maior, in propinquo sita, si hæc a capite femoris premitur, id quod incidit, si femur exteriora versum movetur, & ab altero abducitur *b*. Ora illius sinus, vel acetabuli, cartilaginosa est, cum qua committitur ligamentum in toto corpore validissimum, quod, manticulæ in modum, articulum comprehendit. Ubi vero in ora incisuram & ligamentum transversum esse dixi, ibi & manticula, & ora cartilaginosa, illi ligamento transverso inhæresçit, ita, ut hoc infra, prout dixi, pervium sit. Aliud ligamentum valens & durum, quod vulgo teres vocant, fere ex medio femoris capite eductum, sinui inseritur, quo etiam articulus multum adstringitur. Validissimis etiam musculis hunc articulum contineri, nemo ignorat.

a V. CHESELDENS Osteographia Tab. XVIII. Fig. I. D. & Tab. XXXIX. Fig. 2. 3.

b Est observatio Cl. PETITI in C. A. R. Sc. MDCCXXII. p. 164.

§. 1193.

Quoniam hic coxæ sinus adeo profundus, & articulus tam validis ligamentis, pleniſque etiam musculis, comprehenditur, difficile est, femur vi & aliquo casu in adulto robustoque corpore semel atque omnino expelli. Cum vero olim auctoribus visum fuerit, femur crebrius ex sinu suo excidere, post tamen deprehensum est, eos non satis os fractum a luxato distinxisse. Nam illa femoris cervix, quæ intus cavernosa ac rara, tenui admodum bracteola circumdata est *c*, longe frequentius frangitur, quod fracturæ genus pluribus opinionem fecit, caput ossis ex acetabulo suo excidisse. In junioribus illud etiam caput epiphysis est, quæ media cartilagine cum cervice committitur, atque ob id longe facilius diducitur *d*.

c Vid. RUYSCHII Thesaur. V. Tab. II. Fig. 1. & 2.

d Se in hunc errorem inductum fuisse, & fractam cervicem pro luxato femore habuisse, profitetur PARAEUS L. XIV. C. XXI. p. 416. quam historiam

repetitam a SCHENCKIO lege in hujus Obſerv. Med. L. V. p. 333. Illa vero res fere neglecta a RUYSCHIO iterum propoſita & figuris illuſtrata fuit in Theſ. VIII. Tab. III. Fig. I. p. 61. & in Theſ. IX. p. 29. & p. 57. Tab. I. Fig. 1. Etiam id repetiit RAVIUS in Orat. de vera methodo diſcendi & docendi anatomen. Confer. CHESELDENS *Anathomy of the human Body* Cap. V. p. 35. Tab. VI. Fig. G. & H. Obſervationem DOUGLASSII in Tranſact. Angl. No. 349. p. 501. *in the Abridgement* Vol. V. p. 388. Ephem. Nat. Cur. Cent. II. Obſ. 20. p. 218. RUD. PHIL. BEURLIN Diſſ. de luxatione & fractura femoris, Altd. MDCCVIII. & JOH. SALTZMANNI de Luxatione oſſis femoris rariore, frequentiore colli fractura, Arg. MDCCXXIII. Novas SALTZMANNI Obſervationes, præcipue unam, ubi, & caput femoris luxatum, & cervix quoque fracta, fuit, vide in Actis Petropolitanis Vol. III. p. 275. Poſſideo femur, cujus cervix, olim fracta, omnino deficit, caput femoris autem, quod adhuc in ſinu ſuo hæret, etiam multum detritum eſt.

§. 1194.

Quamvis vero hoc rarius evenire exiſtimem, obſervationibus tamen compertum eſt, nonnumquam femoris rotundum caput ex profundiori coxæ ſinu ſemel & omnino caſu quodam atque vi fuiſſe expulſum. A vero autem propius videtur, hoc fieri diſrupto illo interiori valido ligamento, quare ob id, & cum etiam illud, quod articulum comprehendit, ſeu manticula, multum infirmari ſub his caſibus ſoleat, os, quod ſic vi emotum fuit, quamvis reponatur, non continetur, ſed mox iterum crumpit.

a Vid. Acta Med. Berolinenſia Vol. X. p. 107. Ubi legitur, homini adulto femur vi diſtractum ac emotum, poſt feliciter repoſitum, fuiſſe, ita, ut homo perfecte, & ſine claudicatione, fuerit ſanatus. Hic Lipſiæ ante aliquot annos accidit, ut homo operarius ex contignatione rueret. Chirurgus vocatus femur emotum eſſe ex omnibus collatis indiciis deprehendit, quod is etiam reſtituit. Homo vero cum brevi poſt ex gravi capitis vulnere objiſſet, ejus corpus ab Illuſtri WALTHERO, Ordinis noſtri Decano, mihi ſumma ſemper obſervantia colendo, inciſum eſt, qui invenit, os ex ſinu ſuo in anteriorem inferioremque partem & os pubis verſum promotum, a Chirurgo vero iterum conditum. Vidit enim oſſis, quod exciderat, ſedem in vexatis inflammatiſque muſculis. Illud vero ſine negotio ex acetabulo expelli potuit, cum diſruptum eſſet, tum internum ligamentum, tum alterius, quod articulum comprehendit, ſive manticulæ, pars anterior, per cujus plagam caput femoris proruperat. Igitur fere crediderim, vix hunc articulum in adultis vi caſuve & omnino poſſe promoveri, niſi ligamento interno diſrupto. In vetulæ utroque femore defuiſſe hoc medium ligamentum, prodidit SALTZMANNUS in Decade Obſervationum illuſtrium anatomicarum, Arg. MDCCXXV. Obſ. VII. p. 10.

§. 1195.

At crebrius femur excidere ſolet, ſi id ab humore, qui in acetabulum confluxit, promovetur, quo illa ligamenta, vel laxantur, vel diſtenduntur, vel vorantur. Varia hujus rei occaſio cauſaque eſt. Nonnumquam febris, variolarum, morbillo-

rumque, nec non ſcabiei, aliarumque valetudinum, mala materia in articulum converſa & μετάστασις facta fuit. (1104.) Sæpius autem, ictu, caſuve, femoris coxæque oſſa colliduntur, & illa articuli ligamenta, atque etiam glandula, (1192.) vehementius comprimuntur lædunturque. Nam, hoc ſi incidit, multus humor in articulum confluit, (1105.) vel etiam in illis partibus inflammatio, & tandem ſuppuratio, concitatur. Hic autem humor, qui in articulum confluxit, diu paulatimque increſcit, & tandem os ſub vehementioribus & increſcentibus doloribus ex ſede ſua propellit. Etiam pueris hoc evenire ſolet, dum labant, atque ab alto ex gerularum brachiis cadunt. Dum enim hæ pedem manu invadunt, articulumque violenter adducunt, ligamenta etiam violant atque infirmant. Si internum ligamentum rumpitur, in ſinum coxæ effluit ſanguis, aliuſque humor. Si vero ligamenta valde adducta fuerunt & laxata, ſub ipſo motu & ingreſſu illa paulatim magis infirmantur, donec tandem os ex ſinu ſuo prorumpat.

a Hoc vitium jam cognovit HIPPOCRATES Sect. VI. Aphor. LIX. Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλεμένοισι χρονίης ἐξίσκται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τετέοισι μύξαι ἐπιγίνονται. Et Aphor. XL. Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλεμένοισι χρονίης τὸ ἰσχίον ἐξίσκται, τετέοισι πίκεται τὸ σκέλος, καὶ χωλεύνται, ἢν μὴ καυθῶσιν. Confer GALENUM in Comment. in hos Aphoriſmos T. IX. p. 289. Multa etiam habet FALLOPIUS de Luxationibus Cap. XIII. T. II. Operum p. 85. conf. del PAPA *Conſulti Medici* conſ. 50. p. 244. & PETIT in Comm. A. R. Sc. MDCCXXII. p. 159. &, quæ contra hunc ſcripſerunt ANDRY & HUNAULD, quibus is etiam reſpondit.

§. 1196.

Hæc vero vitia, quæ varii generis ſunt, certis quibuſdam indiciis diſtinguuntur. Ante reliqua conſideranda eſt cauſa, ex qua articulus, oſve, noxam acceperunt. Os ligamentorum & humoris in acetabulum confluentis vitio emotum iri, ſcire licet, ſi membrum juxta articulum, caſu, ictuve, percuſſum, dolet, dolor vero indies magis intenditur, atque etiam minor membri uſus relinquitur, donec tandem illud excidat, & claudicatio appareat. Os, ſi illud e loco ſuo motum eſt, membrum in contrariam partem converti, non patitur.

§. 1197.

Ubi autem cervix fracta eſt, hoc ictu, caſuve, ſemel fit, & ab initio homo, nec pedi inſiſtere, nec commode ingredi, poteſt. Quoniam muſculi os adducunt, crus altero brevius &

valgius eſt : extra enim pes ultimus ſpectat, & calx ingreſſu terram non contingit. Si membrum ſic fractum convertitur, aure ſummo femori admota audiri quandoque poteſt ſonitus, vel ſtrepitus, qui fit, ſi oſſa fracta ſuper ſe moventur. Inter certiora vero ſigna eſt, ſi, levato dolore ſolutaque inflammatione, pes ſine magno negotio & extra, & intus, converti atque inclinari poteſt. Nam hoc, oſſe fracto, fieri poteſt, non vero, ſi id integrum ex ſinu ſuo excidit. (1195.)

§. 1198.

Si vero femur, vel vi, vel etiam paulatim, ex ſinu ſuo expulſum fuit, illud in interiorem inferioremque partem promoveri, frequentiſſimum eſt. Nam ea parte, & acetabulum minus profundum, & ora ejus exciſa, & ligamentum illud internum prope eſt. (1191.) Quoniam etiam femur muſculis glutæis, qui magnum robur habent, adducitur, illud plerumque, ſi ligamenta ſe remittunt, in interiorem inferioremque partem excidit. In hoc caſu caput hæret in foramine ovali, cujus ligamentum etiam pedem paulum, non vero prorſus, in interiora converti ſinit. Crus valgius eſt, alteroque longius. Extra enim pes ultimus ſpectat. Quia crus longius eſt, genu plerumque, ſi homo incedit, flectitur. Ceteroquin etiam in inguine tumor, in nates ſinus eſſe ſolet. Quia acetabulum ſuprema parte profundius eſt, in ſuperiorem internamque partem os prolabi non facile poteſt. Illud tamen, poſtquam per inferiorem partem promotum fuit, nonnumquam, ſi illud foramini ovali non inſidet, muſculis ſurſum verſum adducitur. In hoc caſu pes brevior magis in exteriorem partem inclinatus eſt, qui nullo modo in interiora converti poteſt. Major etiam tumor in inguine eſſe ſolet, a quo quandoque majores arteriæ atque venæ comprimuntur, quæ per ligamentum POUPARTII (792.) deſcendunt.

§. 1199.

Femur interdum etiam in poſteriorem partem, &, ut videtur, ſemper in inferiorem, excidit, quo vero loco conſiſtere nequit, ſed muſculis ſurſum fertur. In hoc caſu crus brevius eſt, ita, ut pes ſummis digitis terram contingat, crus varum eſt & pes intus inclinatur. In nate tumor, in inguine ſinus eſſe ſolet.

§. 1200.

Femur, ex quacumque cauſa prolapſum fuerit, interdum reponi poteſt, illud tamen repoſitum ſemper iterum excidit. Rarius eveniſſe crediderim, ut illud, ſi vere luxatum fuit, fuerit ex toto, & ſine deformi claudicatione, reſtitutum. Etiam, ſi femur loco ſuo non eſt, in membro fit macies, & caro emacreſcit. Si pueris femur excidit, membrum minus, quam cetera, creſcit. Si in ſinu coxæ inflammatio fuit, & pus coiit, illud tandem ligamenta vorat, ſupernaſcuntur mala ulcera atque fiſtulæ, & homines tandem tabidi moriuntur.

§. 1201.

Si tamen vero femur aliquando vi expulſum eſſet, experiendum foret, num illud poſſit reponi. Æger collocandus eſt ſuper ſcamnum, ita, ut ea pars, in quam os prorupit, ſuperior ſit. Membrum valentius intendi debet duabus habenis, altera ab inguine, altera a genu. Commode hoc fieri poteſt, mediante polyſpaſto, ſi prius illa habena, quæ per inguina trajecta fuit, unco illigata eſt. Ubi oſſa ſatis diducta ſunt, femur manu chirurgi, adhibita etiam habena, (1166.) cogitur, & in ſedem ſuam conditur. Scire licet, illud loco ſuo eſſe, ſi homo membrum movere poteſt. Superimponitur pannus, & injicitur faſcia, quæ, ſpicam deſcribit, & quaſi per cochleam, adſcendit, atque ſic femur adducit. In obeſis parum continere faſcia poteſt.

§. 1202.

In illo vero caſu, ubi femur percuſſum fuit, & dolor, qui in articulo ſævit, ac indies magis intenditur, metum facit, ne a confluente in ſinum humore os tandem promoveatur, experiri licet quædam alia auxilia. Alvus crebrius ducenda eſt ſatis valentibus, & ſanguis etiam mittendus, quo humorum aditus avertatur, adhibito ſimul victu idoneo, qui ſuſtinet, non nimium alit. Extrinſecus adhiberi poſſunt infrictiones cum liquoribus arte chemica paratis, (1115.) impoſitis etiam diſcutientibus. Faſcia, (1200.) quantum poteſt, articulus adſtringendus eſt, & quies ſervanda *a*. Sunt, qui corporibus ſiccioribus macilentiſque, altius demiſſo ſcalpello, ligamentum, vel manticulam, incidere, & humorem evocare, auſi ſunt *b*, ex qua tamen curatione rigidus manere poteſt articulus.

a Ex HIPPOCRATE c. I. & AEGINETA diſcimus, veteres in his caſibus

ſuper articulum ferrum candens imprimere, & magnam ſuppurationem concitare, ſolitos fuiſſe. Confer §. 935. (1194. *a*)

b Hanc viam aliquando SENFFIUM, inter Berolinenſes Chirurgiæ doctorem clarum, ingreſſum eſſe, ab eo ipſo accepi.

§. 1203.

Femur inferius intumeſcit, & habet duo majora capita, ſive condylos, cartilagine mollitos, qui aliquantum in anteriorem, magis in poſteriorem partem prominent. In poſteriori parte inter eos medius profundiorque ſinus eſt, per quem majores arteriæ ac venæ ad pedem feruntur. Condylus interior paulo plenior eſt & magis rotundus, quam exterior. Hæc capita excipit tibia, cujus caput ſupremum plenius duos parum deſidentes ſinus habet, qui illos femoris condylos excipiunt. Ille ſinus, qui internum femoris condylum accipit, altero paulo major ac profundior eſt. Inter hæc oſſa, quæ, ut cetera omnia, etiam cartilagine molliuntur, ſitæ ſunt duæ cartilagines lunatæ, ſibi obverſæ, verſus interiora tenuatæ & exciſæ, quæ, dum femur ſuſtinent, faciliorem articulo motum præſtant, & ſinus etiam illos, quibus femoris condyli excipiuntur, profundiores reddunt. Hæ cartilagines, quæ in parte anteriori ſub patella ligamento deligantur, quod ſemilunare vocant, quaſi in ligamenta brevia & valentiora degenerant, inhæreſcuntque tuberibus, quibus ſupremæ tibiæ medium exaſperatum eſt. His tuberibus ſupremi capitis innectuntur duo alia valentiora ligamenta, ex eorum numero, quæ manticulis continentur. Illorum alterum incipit ab illo profundiori ſinu, quem in femore poſterius inter utrumque condylum eſſe dixi, & ab ipſo condylo interno, fertur ſuper illum ſinum, & inſeritur ſupremæ tibiæ, hujuſque parti poſteriori, in qua illa poſt tubera inciſuram habet, ita, ut ligamentum paulum exteriora verſum procedat. Alterum, ex eodem femoris ſinu & condylo externo eductum, finitur ſuper tibiæ ſupremæ, tuberibus exaſperatæ, partem anteriorem exterioremque. Hæc valentiora ligamenta, quæ ſe decuſſant, & quaſi figuram Græcæ litteræ X accipiunt, comprehenduntur valida manticula, quæ etiam illis ſupra deſcriptis cartilaginibus lunatis inhæreſcit. Super hanc feruntur alia duo ligamenta. Alterum, quod amplum eſt, incipit a condylo interno femoris, hujuſque latere, & finitur in capite tibiæ, hujuſque parte interna.

Alterum vero, ab exteriore parte articuli positum, & a condylo femoris externo orsum, tendit, partim ad tibiam, partim ad suram, horumque ossium summa capita. Aliud ligamentum latum addunt, quod ex femore posteriori super condylum externum incipit, super illum sinum procedit, & summo capiti tibiæ, ejusque parti postremæ, inseritur.

§. 1204.

Hunc articulum, qui etiam pluribus musculis continetur, tuetur os parvum, patella dictum, quod, nulli ossi inhærens, superius musculis extensoribus, recto, cruræo, & vastis, tum externo, tum interno, inferius autem, validissimo ligamento deligatum, super juncturam quasi innatat. Ligamentum illud, quod alii ad tendines illorum musculorum referunt, inseritur tuberi, quod in tibia anteriori sub ejus supremo capite est. Patella, parte posteriori cartilaginosa, in medio gibba, utrimque paululum sinuata, respondet ossi femoris, quod inferius inter duos condylos sinuatum est. Patellæ sinus externus, quo externus femoris condylus excipitur, amplior & profundior est, quam internus. Præter illos musculorum tendines, & ligamentum, quo patella tibiæ adstringitur, illa innectitur sinuato inferiori femori, medio alio ligamento, quod ex ejus parte posteriori extantiorique educitur. Præterea oræ patellæ circum circa innectitur manticula, qua totus articulus comprehenditur.

§. 1205.

Genu ad ginglymi genera referri debet. Non facile excidere potest, quod ossa ea parte, qua inter se committuntur, lata admodum sunt & ampla, & quod illa pluribus & validis ligamentis constringuntur. Si vero ossa vi expelluntur, hoc fieri nequit, nisi læsis, vel valde infirmatis, illis ligamentis. Quod etiam ex his, si violata fuerunt, humor effertur in articulum, is intumescit rigescitque, de quo morbi genere protinus dicam. Si tibia ex sede sua movetur, necesse est, etiam patellam distrahi. Hæc vero quandoque excidere potest, remanente in sede sua tibia. Genu autem in exteriorem & interiorem & in posteriorem partem excidere potest, non vero in priorem prolabi, quod ibi opposita patella est. Nonnumquam, si patella transversa inferius juxta illud majus ligamentum fracta fuit, illa, dum musculis

ſurſum verſus attrahitur, minus peritis opinionem offis luxati & in partem ſupremam promoti facere poteſt.

§. 1206.

Non alia, quam ceterorum articulorum, curatio eſt. Oportet membrum per vim extendere & tibiam in diverſas partes compellere. Si ex ſede ſua promota eſt patella, oportet genu ſuper ſcamnum ponere, atque, adducta depreſſaque tibia, articulum intendere, patellam vero manu in ſedem ſuam cogere. Genu luxato imponendus eſt pannus, utrimque ad medium fere inciſus, ſeu funda. Faſcia, a femore orſa, circa quod illa bis volvitur, deſcendit per poplitem ad tibiam, quam etiam circumit. Illa deorſum ſurſumque, quaſi in cochleam, ſerpit, & totum articulum ea ratione, ac de cubito dictum, (1183.) comprehendit. Patellæ, ſi ſola emota fuit, ea parte, in quam illa excidit, objicitur denſior pannus, & circumdatur faſcia, quæ *uniens* dicitur. (515.) Eſt habena in duo capita voluta, per quam, medio in longitudinem inciſam, alterum caput trajicitur, ita, ut, dum capita in diverſas partes adducuntur, habena valentius articulum comprehendat. Iterum faſcia ad eamdem rationem articulum complectitur.

§. 1207.

Sura, quam etiam fibulam vocant, ſupra infraque tibiæ juncta media dehiſcit. In ſupremo ſuræ capite parvus & parum deſidens ſinus eſt, cui reſpondet tuberculum, quod ſummum tibiæ caput e latere parteque externa habet. Hic articulus brevibus validiſque ligamentis adſtringitur. Ligamento ſuram cum externo femoris condylo connecti, ſupra retuli. (1202.) Suræ etiam caput tendine muſculi bicipitis illigatur. Sura intumeſcit ad talum, & e latere in ſinu, qui, tum in tibia, tum in talo, eſt, inſidit. Hoc ſuræ inferius caput, vulgo malleolum externum vocant, quod majorem partem extra hæc oſſa ſitum eſt, illis & oſſi calcis pluribus brevibus & validis ligamentis conſtrictum, inhæreſcit. Etiam media parte, ubi tibia & ſura, infra ſupraque junctæ, dehiſcunt, hæc oſſa alio valido ligamento, quod inter ea medium eſt, continentur.

§. 1208.

Incidere poteſt, ut etiam ſura diducatur, & e ſede ſua moveatur, quæ ſine intentione digitis tantummodo bene preſſa in

ſedem ſuam revertitur. Quia vero plerumque vis illis ligamentis deſtituta eſt, os, quod expeditius reponitur, minus fideliter continetur, & multo facilius excidit, ſi membrum vel parum movetur. Igitur os, admotis utrimque denſioribus pannis, faſcia comprehendendum eſt, & æger diu lectulo detinendus, ne, ſi membrum moveat, ſura, laxioribus adhuc ligamentis, rurſus erumpat.

§. 1209.

Pes ex ſeptem oſſibus tarſi, quinque metatarſi, & digitis conſtat. Pollex in pede duo oſſa habet. Tibia atque ſura, ſibi inferius junctæ, extrema ſua parte ſinum profundum habent, quo excipitur aſtragalus, vel talus, qui, ſuperius cartilagine mollitus, quadam parte parum ſinuatus, quadam exceſſus habens, illis oſſibus reſpondet. Hanc juncturam utrimque tuentur ſic dicti malleoli. De externo ſupra (1206.) relatum eſt. Internum exigit inferior tibia, qui proceſſus e latere cum talo committitur, & pluribus ligamentis continetur.

§. 1210.

Talus ſuper os calcis ſitus eſt, & parte inferiori ac poſteriori ſinuatus, medium tuber hujus oſſis recipit. Os calcis parte anteriori & ſuperiori exciſum recipit anteriorem tali partem. Hic, parte anteriori gibbus, conjicitur in parum deſidentem ſinum oſſis navicularis. Os calcis anterius cum oſſe, quod, a figura, cuboides dicitur, committitur. Hæc oſſa omnia pluribus validiſſimiſque ligamentis connectuntur. Glandula major mucoſa (1099.) hæret in profundo magnoque ſinu, qui in pedis parte exteriori inter talum & calcem eſt, ex qua glandula humor, vel axungia, in articulum deſtillat.

§. 1211.

Talus in omnes quatuor partes prolabi poteſt. Ubi autem in exteriorem pedis partem excidit, neceſſe eſt, ſuræ inferius caput, vel frangi, vel, infirmatis ligamentis, ab oſſibus, quibus illud adjunctum eſt, diſtrahi, & e ſede ſua moveri. Nec talus facile in interiorem partem incidere poteſt, niſi tibiæ proceſſus, ſeu malleolus internus, fractus fuerit. Si talus in priorem partem prorupit, calx tibiam ſuſtinet, & pene conditur, plantaque porrigitur. Si vero talus in poſteriorem partem excidit, tibia ſu-

per tali proceſſum, qui anterius ab oſſe naviculari recipitur, ſita eſt, & calx longior, peſque brevior eſt.

§. 1212.

Quoniam hic articulus non ſolum validioribus ligamentis tendinibuſque, pluribus etiam arteriis, venis nerviſque, comprehenditur, &, quoniam præter hæc omnia plures membranoſæ vaginæ in propinquo ſunt, per quas tendines trajiciuntur, is non, niſi majori vi & majori etiam periculo, expellitur. Oritur enim gravis inflammatio, quæ interdum cogit pedem præcidere, vel, quod is gangræna periclitatur, vel, quod levata inflammatione majores abſceſſus & fiſtulæ fiunt, atque etiam oſſa vitium contrahunt. Articulus ſæpius intumeſcit, cui callus circumdatur, qui per quietem increſcit, & flexus ejus prohibet. Longe frequentius ligamentorum imbecillitas efficit, ut oſſa, majori vi diducta, quamvis iterum in ſedem ſuam compellantur, parum fideliter contineantur, ſed iterum excidant. Si alteruter malleolorum fractus eſt, & ab oſſe receſſit, callus ſuperincreſcit, ex quo aliquid decoris eo loco amittitur.

§. 1213.

Ut articulus reponatur, neceſſe eſt, eum ſatis extendi, id quod fit, pede & crure in diverſa diductis. Chirurgus, qui talum in ſedem ſuam compellere vult, debet, & calcem, & pedem, manibus complecti, & ſic majori vi adducere. In hoc articulo diligenter eſt agendum, ut ligamenta confirmentur, & avertatur, (1115. 1116.) quo minus, & articulus nimium intumeſcat, & callus per quietem increſcat. Ita vero vinciendus eſt articulus, ut, ſi os in anteriorem, vel poſteriorem, partem emotum fuit, linteolum, vel pannus quadratus, utrimque inciſus & quatuor capita habens, (*funda*) media parte, qua is integer eſt, oſſi, quod exceſſit, objiciatur, & ut ejus capitibus articulus comprehendatur. Si vero os in exteriorem, vel interiorem, partem fuit prolapſum, panno oblongo, qui calcem quoque comprehendit, conteguntur malleoli. Injicitur faſcia, quæ, a tibia orſa, & crus, & pedem, comprehendit, & circumeundo, cochleæ in modum, deſcendit aſcenditque. Facienda omnia, ut articulo, quæ ſaltem eſſe in ejuſmodi re ſanitas poteſt, reddatur.

§. 1214.

Etiam plantarum ossa inter se, & cuboides ac naviculare, a calce & talo diduci possunt, id quod fit, si pes aliqua re, veluti cancellis ferreis, irretitus, majori vi adducitur. Pes ita emotus in contrariam partem convertendus est, id quod difficilius fieri solet. In metatarsi digitorumque ossibus nihil ultra fieri debet, quam, quod in his, quæ sunt in manu, positum est. Si ligamenta disrupta, vel iis adeo exiguum robur relictum est, ut confirmari satis nequeant, præstat quandoque pedem protinus præcidi.

ΑΓΚΥΛΩΣΙΣ.

§. 1215.

Articuli etiam ex varia occasione rigescunt, ita, ut eorum flexus prohibeatur, quæ vitiorum genera ἀγκύλας, vel ἀγκυλώσεις veteres appellaverunt *a*. Siquidem interdum ossa, eorumque epiphyses, circa articulos intumescunt, id quod in corporibus, quorum humida vitiata sunt, præcipue puerorum, rhachitide ægrorum, fieri, alibi dictum est. (1065. 1066. 1071.) Etiam, si os juxta articulum fractum fuit, callus nimium superincrescit, quo articulus impletur, & ossa ita junguntur, ut unum super alterum moveri nequeat. Interdum incidit, ut, si ligamenta ictu, vel vulnere, graviter læsa sunt *b*, ossa per quietem inter se cohæreſcant. Nam ligamenta ex vulneribus, magnisque suppurationibus, præcipue, si postea male inducta cicatrix fuit, rigescunt contrahunturque & membrum contractum curvumque reddunt. Hoc etiam musculorum vitio, quibus crus flectitur, in genu accidisse legimus, cum illi ex nervorum distentione distracti obriguissent *c*.

a Vide CELSUM Lib. V. c. 18. §. 28. PAULUM Lib. IV. Cap. 55. p. 71.
b Vid. CHESELDENS Osteographia Tab. XLVII.
c Vid. H. A. R. Sc. MDCCXXVIII. p. 283.

§. 1216.

Crebrius autem in variis articulis, præcipue in cubito genuque, hoc incidit, ut ex intus increscente coactaque axungia, seu illo humore, intumescant, quem in omni articulo esse, supra ostendi. (1099.) Hujus rei initium esse solet ex ictu atque

vulnere, quoniam major illius humoris vis in articulum defluit. (485. ad 487.) Etiam ex oſſis fractura, &, ſi membrum diutius ſine motu in canaliculo, vel lectulo, continendum fuit, illudque poſt curationem non protinus exercitatione ad uſus ſuos promoveri potuit, hoc incidere ſolet. Si articulus excidit, & ligamenta nimium fuerunt violata adductaque, vel, ſi is neglectus & non protinus repoſitus fuit. Etiam, ſi ligamenta ex alia occaſione immodico diuturnoque flexu & preſſu, vel inflammatione, quæ ex varia occaſione naſcitur, violata infirmataque fuerunt. Morbus frequens eſt metallicis, qui, genubus, quibus ſaxum frigidum contingunt, nixi, opus faciunt. Nam hac ratione, & ligamenta infirmantur, & frigore humores denſantur, quod illas exſpirationes, quæ ex omni corporis parte efferuntur, coercet.

§. 1217.

Si os in articulo fractum fuit, & hic ex callo increſcente rigidus factus eſt, vitium nullam curationem recipit. Si per nimiam quietem obriguit articulus, membrum motu flexuque iterum ad antiquos uſus reducendum eſt. Motus enim in dolore nocet, quod humor ſemper in ſedem, quæ dolet, evocatur, hoc vero ſe remittente, exercitatio ſaluberrima eſt. Si ligamenta ex vulnere per cicatricem contracta ſunt, illa foveri oportet ex aqua, vel oleo calido, adhibita infrictione. (226.) Superimponi poſſunt epithemata ex herbis, quæ emolliendi relaxandique vim habent. (91.) Si autem nimium ligamento deeſt, nulla id curatione reſtituitur. Ægro, (1214.) cui muſculi contracti erant, profuerunt balnea, cui herbæ incoctæ fuerant, quæ roborant. Utiliter etiam illi muſculi unguento nervino (1116.) perunguntur.

§. 1218.

Si autem tumore, aliiſque indiciis, cognoſcitur, intus humorem cojiſſe, ab initio plurimum proficit ipſa articuli exercitatio. Motu enim concretus humor tenuatur & diſcutitur. Si malum autem vetus eſt, experiri licet medicamenta. Super articulum prius imponi debent cataplaſmata, quæ emolliunt. (19.) Quæ tanto magis neceſſaria ſunt, ſi tumor durus eſt, &, qui, digito preſſus, renititur. Poſt autem quandoque proficiunt emplaſtra, de galbano, de ammoniaco, cui diaphoreticum Mynſichti & oleum tartari fœtidum adjici poteſt, nec non epithemata ex

ſalſilagine ; vel murica , qua haleces conditæ ſunt , & ex qua herba ſabinæ , rutæ , coquuntur , addito aceto , vitriolo & alumine . His enim alterna vice ſuperhabitis , cutis exaſperatur , puſtulæque excitantur , quibus quandoque humor evocatur & diſcutitur . Prodeſſe etiam ſolent thermæ , ſi in eas membrum demittitur , & ſi in hoc illæ ex alto deſtillant . In his curationibus per multum tempus perſeverandum eſt *a* .

a Vid. LE DRAN *Obſerv.* 93. & 94. p. 254. Qui non thermas naturales , ſed alias , arte compoſitas , aquas , articulo crebrius & per longum tempus inſtillavit (Galli vocant *les Douches*) & poſt ſuperhabuit veſicas calida plenas . Tandem linteis calidis operuit articulum & ægrum in lectulo continuit . Duos ægros is hac ratione reſtituit .

§. 1219.

At , ſi tumor vetuſtior eſt , & ex eo his nihil minuitur , ſcalpelli opera neceſſaria eſt . Nec tamen ad hanc feſtinare convenit , ſi corpus mali habitus , vel ſenile eſt . Incidendus eſt tumor e latere , magna cura habita , ne ligamenta , quibus e latere articuli continentur , (1178. 1202.) præcidantur . Emittitur humor , preſſo etiam parum tumore . Nec alienum eſt , per plagam calidum liquorem , veluti decoctum agrimoniæ , cum aqua vulneraria , (222. 295.) in articulum compellere , ut humor , qui ſæpe , juris gelati inſtar , coiit , craſſuſque eſt , diſcutiatur . Plaga demiſſis linamentis claudenda eſt , ut per inſequentes dies id quod humoris reliquum eſt , emittatur . Si nullum ejus veſtigium apparet , recipienda ſunt linamenta , & vulnus , obſervatis omnibus , quæ ſupra exſecutus ſum , curandum . (485. ad 487.) Etiam videndum , ne ex cicatrice articulus rigeſcat , (1214.) neque is laxioribus ligamentis erumpat . (1104. 1115. 1116.)

FRACTA.

§. 1220.

Oſſa interdum ex humidorum vitio fragilia fieri , ſupra retuli . (1032.) Quod morbi genus , nec efficacior , nec alia medicina , ſubrahere poteſt *b* . Senibus , & qui ſcorbuto morboque venereo ægri ſunt , præcipue , ſi malum vetus , & iis omnis fere medulla exhauſta , vel vitiata & corrupta eſt , (1031.) frequentius , quam ceteris , oſſa franguntur . Etiam id crebrius hyeme , quam æſtate , fieri , pervulgata opinio eſt .

b Vide, inter plures obſervationes in Auctoribus ſupra (1032. *b*) citatis, commemorabilem hiſtoriam SAVIARDI *Obſerv. chirurgical. Obſ.* 62. *p.* 274.

§. 1221.

Crebrius autem oſſa finduntur, franguntur, colliduntur que, ſi injuria extrinſecus acceſſit. Illud omnibus oſſibus commune eſt. Nam, id in capite fieri, ſupra executus ſum. (509. ad 513. 523. ad 568.) In ceteris oſſibus fractis communes quædam curationes ſunt, quædam in ſingulis generibus propriæ. In quibuſdam membris, quandoque alterum os, quandoque utrumque, imo nonnumquam plura, confracta ſunt. Os, vel tranſverſum, vel obliquum, fractum eſt, atque id ipſum interdum retuſa, nonnumquam acuta, capita habet, quæ carnem aliaſque partes vulnerant. Etiam aliquando plura fragmenta a fragmento fiunt, quæ inter ſe cohærent, interdum etiam recedunt. Oſſa fracta aliquando in ſuis ſedibus remanent, multo ſæpius excidunt. Non raro oſſis fracturæ, vulnus, tumor, inflammatio, abſceſſus, accedit, vel oſſis, quod fractum colliſumque eſt, articulus etiam excidit. (1103. 1119.) Raro evenire ſolet; ut os rectum, veluti lignum, in longitudinem fiſſum ſit.

§. 1222.

Fracta curaturum ſcire oportet oſſium numerum, figuram, ſitum, ordinem, nexum, commiſſuras, duritiem, mollitiem, raritatem, lævorem, nec non eorum medullam, exceſſus, ſinus, appendices, cum his muſculos, quibus conteguntur, & qui ſuper iis finiuntur, & arterias, venas, nervoſque, qui in propinquo ſunt.

§. 1223.

Os fractum eſſe, ſcire licet, ſi illud graviter percuſſum fuit, vel ei alia injuria acceſſit, cui reſiſtere non potuit. Si fracta ſuis ſedibus mota ſunt, aliudque ſuper aliud effertur, membrum altero brevius eſt, & muſculi tument. Nonnumquam oſſium fractorum & inter ſe recedentium capita, & oculis, & tactu, cognoſcuntur. Fracta enim tactu inæqualia ſunt, & multum etiam, moto membro, indoleſcunt. Ea quoque, ſi membrum intenditur, inter ſe diduci flectique poſſunt. Quandoque fragmentorum, ſi alterum ſuper alterum movetur, aſpritudo auribus percipitur. (1197.)

§. 1224.

Si os in longitudinem fiſſum eſt, (1220.) quod in calvaria (530.) frequentius, in ceteris oſſibus rarius, evenire arbitror, id, etiamſi is caſus totum os perruperit, ab initio, & poſt illatum ictum, vix certa nota explorari poteſt. Nam, nec membrum altero brevius eſſe ſolet, nec os tactu inæquale. Locus etiam nihil, vel parum, intumeſcit, & dolor, qui a perioſtio carnibuſque vexatis naſcitur, opinionem fracti fiſſique oſſis fruſtra facere poteſt. Ex notis vero, quæ ſequenti tempore oriuntur, commune eſt, membrum dolere, qui dolor vero, in hoc caſu, nec per ſe conquieſcit, nec impoſitis medicamentis ſubmovetur, ſed vetuſtate fere aſperior fit. Oſſis etiam membrana tactu magis indoleſcit, eo loco, ubi os fiſſum ſubeſt, ſi illa digitis pertractatur. Dolor in ipſis medullis vehementius creſcit, ſi membrana, qua oſſa interius cinguntur, (1030.) fiſſo oſſe, violata inflammataque eſt. (1065.)

§. 1225.

Numquam vero convenit, fracturam tactu explorari, niſi æger in lectulo, vel loco collocatus ſit, ubi fracta in ſedem ſuam compelli & membrum deligari commode poteſt. Quare, ſi id in cruribus femoribuſque incidit, ante omnia homo ſuper lectulum collocandus eſt. Etiam, ubi oſſa, quæ inter ſe receſſerunt, iterum reponenda ſunt, neceſſe eſt, ut unus, vel plures, miniſtri hominem, qui curabitur, contineant, eumque immobilem præſtent, ne agitatione, & dolor intendatur, & major moveatur inflammatio.

§. 1226.

Melius coëunt oſſa, quæ tranſverſa fracta ſunt, quod alterum alteri innititur. Pejus eſt, quod obliquum fractum eſt, præcipue, ſi non retuſa, ſed acuta, habet capita, quæ etiam oſſis membranam carneſque vulnerant. Oſſa etiam colliſa, &, ſi eorum plura fragmenta ſunt, difficilius committuntur. Si hæc fragmenta non inter ſe cohærent, ſed undique reſoluta, non ſuo loco ſunt, illa cum ceteris non glutinabuntur. Etiam in his caſibus, & ubi fragmentis, veluti aculeis, membrana carneſque urgentur, gravis inflammatio & febris & ſuppuratio ſequitur, atque nonnumquam gangrænæ periculum. Fragmenta vero, ſi res bene cedit, emoriuntur, &, ſuppuratione orta, excidunt. Si jam

vetuſtas fracturam occupat, & oſſa, quod, vel non repoſita, vel ſæpe ſoluta motaque, ſunt, non conferbuerunt, illa vix ſaneſcit *a*. Difficilius etiam oſſa in ſenibus, gravidis, lue venerea, ſcorbuto, cachexia, laborantibus glutinantur.

a Vid. JOHANNIS SALTZMANNI Diſſ. de Articulationibus analogis, quæ fracturis oſſium ſuperveniunt, Arg. CIↃIↃCCXVIII. & figuram vide in Act. Erud. Lipſ. Anno MDCLXXXV. p. 513. Tab. XIII. Fig. 4.

§. 1227.

Gravius multo eſt, cum oſſis fracturæ carnis quoque vulnus acceſſit, maxime, ſi ex his oſſis membrana inflammatur. Nam ejuſmodi inflammationis majus periculum eſt, quæ, vel ad ſuppurationem ſpectat, vel promptiorem gangrænam habet. Si os juxta articulum fractum eſt, ἀγκύλωσιν manere, ſupra retuli. (1214.) At, ſi os ea parte fractum eſt, per quam arteriæ venæque majores ad intima, ipſamque medullam, tendunt; (1031. 1033.) ſi oſſium fragmentis arteriæ, venæ, nervi, tendines, pleura, medulla ſpinalis, violantur, id periculoſium eſt. Si os in longum fiſſum eſt, id difficilius cognoſcitur, (1223.) & metum facit, ne medulla vitium contrahat. (1065.) Humerus brachiumque citius, quam femur & crus, ſaneſcunt.

§. 1228.

In fractis curandis tria obſervanda ſunt. Oportet ea, quæ ſuo loco non ſunt, committere, atque fragmenta in ſuas ſedes compellere, membrum impoſitis pannis & ſuperaccommodatis ferulis deligare, & pericula, quæ incidere poſſunt, avertere.

§. 1229.

Si oſsa fracta in ſuis ſedibus remanent, & non excidunt, non opus eſt, ut committantur. Si vero ſuis ſedibus mota ſunt, oportet protinus membrum extendere, obſervatis omnibus, quæ ſupra præcepi. (1110. ad 1113.) Oſsa loco ſuo non eſse, deprehenditur, ſi membrum altero latere brevius eſt, muſculi tument, os tactu inæquale eſt, & æger dolorem punctionemque ſentit. Si membrum, quod extendi debet, valentius eſt, id duobus eget, qui in diverſa contendunt. Raro opus eſt, habenis, vel faſciis, capita oſſium deligari, & membrum per plures, vel etiam adhibito polyſpaſto, intendi. (1110. 1111. 1173.)

§. 1230.

Fracta, ſi loco ſuo mota ſunt, oportet ante inflammationem

reponi. Si vero hæc jam membrum occupavit, difficile & periculoſe vis muſculis adhibetur, quare membrum laceſsendum non eſt, ſed poſt levatam inflammationem, id quod exciderat, reponendum. Igitur expedit, ſanguinem mittere, atque imponere epithemata, quæ adverſus inflammationem maxime valent, donec hæc ab iis ſolvatur, & poſt oſsa committere. Sanguinem detrahi ſemper fere neceſsarium eſt, ubi cum oſſis fractura vulnus acceſſit, vel, ubi majori vi vexatæ carnes colliſaque oſsa ſunt. Nam membrum ex inflammatione variis periculis expoſitum eſt, præcipue, ſi hæc perioſtium occupat, quare pericula, ſanguinis miſſione, etiam ſi res poſtulat, iterata, avertenda ſunt.

§. 1231.

Si plura oſſis fragmenta ſunt, ea, ſi membrum intenditur, manu digitiſque in ſedem ſuam dari oportet. Caſus aſperior eſt, ubi fragmentum deorſum inſedit, idque medullam urget. Excitari illud debet, etiam foramine facto & demiſſo vecte. (508.) Si qua fragmenta eminent, quæ in ſuas ſedes compelli commode nequeunt, ea, ſi longiora ſunt & valde acuta, ſerrula, vel forcipe, præcidenda, & ſcalpro lævanda committendaque ſunt. Ne fragmenta undique reſoluta emoriantur, & pus moveant, (1126.) protinus incidi contra cutim oportet, & ea, quæ haud glutinabuntur, volſella extrahi. Relictus enim ſinus callo implebitur. Si fragmentum parum cum membranis cohæret, id ſcalpello, vel forfice, præcidi poteſt.

a Forcipem delineavit GARENGEOT *des Inſtr. T. II. p.* 233.

§. 1232.

Indicium oſſis repoſiti eſt dolor & punctionis ſenſus ſublatus, atque, ſi membrum alteri æquale eſt.

§. 1233.

Nec vero, ſi membrum deligandum eſt, adeo neceſſaria ſunt medicamenta, niſi inflammatio, vel alia noxa, acceſſerit. Veteribus in more erat imponere emplaſtrum, præcipue, id quod, ad hos uſus compoſitum, catagmaticum vocatur. Illud vero minus opportunum eſſe, ſcire licet, quod nimis reſinoſum exſpirationes cohibere, & carnes nimium mollire, ad glutinanda vero oſſa haud quidquam facere, poteſt. Qui emplaſtris ſuam fidem addixerunt, illi uti poſſunt compoſitione FELICIS WÜRT-

zii, defenſivum viride vocant Chirurgi *a*. Emplaſtra non totum membrum debent circumire, ſed neceſſe eſt, ut in membro aliquid, quod iis non contegitur, relinquatur. Fere melius eſt, ſi os fractum involvitur linteolo ſimplici paulo latiori, in vino, vel ſpiritu vini, tincto, quod ex altera parte in longum ſectum, ea, qua integrum eſt, fracturæ injicitur, ita, ut capita & priorem ac integram linteoli partem atque membrum circumeant & comprehendant.

a FELIX WURTZENS Practica *der Bund-Arſney* p. 425. No. I. Diſpenſator. Argentorat. p. 75.

§. 1234.

Super hoc linteolum injiciuntur faſciæ. Prima, breviſſima, circa fracturam ter voluta, ſurſum verſum, cochleæ in modum, fertur. Altera, priori adverſa, etiam ſuper fracturam incipit, deorſum tendit, atque iterum ad fracturam reverſa, circa eam ſemel atque iterum volvitur, & in ſuperiori parte ultra priorem faſciam finitur. Superaccommodantur ferulæ, quibus ſubmittuntur oblongi denſique panni, vel ſplenia, & omnia vinciuntur faſcia, vel, id quod magis opportunum eſt, anguſtioribus valentioribuſque ligulis.

§. 1235.

Ita vero circumponendæ ſunt ferulæ, ne venas majores comprimant. Nam, hoc ſi incidit, tumor naſcitur. (728. 729.) Nec faſciæ, nec ferulæ, nimis adſtringendæ ſunt, quia, id quod nimis adſtrictum eſt, alienatur, & gangrænæ opportunum eſt. Si vero faſcia non ſatis continet, oſsa iterum e ſede ſua elabuntur. Si ligulæ & faſciæ laxæ viſæ ſunt, oportet illas iterum attrahere. Membrum, vero, præcipue brachium, cum id deligatur, protinus ita inclinandum eſt, ut ante figuratum ſit, ne poſtea ſuſpenſum, aliter, atque cum deligabatur, inclinari oporteat, & ne quidam muſculorum violenter, & magis, quam alii, adducantur, (1111.)

§. 1236.

Quomodo agendum ſit, ſi, cum oſſis fractura, articulus excidit, qui caſus ex difficilioribus eſt, ſupra (1119.) retuli.

§. 1237.

Membrum deligatum continendum eſt, ut per quietem oſsa fracta, increſcente callo, glutinentur. Igitur, ſi, vel jugulum,

vel humerus, vel brachium, vel ipſa manus, fracta fuit, brachium ſuſpenditur, &, vel mitella, vel canaliculo, excipitur. Neceſſe eſt, brachium ſuſpenſum, ad latus leniter, pollice paululum ad pectus inclinato, deligari, qui naturalis brachii habitus eſt. Per hæc enim fit, ut membrum minime moveatur. Ne etiam hoc fiat, dum homo forte digitis aliquid prehenſurus eſt, manus pilam contineat. Etiam pes conjicitur in canalem ligneum exciſum, cuilibet homini ejuſque membro accommodandum *a*, in arculam PETITI *b*, vel in linteum valens, quod utrimque duo bacilla habet, ſtramine linteoque obvoluta *c*. Habere debent hæc omnia a planta moram, quæ pedem ſuſtineat, cui, ne offendat, inſternendus eſt denſior molliorque pannus. Calci ſubmittitur culcitellus in medio depreſſior & ſutura diviſus, vel habena mollior in duo capita, parum adſtricte, ſed remiſſius, glomerata. Nam neceſſe eſt, ut calx molliter cubet. Super membrum collocatur arculum, quo ſtragula, ne membrum premant, ſuſtinentur. Alia membrum vinciendi ratio eſt, ſi fracturæ vulnus acceſſit, de qua infra dicam.

a Excidendus eſt ligneus truncus, ita, ut is membro faſciis ſuis & feruliſ involuto reſpondeat, & hoc commode excipiat. Talis canalis fere neceſſarius eſt, ubi fracturæ vulnus acceſſit, & ob id faſcia adhiberi debet, quæ duo de viginti capita habet, quippe quæ non ſatis fracta continet.

b Vid. Hiſt. A. R. Sc. MDCCXVIII. p. 396. *des Maladies des Os p.* 285. GARENGEOT *des Inſtrumens T. II. p.* 324.

c Gallis *les Fanons*, Germ. *die Strohlade* vide BASSII Tab. XV. p. 239.

§. 1238.

Deligato collocatoque ſic membro, ſanguis longius inde, ubi noxa, & metuenda inflammatio eſt, mitti debet. Primis diebus fames imperanda eſt, vel abſtinentia a fame propior. Ubi autem, levata inflammatione, increſcere cœpit callus, liberalius alimentum commodum eſt. Nec tamen hoc junioribus adeo neceſſarium, quam ſenectute confectis. Faſcia ante decimum quartum diem non reſolvitur, niſi aliquod ex inflammatione periculum ſit. Oſſa tamen, quorum magna varietas eſt, citius tardiuſque ſaneſcunt & callo firmantur. Quod ſi autem faſcia reſolvi debet, opus eſt duobus miniſtris, qui ea ratione, quam ſupra (1111. 1228.) præcepi, in diverſa contendunt, & oſsa non tam extendunt, quam in ſede ſua continent.

§. 1239.

Ubi ſuſpicio eſt, os in longitudinem fiſſum eſſe, (1124.) protinus plurimum ſanguinis inciſa vena ſubtrahi debet. Imperanda eſt quies & abſtinentia, pro vi corporis, longiſſima. Vinum, & valentioris generis potio, per omne tempus aliena eſt. Non, niſi ſublata inflammatione, & conquieſcente dolore, victus paulo plenior dari debet. Parum proficiunt medicamenta, quæ diſcutiendi vim habent, ſi ſuperdantur.

§. 1240.

Si autem os cum vulnere fractum eſt, & ſanguis ex hoc cum impetu ruit, is protinus ſupprimendus eſt. Conquieſcente ſanguine membrum extendendum, oſſaque reponenda ſunt. Omnia curioſius agere oportet, ne vulneri nova injuria accedat. Poſtquam huic, quæ idonea ſunt, impoſita fuerunt, membrum prius linteo involvendum eſt lato, quod faſciæ reſpondet, & utrimque ſemel ad medium fere in longum inciſum eſt. Confert, hunc pannum in liquore (1232.) tinctum eſſe. Superinjicitur faſcia ad id aptata, quæ duo de viginti capita habet. Hæc capita ita collocantur, ut utrimque non ſolum membrum vulnuſque comprehendant, ſed etiam unum caput alterum, quod oppoſitum eſt, contineat. Superaccommodandæ ferulæ ſunt. Quoniam autem illa vinctura, quam hic propter purgandum nutriendumque vulnus adhiberi convenit, fere laxior eſt, & propter id etiam faſcia quotidie reſolvenda eſt, cura adhiberi debet, ut membrum recte collocetur. Id optime fit, ſi in canalem ligneum exciſum (1236. *a*) conjicitur. Ubi faſcia reſolvitur, membrum a duobus extendi & ita contineri debet, donec, id impoſitis etiam ferulis, deligatum fuerit. (1234. 1237.) Id tanto magis neceſſarium eſſe ſolet, ſi obliqua fracta nulli retuſo innituntur, & metus eſt, ne, contractis, muſculis, unum os ſuper aliud efferatur. In hac curatione perſeverandum, donec vulnus glutinatum & os callo firmatum fuerit.

§. 1241.

Si ſuper fracturam inflammatio oritur, & hanc ſuppuratio ſequitur, cura habenda eſt, ut puri exitus detur. Pus enim adipem & celluloſam tunicam, quæ inter muſculos eſt, perrumpit, & oriuntur fiſtulæ. (944.) Id averti poteſt, ſi membrum ita collocatur, ut pus efferri queat. Etiam hoc exprimitur, ſi prin-

cipio ſinus, vel fiſtulæ prius purgatæ, imponuntur panni denſi gradatique (24.) & faſcia adſtringuntur. (18.) Ubi jam ſinus altius penetravit, commode, demiſſo ſpecillo, ad ultimum ejus caput inciditur cutis, (478. 953.) ut pus exitum habeat.

§. 1242.

Oſſa vero confervent illo ſucco, quo aluntur, qui in callum duratur, & quaſi oſſis cicatrix eſt. Callo etiam rimæ & foramina inter oſſa, quæ inter ſe non cohærent, implentur & glutinantur. Callus autem interdum nimius, & non ad ſanitatem tantummodo, ſed etiam ad tumorem, increſcit, ita, ut locus tumeat, & membrum indecorum fiat. Hoc junioribus præ ceteris incidit, qui victu pleniori humidoque utuntur, ſi laxior vinctura adhibetur. Quare in his faſcia, quantum poteſt, adſtringenda eſt, & imperandum, ut plurimum cibo dematur. Ubi callus vetuſtate confirmatus eſt, is raro extenuatur. Num hoc ſperari poſſit, ſi emplaſtrum oxycroceum, vel Vigonis, cum mercurio, imponitur & adſtrictius alligatur, experiri quilibet poteſt.

§. 1243.

Adverſus dolorem, (447. ad 453.) inflammationem, (28. ad 101. 156. ad 168.) gangrænam, (169. ad 203.) ſpaſmum, nervorumque diſtentionem, (455.) ea proficiunt, quæ alibi præcepi. Si hæc ab acutioribus fragmentorum capitibus & pungentibus aculeis profecta ſunt, oportet protinus oſsa committere, & omnia, obſervatis iis, quæ ſupra (1231.) comprehenſa ſunt, recondere. In his magnus inflammationis & ſuppurationis timor, atque ob id nihil magis neceſsarium eſt, quam, ut ſanguis protinus, & iterum, mittatur. (1237.)

§. 1244.

Interdum membrum non tam dolet, quam prurit, id quod oritur, ſi emplaſtra ſuperdata fuerunt, vel unguenta adhibita, nec non, ſi impoſiti panni ſordidi & pure ac ſanie obliti ſunt. Etiam illud incidit, ſi ferulæ nimis coarctantur. His, ſi origo non ignoratur, facile occurri poteſt. In omnibus adhibenda munditia eſt. Sordes commode abſterguntur liquore, qui aquam habet & alcohol, vel aqua vulneraria. (480.)

§. 1245.

Si in membro, quod deligatum eſt, œdema (729.) oritur,

vel gangrænæ (182. 1235.) timor eſt, ferulæ & faſciæ reſolvendæ, &, ſi oſsa recte repoſita fuerunt, aliter ſuperaccommodandæ ſunt.

§. 1246.

Membrum tenujus, quam ex conſuetudine fieri poteſt, ſi id adſtrictius vinctum fuit. Hoc ſi poſt fracturam ſanatam deprehenſum eſt, convenit balneis uti, & membrum etiam plurimum perfricare. (conf. 1116.) Multum juvat exercitatio, & ſi membrum, quod extenuatum eſt, ſi poteſt, per ſe, ſin minus, per alium, movetur. Multum etiam proficit thermarum ſtillicidium, (1217.) &, ſi cutis urticis cæſa exaſperatur. Etiam utiliter admoventur cucurbitulæ. Veteres candens ferramentum impreſserunt. Experimentum fieri poteſt, & membrum in animalis vivi, vel recens mactati, inciſum ventrem demitti atque foveri per hujus naturalem vaporem, id quod recenti re prodeſse poteſt. Hæc non ſtatim, ſed paulum ſaltem, juvant, & profectus tempore expletur, quare diu in his curationibus perſeverandum eſt.

§. 1247.

Ubi oſsa etiam conferbuerunt, locus diu perfricandus eſt liquore, qui alcohol habet. Imponi etiam per tempus poteſt emplaſtrum oxycroceum.

§. 1248.

Hæc communia ſunt, alia vero propria. In naribus oſsa frangi ſolent, modo adverſa, modo e latere. Crebrius vulnus accedit, & fragmenta, quæ deſederunt, urgent læduntque membranam, qua nares intus cinguntur, quam gravibus inflammationibus afficiunt. Ex hac re ſuppurationes, ulcera, polypi, (776.) naſcuntur, & oſsa etiam vitium contrahunt. (1032. 1046.) Expedita hujus fracturæ cognitio eſt. Nam ſi adverſa fracta ſunt, ea utrimque deſidunt, & difficulter ſpiritus trahitur.

§. 1249.

Qui curabitur, in adverſo ſedili collocandus eſt, ut a poſteriori parte miniſter caput contineat. Specillum, vel aliud ferramentum paulo plenius, mollioribus linamentis cinctum, in nares demittitur, &, eo ſubjecto, atque extrinſecus digitis prementibus, quicquid deſedit, excitatur & in ſedem ſuam reponitur.

§. 1250.

Pejus eſt, ubi, aut cuti, aut interiori membranæ, vulnus ac-

ceſſit. Hoc curare oportet medicamentis, non aliis vero, quam, quæ oſſibus inimica (523.) non ſunt, quæ plerumque in his caſibus nudata eſse ſolent: Optime liquori illi, vel aquæ vulnerariæ, pauciores guttulæ eſſentiæ myrrhæ & maſtichis adjiciuntur. Hoc medicamentum, vel eſſentia vulneraria Stahlii, (387. 592.) in nares conjicitur, id quod ſpecillo linamentis involuto fit, vel etiam ſpiritu attrahitur. Si os jam vitiatum eſt, adjici poteſt parum olei caryophyllorum.

§. 1251.

Quidam conſuerunt pinnas, vel fiſtulas plumbeas, mollibus linamentis, emplaſtrove, circumdatas, intus in nares injicere, quæ deſidere oſſa non deſinunt. Hæc vero raro neceſſaria ſunt, quod oſſa, ſi in ſedes ſuas excitata ſunt, plerumque conſiſtunt, & non facile iterum excidunt: Fiſtulæ etiam & pinnæ, quamvis intus cavæ ſint, ſpiritum fere intercludunt, & membranam etiam offendunt. Extrinſecus utrimque naſo imponuntur panni, & his ſuperaccommodatur charta denſior glutinata, ita, ut hæc paululum emineat. Omnia continentur circumdata faſcia *a*.

a Hujus etiam varii modi ſunt. Fere commodiſſima eſt, quæ ex habena fit, & quæ, in medio & utrimque in longitudinem ſciſſa, fundam repræſentat. A media faſcia, quæ ibi in longum ſecta eſt, incipiendum eſt, ut pars ſuprema injiciatur inferiori naſo, pars inferior ſupremo labro. Sic enim aditus ad nares manet. Quatuor, quæ habet, capitum duo ſuperiora ad cervicem, & ab hac, per utramque genam & naſi radicem tendunt, ubi unum ſuper alterum fertur, utrumque vero caput caput hominis circumeundo finitur. Reliqua duo capita per cervicem, & ab hac, per ſupremum hominis caput, circumaguntur, & priora comprehendunt. Alia faſcia, quæ accipiter MENECRATIS (15. *d*) appellatur, eſt linteolum, aut panniculus triquetrus, qui infra duo foramina habet, quæ naribus reſpondent. Supra ei aſſuta eſt habena brevior, ab utroque vero latere alia longior. Superior per naſum frontemque ad cervicem datur, illæ vero, quæ a latere ſunt, utrimque ad cervicem, & ab hac per genas ad naſi radicem, non aliter procedunt, ac de prioris faſciæ capitibus dictum eſt, & tum hominis caput, tum ſupremam illam habenam, amplectuntur. Habenæ, quas oportet anguſtiores eſſe, ita ſuper genas volvi debent, ne iis oculi contegantur.

§. 1252.

Proprie etiam quædam de maxilla inferiori dicenda ſunt. Nam & hæc interdum vehementiori ictu, præcipue calcitrantis equi, frangitur. Plerumque oſſa etiam fracta non inter ſe recedunt, ſed conſiſtunt. Ubi autem oſſa vehementer vexata & e ſedibus ſuis mota ſunt, caſus multo aſperior eſt, quia nervus, qui a quinto pari ad maxillam inferiorem, omneſque in ea dentes,

pertinet, diſtenditur, quam rem magni dolores, nervorum per univerſum corpus diſtentiones, cum aurium ſonitu, ſequuntur. Etiam rupta illa arteria, quæ per maxillam diſcurrit & dentibus alimentum ſubminiſtrat, (1086.) ſanguinis profuſio oritur, quæ difficilius ſupprimitur. (248. 543.)

§. 1253.

Si fracta maxillæ oſſa in ſuis ſedibus remanent, protinus accommodari vinctura poteſt. Si vero exciderunt, illa prius in ſuam ſedem recondenda ſunt. Homo ea ratione, ac ſupra de luxata maxilla ſcripſi, (1129.) collocatur. Chirurgus digitos utriuſque manus, vel pollices, vel indices, linteolis involutos, in os demittit. His ab ore, aliis extrinſecus a mento prementibus, fragmenta reponuntur. Superinjiciendum eſt linteolum ſpiritu vini madens & pannus denſior cum charta glutinata, quæ circum maxillam poſita, ei ſuperaccommodatur & faſcia continetur.

a Faſcia, quæ capiſtrum, Gallis *le Cheveſtre*, dicitur, in unum caput glomerata, & a ſummo capite orſa, ad capitis tempus dextrum deorſum & ſuper fractam maxillam, & ab hac ſurſum verſum per tempus ſiniſtrum ad ſummum hominis caput, fertur, ubi ea primum faſciæ caput ſiſtitur. A ſummo capite illa retro ad cervicem datur, & ab hac ad maxillam reverſa, hancque amplexa, cochleæ in modum, per tempus dextrum ad ſummum caput, & ab hoc iterum ad cervicem, fertur. Ubi ab hac ad maxillam ventum eſt, iterum ſurſum tendit; Retro data per cervicem ad maxillam antrorſum fertur, & ſuper anterius mentum bis agitur, ita, ut hoc comprehendat, & poſteriora verſus agat. Tandem, poſtquam iterum deorſum ſub maxillam venit, hanc & caput cervicemque priori ratione amplectitur, & utrimque ſurſum verſum, cochleæ in modum, ſeu per aſciam, aſcendit, & poſtquam aliquoties caput circuiit, in fronte finitur. Eidem vincturæ etiam apta eſt habena, in duo capita glomerata, quæ media ſub maxilla incipit.

§. 1254.

Eum, cui maxilla fracta eſt, oportet primis diebus, nec loqui, nec eſſe, cum metus ſit, ne, agitata maxilla, e ſedibus ſuis moveantur fragmenta. Diu itaque aſſumendus eſt humidus cibus, veluti lac, jura, ova ſorbilia, jura gelata, atque in hoc victu & quiete perſeverandum, donec maxillam callus firmaverit. Si cum fractura vulnus eſt, hoc non aliam, quam, qualem dixi, faſciam deſiderat. Nam hæc oſſa, ſi ſemel repoſita ſunt, etiam, reſoluta faſcia, plerumque in ſuis ſedibus manent. Sanguinis miſſio neceſſaria eſt, ſi ictu nervus affectus fuit.

b Vid. LE DRAN T. I. Obſ. 8.

§. 1255.

Etiam jugulum, ictu, casuve ab alto, vel transversum, vel obliquum, frangitur. Id scire licet, si humerus, quem jugulum sustinet, in pectus inclinatus est, & si homo humerum levare non potest. Etiam illa juguli fracti pars, quæ a pectore, & immobilis est, in sede sua manet, & super alteram, quæ ab acromio est, & quæ cum humero descendit, effertur. Res etiam oculis tactuque deprehenditur.

§. 1256.

Jugulum, si fractum est, nec alia ratione, nec majori negotio, reponitur, quam luxatum, (1157.) difficilius vero in sede sua continetur. Pejus est, si os obliquum fractum, vel collisum, est, & fragmenta a fragmentis recedunt, quæ, si acuta sunt, incisa contra cute extrahi debent. Nam in hoc casu, præcipue ea parte, quæ a pectore propior est, metus esse solet, ne major arteria venaque, quæ subclaviæ dicuntur, vulnerentur. Ubi ossa inter se committenda sunt, non, id quod a pectore est, & immobile, deprimi, sed humerum attolli & retro dari oportet.

§. 1257.

Repositis omnibus, in illos sinus, qui in macilentis supra infraque jugulum sunt, commode conjiciuntur linamenta ex albo ovi expressa, quæ, ubi arida facta sunt, ad jugulum in sede sua continendum plurimum faciunt. Opponitur ossi fracto pannus densior, & super hunc, præsertim, si quid ab aliqua parte eminet, injiciuntur duo splenia, quæ transversa posita figuram literæ X accipiunt. Ubi vero jugulum deligandum est, dissimilis casus quædam dissimilia requirit. Nam, si os transversum fractum idque repositum est, in priorem partem humerus adducendus, cubitus autem in posteriorem propellendus est. Si vero os obliquum fractum est, humerus retro dandus, & brachium paulo magis in priorem partem promovendum est. Et fasciæ injiciendæ, & eadem facienda, quæ supra (1158.) comprehensa sunt. Major cura adhibenda est, ut humerus recte collocatus sit. Quare brachium non solum mitella, vel canaliculo, suspensum, sed humerum etiam ad latus adductum, atque ad id fascia deligatum & immobilem esse oportet. (1161.)

§. 1258.

Latum os scapularum etiam ictu frangitur colliditurque. Si

ſpina, quam id habet, tranſverſa fracta fuit, fragmenta in ſuis ſedibus manent. Si vero oſſis tenerior pars colliſa fuit, ſæpe aliud fragmentum ſuper aliud effertur. Minus periculum hujus fracturæ eſſe ſolet. Ubi vulnus acceſſit, aliquando ſupervenit emphyſema. (519. 621. *c* 644.)

§. 1259.

Fragmenta ſuis ſedibus mota digitis prementibus recondenda ſunt, ad quod neceſſarium eſt, ut, quantum fieri poteſt, humerus in partem priorem inferioremque porrigatur, ita, ut hominis cubitus naſo adverſus ſit. Miniſter ita continere debet humerum, quo chirurgus ea, quæ emota ſunt, in ſedes ſuas dare poſſit. Interdum vero res cogit, incidere ſcalpello cutim, & fragmenta extrahere. Superimpoſitis idoneis denſioribuſque pannis faſcia injicitur, & brachium ita ad latus deligatur, ut humerus ſupremus in priorem partem adducatur, cubitus vero retro detur.

a Si dextra omoplata fracta eſt, faſcia primum ſub ala ſiniſtra obvoluta, per pectus ſuper humeri dextri caput fertur, quod comprehendit, & per pectus eadem ratione ad alam ſiniſtram tendit. Bis ita circumagitur, & humeri in priorem partem attrahuntur. Tandem vero, faſcia humeri ſiniſtri caput amplexa, ad omoplatas tendit, circa quas eadem ratione & paulo laxior circumagitur, ut eas contegat, & pannos impoſitos contineat. Humerus autem faſcia ad latus, & brachium mitella ad cervicem, deligari oportet, ut membrum ſine omni agitatione contineatur.

§. 1260.

In ſcapula etiam ictu illato frangitur ille major & lateſcens proceſſus, quem acromium vocant. Tactu id cognoſcitur. Si humerus parum levatur, fragmenta quidem facile committuntur, multo facilius vero iterum excidunt. Faſcia injicienda eſt, quam ſupra luxato humero (1176.) idoneam dixi. Ad cervicem brachium paulo adſtrictius & ita deligandum ſuſpendendumque eſt, ut illud minime moveatur.

§. 1261.

Coſtæ vel media gibbaque parte ita franguntur, ut fragmenta, in interiora inclinata, pleuram offendant. Nonnumquam illæ totæ perfractæ ſunt, ſæpe autem non ſuprema, ſed interior, earum pars, quæ rara eſt, læditur, & exaſperatur. Quod ubi incidit, gravis movetur inflammatio, quam febris ſequitur, cum ſpirandi difficultate, dolore, ſuppuratione, & aliis periculis. Etiam ſanguis exſpuitur, & emphyſema (519. 619. 644. 1257.)

oritur, maxime, ſi fractura cum vulnere eſt *a*. Evenire etiam poteſt, ut a fragmentis lædantur arteriæ venæque intercoſtales, quæ res interdum mortem maturat. (643.)

a Vid. LE DRAN T. I. Obſ. 29.

§. 1262.

Si igitur coſtæ perfractæ & intus datæ ſunt, interdum licet eas in ſuas ſedes reſtituere, ſi illæ & ea parte, qua cum ſpina, & altera, qua cum ſterno, committuntur, multum premuntur. Imperandum eſt ægro, ut is, dum ſic coſtæ utrimque premuntur, ſpiritum contineat, id quod propter dolorem difficile eſt. Interdum, ſi coſtæ in antiquum ſtatum haud revertunt, res cogit, cutim, muſculos, pleuramque incidere & demiſſo digito coſtas in ſedem ſuam excitare. (650.) Ubi deligantur, coſtarum extremis imponuntur multi denſique panni, & injicitur faſcia, quam mantile cum ſuſpenſorio vocant. (623. 700. 1139.) Sanguinis detractio, fames, quies, & alia, quæ adverſus inflammationem maxime valent, in aliis utilia, in hoc aſperiori caſu, valde neceſſaria ſunt. (626.)

§. 1263.

Raro coſtæ ita franguntur, ut in exteriorem partem & cutim verſum erumpant. Hoc accidere poteſt, ſi pectus utrimque valentius comprimitur. Hoc fracturæ genus minus periculi habet. Manibus digitiſque coſtas ea parte, qua perfractæ ſunt, interpoſito utrimque pollicis ſpatio, deprimi oportet, & in ſuas ſedes compelli. Objicitur ea parte, qua coſtæ fractæ eminebant, pannus denſus, & ſuper hunc duo ſplenia, quæ, tranſverſa poſita, figuram litteræ X accipiunt.

§. 1264.

Si arteria, venave intercoſtalis, rupta fuit, & ex ea ſanguis cum magno periculo fluit, nova plaga facienda, & arteria, vel lino vincienda, vel digito & admotis linamentis ex alcohol exexpreſſis comprimenda eſt, eademque facienda, quæ ſupra (643.) comprehenſa ſunt.

a Novum ferramentum mihi oblatum eſt, ad comprimendam arteriam intercoſtalem aptatum, cujus iconem vide fig. XIX.

§. 1265.

In vertebris interdum illi proceſſus ſpinoſi, quos in poſteriorem partem exigunt, (1131.) franguntur. Quæ res etiam fa-

cit, ut homo in anteriorem partem ſubinde nitatur. Si illi aliquo modo effracti cum vertebris cohærent, oportet eos excitare, & ad latus ponere pannos denſiores, & ſuperinjicere faſciam. (1261.) Si proceſſus totus perfractus labat, fere melius eſt, cutim contra incidi & eum educi.

§. 1266.

Caſus multo aſperior eſt, ſi ipſæ vertebræ perfractæ & medulla violata eſt. Ea enim pericula ſequuntur, quæ ſupra (1135.) retuli. Nec ulla plerumque hujus rei curatio eſt *a*. Idem caſus manet eos, quorum os ſacrum tranſverſum perfractum eſt. Exteriores partes, ſi fractæ ſunt, non tamen valde colliſæ, vinciendo ſervataque quiete glutinari poſſe exiſtimo. De coccyge ſupra (1151. ad 1153.) dictum eſt.

a Commemorabilem hiſtoriam de viro cum vertebræ fractura per octo annos ſuperſtite vid. in Ephrem. Nat. Cur. Cent. I. Obſ. 1.

§. 1267.

Quod ſi ex pectoris oſſe quid fractum ſit, is locus majoribus periculis expoſitus eſſe ſolet. Nam, ſi id totum caſus perrupit, gravis pleuræ & mediaſtini inflammatio & ſuppuratio, & vitæ periculum, ſequitur. (717.) Etiam os illo loco valde rarum aliis injuriis ſub tenui cute expoſitum eſt, & hac occaſione vitium contrahit. Hoc ſi incidit, tumores ſupernaſcuntur, qui ad ſuppurationem ſpectant, & mala ulcera cum carie relinquunt. Si aliquid ex oſſe inſedit, illud inciſa cute excitandum eſt, obſervatis omnibus, quæ ſupra (558.) præcepi. Si os confractum, niſi alio foramine facto excitari nequit, illud modiolo excidi poteſt: quæ curatio neceſſaria eſt, ubi ſub oſſe in mediaſtino, quod hoc loco celluloſam tunicam inter duas membranas mediam habet, pus, vel alius humor, confluxit *b*. Cetera eadem fiunt, ac de oſſibus vitiatis præcepi. (1046. ad 1064.)

b Hoc morbo laboravit ipſe AVINZOAR, qui eum diſerte diſcribit Lib. II. Cap. VI. de *Apoſtematibus, quæ fiunt in panniculo, quod dividit pectus in longitudinem in duo*. Vid. plura in FREIND's *Hiſtory of Phyſick* T. II. p. 91. & in Operibus p. 494. De perforato ſterno vid. Obſerv. in Commerc. Liter. MDCCXXXI. p. 281. & MDCCXXXIII. p. 410.

§. 1268.

Nec multa de humero, ſi is fractus eſt, proprie dicenda ſunt. Homo collocatur in alto ſedili, & membrum, quod parum attollitur, lentius intenditur a duobus, qui humerum comprehen-

dunt & in diverſa contendunt. Raro neceſſarium eſt, ut hoc habenis fiat, quibus humeri ſuperius inferiuſque caput deligantur. Si os tranſverſum & ita fractum eſt, ut unum os ſuper alterum conſiſtat, neceſſe eſt, ut brachium, quod vel mitella, vel faſcia, vel canaliculo excipitur, adſtrictius & ita ſuſpenſum ſit, ut paulo magis attollatur. Ubi autem os obliquum fractum eſt, hæc vinctura laxior eſſe debet, ut membrum magis dependeat. Si juxta ſuperiorem articulum fractura eſt, illa opinionem luxati oſſis facere poteſt, & articulus in periculum venit, ne rigeſcat. (1214. 1226.) Illi loco non ſatis apta eſt habena, quæ circa membrum volvitur, quare adhiberi poteſt faſcia, quæ duo de viginti capita habet. (1239.)

§. 1269.

At, ſi brachium fractum eſt, inprimis conſiderari oportet alterum os, an utrumque conminutum ſit. Quod enim integrum eſt, alteri auxilio eſſe poteſt. Illud cognoſcitur, ſi membrum manu comprehenditur & altera manu hominis palma in pronum atque ſupinum convertitur. Nam os, quod integrum eſt, ſub prementibus digitis conſiſtit, & renititur, fractum iiſdem cedit. Illud ligamentum, quod inter oſſa medium eſt, (1184.) os fractum ad alterum adducit.

§. 1270.

Valentius extendi oportet membrum, ſi utrumque os fractum eſt. Si vero radius ſolus perfractus eſt, membrum parum, & ita, intenditur, ut manus inclinetur ad minimum digitum, ad pollicem vero, ſi id cubito accidit. In continendis oſſibus omnia curioſius & paulo magis adſtrictis faſciis feruliſque fieri oportet, ſi duo oſſa, eaque obliqua, fracta ſunt. Nam, ubi alterum integrum eſt, plus opis in hoc, quam in faſciis feruliſque, eſſe ſolet. Panni valde anguſti, ſed denſi ac multiplices, nec non ſimiles ferulæ, utrimque inter duo hæc oſſa ſuper ligamentum, quod inter ea medium eſſe dixi, imponenda ſunt, nihil vero horum ſupra infraque & ſuper ipſa oſſa dandum eſt.

§. 1271.

Quod ſi ex palma, manu, digitiſque, aliquid fractum ſit, nihil novi aliud curatio requirit. Ferulæ digitis accommodandæ ſunt, quæ ex charta coacta glutinataque fiunt.

§. 1272.

Ex ſummo femore cervicem frangi, ſupra retuli, (1192.) & notas etiam, quibus id ſcire poſſumus, exſecutus ſum. (1196. 1197.) Numquam os ea parte vinciendo glutinari & membrum in antiquum ſtatum reverti poteſt. Faſcia (1210.) primis diebus injicitur. Nec ignorari oportet, medium femur, maxime ſi illud obliquum fractum eſt, brevius fieri, quia id plenioribus & validioribus muſculis adducitur. Si in femore cum oſſis fractura carnis quoque vulnus acceſſit, id magnis periculis expoſitum eſſe interdum ſolet. Os enim, nec recte tractari, nec facile committi, nec ſatis contineri poteſt. Curioſius magnaque adhibita diligentia omnia agenda, & ferulæ valentiores adhibendæ ſunt.

§. 1273.

In patella quædam quoque ſunt, quæ notemus. Quibus muſculis ligamentiſque illa contineatur, alibi (1203.) dictum eſt. Ea ſuper femur tibiamque innatans, nulli oſſi inhærens, ſi articulus flectitur, ſurſum verſum, ſi extenditur, deorſum, movetur. Plerumque tranſverſa frangitur, id quod incidit, ſi homo, flexo articulo, lapſus, patellam ſaxo, vel alii duro, impingit *a*. Protinus fragmentum, quod ſupra eſt, contractis plenis validiſque muſculis ſurſum movetur, & ab eo, quod infra eſt, multum diducitur. Hoc vitium difficilem curationem habet, quia illud ſuperius fragmentum non ſine negotio adduci, & alteri inferiori, quod in ſede ſua manet, jungi atque multo difficilius contineri poteſt. Majus periculum eſt, ſi patella a parte infima frangitur, vel rupto illo ligamento, (1203.) diſtrahitur *b*. Proximus etiam articuli contracti rigeſcentiſque metus eſt, ſi plura fragmenta ſunt, quod ubi incidit, ſuperincreſcit patellæ nimius callus, qui flexum poſtea prohibet. Maxime tolerabilis fractura eſt, ſi hoc parvum os in longum fiſſum fractumque eſt.

a RUYSCHII Obſ. Anat. chirurg. III. patellam a ſola valentiori extenſione muſculorum ſub flexu articuli fractam vidit. De fracta patella vid. PARAEUS de fracturis Lib. XIV. Cap. 22. & HILDANUS Cent. V. Obſ. 88. PURMANNUS in Chirurg. P. III. Cap. 21. p. 858.

b Vid. *Tranſact. Angl. No.* 365. *p.* 44. *& in the Abridgement Vol. VII. p.* 678.

§. 1274.

Patellam tranſverſam eſſe fractam, deprehenditur, ſi medius

locus inter fragmenta, quæ inter ſe dehiſcunt, cavus eſt, id quod, & oculis, & tactu, cognoſcitur. Quo vero patella iterum in ſedem ſuam reponatur, & fragmenta inter ſe jungantur, neceſſe eſt, membrum collocari in ſcamno, atque, quantum poteſt, extendi, depreſſo etiam miniſtri manibus femore, adductoque ab alio miniſtro crure. Hominem planta pedis contra parietem niti oportet. Interea Chirurgus fragmentum ſuperius manibus digitiſque leniter reducit, pertractatis etiam illis, quibus adhæret, muſculis, (1203.) donec hoc cum inferiori poſſit committi.

§. 1275.

Ut vero patella ſic recondita poſſit coire, a variis varia excogitata ſunt *a*. Optimum eſt, ſi faſcia adhibetur, & patella vinciendo glutinatur *b*.

a PURMANNUS orbem, quem ex filo ferreo & linamentis ſtruxit, adhibuit v. l. c. MASIERO *Opere Chirurgico Ragionamento V. p.* 198. uſus eſt duobus coriis valentioribus, quæ membrum ſupra infraque comprehendunt. Addidit figuram; quæ coria poſt ab aliis mutata fuerunt. GARENGEOT *des Inſtrumens T. II. p.* 300. machinam propoſuit ferream. Sed his omnibus præferenda eſt illa vinciendi ratio.

b Popliti ſubmittitur linteum, quod utrimque duo bacilla paulo pleniora habet, quæ ſtramine linteoque obvoluta ſunt. (1236.) Ferula & ſplenium multiplex denſumque proxime popliti ſubmittitur, interque illum & linteum ponitur, quo arteriæ venæque, quæ per poplitem deſcendunt, cuſtodiantur. Inter membrum & bacilla vero ad latus ejus poni debent multiplices panni, vel, quod fere melius eſt, plures, ſed minores ac tumentes, pulvilli. Super patellam conjicitur linteolum, quod, quadratum, ſed vero & utrimque, & in medio, in longum, fundæ in modum, inciſum eſt. Nam in medio etiam linteolum inciſum eſſe oportet, ut, quamvis deligato membro, patella oculis pateat. Super ſupremam patellæ oram tranſverſe collocatur pannus valde denſus & multiplex, anguſtus vero & paulo adſtrictius convolutus. Super hunc injicitur faſcia, pollicem lata, valentior, medio orſa, qua & ille denſior pannus & illa duo bacilla cum linteo circumdantur. Faſciæ capita, ubi ex poplite ſupra illum denſiorem pannum reverterunt, dexterius ſiniſtra, ſiniſterius dextra, procedunt, utrimque autem ſub poplitem tendunt, ita, ut ille denſior pannus, & cum hoc patellæ fragmentum, deorſum inclinentur & alterum fragmentum verſum adducantur. Sub poplite iterum alterum faſciæ caput ſuper alterum fertur, & interea infra patellam ſuper tibiæ caput collocatur alius pannus, æque denſus, quam faſcia, quæ a poplite venit, ſimili ratione amplectitur. Faſcia ter ad hanc rationem per poplitem illoſque duos pannos circumagitur & adſtringitur. Tandem ſuper illud in medio inciſum linteolum, ipſamque patellam, imponitur aliud duplex, quo os nudum contegitur. Illius vero prioris linteoli quatuor capita, & per hæc etiam ille ſuperior denſiorque pannus ipſaque patella trahuntur, quæ linteoli capita ſiſtuntur eo, quod faſciæ reliquum eſt, dum hujus alterum caput a media patella ſurſum verſum, alterum deorſum, cochleæ in modum, ſerpit, tandemque finitur.

§. 1276.

In crure æque ad rem pertinet, alterum os integrum manere. Ubi tibia fracta eſt, id tactu cognoſcitur, ubi autem ſura, id ſcitur, ſi, ea digitis preſſa, pes in interiorem exterioremque partem convertitur. (1268.) Sura ſi fracta eſt, etiam recte repoſita, difficilius continetur, quare ejus majorem curam haberi convenit. Quoniam hoc membrum inæquale eſt, faſciæ, dum illud circumeunt, invertendæ ſunt, (16.) vel, id quod cavum eſt, impleri poteſt denſioribus gradatiſque pannis. In planta digitiſque nihil ultra fieri debet, quam, quod in his, quæ ſunt in manu, poſitum eſt.

SANGUINIS DETRACTIO PER VENAS.

§. 1277.

Inciſa vena ſanguinem mittere, expeditiſſimum videtur, quod tamen aliquando, ſi venæ latent, neque facile reperiuntur, difficile, & non ſine gravi periculo eſt. Venis enim junctæ ſunt arteriæ, nervi, tendines, & aponeuroſes, quas partes omnes, ſi ſcalpellus attigit, plura genera ſequuntur, in quibus noxa corpori eſt. (428. 448. 449. 426.) Etiam metum facit, ſi ſcalpellus altius demiſſus alteram partem venæ perrupit, ita, ut ex plaga, quæ ſubtus patet, ſanguis feratur, & ἐκχύμωσις oriatur. (712.) Chirurgum, qui ſanguinem mittendo curaturus eſt, oportet vel maxime talem eſſe, qualem CELSUS *a* requirit.

a Lib. VII. Præfat. (vid. II. *a*)

§. 1278.

Ad id utuntur hodie ſcalpello ancipiti, quem *Lanceolam* vocant. Hoc genus fere commodiſſimum eſt, quod id manu ſtabili recte demitti & ita dirigi poteſt, ut illo vena, non tam pertundatur, quam inclinata paulum manu, incidatur. Commode etiam, ſi hoc genus adhibetur, vena ſine periculo majori plaga aperiri poteſt, quæ neceſſaria eſſe interdum ſolet, ubi ſanguis craſſus coactuſque evocandus eſt.

§. 1279.

Aliud genus ferramenti, minus opportunum eſt, quo veteres uſi ſunt. (Germ. *eine Fliete*) Bacillum paulo longius in extremo lateſcens & in aciem tenuatum eſt. Id recipiunt inter duos digi-

tos, aciem venæ imponunt & digito alterius manus in eam ſic deprimunt, ut ſimul cum cute etiam vena aperiatur.

§. 1280.

Alii vero huic ferramento accommodaverunt elaterem, &, præter hunc, eidem adjecerunt minorem laminam, quæ axim habet, quo, ut in torcularibus per cochleam, converſo, illa lamina attollitur & deprimitur. Lamina enim in extremo inflexa & in angulo inciſa eſt, per quam inciſuram deſcendit acies. Lamina ea parte, qua inciſa eſt, imponitur venæ, qua prohibetur, quo minus acies elatere mota altius in venam deſcendere & eam altera etiam parte perrumpere queat. Hoc ferramento minori dolore aperiuntur venæ in pede. Fig. XX. Eo ferramento utatur chirurgus, cujus uſum habet.

§. 1281.

Si vena latet, digitus illi loco prius admovendus eſt, cognoſcendumque, an in propinquo ſit arteria, quam cordis motu ſub digito attolli nemo ignorat. Quo vero vena, quæ incidi debet, inflетur, & ſe oſtendat, oportet illam ſuper locum, quo aperienda eſt, deligare, & digito comprimere. In pede hæc vinctura fere ſupervacua eſt, qua non tam venæ, quam tibia, ſura, & major ille tendo Achillis, premuntur. Si id neceſſarium videtur, ſuper venam denſior pannus poni, & faſcia adſtringi, poteſt. Commodius eſt, pedem in aquam bene calidam demitti. Etiam, ubi venæ in brachio ſe non ſatis oſtendunt, ſpongia calida madens ſuper illum locum, qui incidendus eſt, collocatur.

§. 1282.

Venæ in longum inciduntur, non ita bene tranſverſæ, cum ſic inciſæ non tam facile coëant. Venas tamen exiles obliquas incidi interdum oportet, ut craſſior ſanguis exire poſſit. Ob id etiam expedit, venam infra cicatricem aperiri. Igitur, quibus ſanguis primum mittitur, iis vena, veluti mediana, in ſuprema & a corde propiori parte incidenda eſt. Vena, ex qua ſanguis detractus fuit, digito infra plagam comprimitur, plagæ imponitur panniculus quadratus, & injicitur faſcia. Panniculum ex variis liquoribus exprimere ſolent, reliquis omnibus vero præſtare videtur frigida aqua.

§. 1283.

Sanguinis detractionem requirunt potiſſimum tria. Si ejus co-

pia male habet, illa demitur. Interdum vero hac detractione ſanguinis curſus avertitur, & in aliam partem evocatur. Obſervatione enim compertum eſt, ex ulterioribus locis ſanguinem in eam partem, ex qua is miſſus eſt, aliquantum quaſi trahi.

a Sanguis mittitur propter evacuationem, derivationem & revulſionem. De priori nemo dubitat. Derivationem & revulſionem plures cum ſanguinis vitali motu & circuitu conſiſtere poſſe negant. Sed vero vena, ex qua inciſa ſanguis effluit, minus ſanguini in eam per arterias influenti reſiſtit, quam, ſi illa integra eſt, & ſanguine plena. Ipſe enim in vena contentus & compreſſus ſanguis aliis ſuccedenti moram ponit. Igitur, quia major in vena inciſa facilitas eſt recipiendi ſanguinem, major hujus vis in eam influit, quam in ceteras, quæ integræ ſunt. Et hæc eſt derivatio. Dum vero plus ſanguinis in venam inciſam, & prius in arterias, fertur, ex quibus venæ, quæ ad inciſam venam pertinent, educuntur, illud detrahitur ſanguini in alias arterias fluibundo, quæ res efficit revulſionem. Plurimum etiam confert illud vitale robur fibrarum, quod, tum arteriæ, tum venæ, tum etiam muſculi, aliæque partes, per quas hæ dividuntur, habent. Quemadmodum enim omnis corporis vivi pars, quæ dolore, veluti admotis acrioribus, afficitur, in tumorem levari & inflammari ſolet, id quod accidit, quia major ſanguinis vis fertur ad eas arterias, quas pars, quæ laborat, habet; ita, ſi ſanguini nimia copia peccanti vel propter perniciorem motum in febre aliiſque occaſionibus turgenti exitus inciſa vena datur, is in eam ipſam partem, ex qua is effuſus fuit, evocari videtur. Nam ille motus, quo plus humoris per unam arteriam ac per aliam fertur, a ſolo corde proficiſci nequit. (31.) Vid. GORTERI Compend. Tr. XLVI. §. VIII. p. 235. Per omnem vero ætatem maxima controverſia de eligenda vena in variis morbis, præcipue in curanda pleuritide, fuit, de qua vide RENATUM MOREAU de Miſſione ſanguinis in pleuritide, qui, dum PETRI BRISSOTI Apologiam vitamque ederet, omnium medicorum ſententias de hoc argumento exſecutus, dedit ſuccinctam, ſed doctiſſimam, Medicinæ hiſtoriam. Hæc controverſia quanta contentione VESALII tempore agitata fuerit, diſcitur ex litteris SIMONIS PIETREI ad GUERINUM in Vita BRISSOTI l. c. p. 115. VESALIUS ſcripſit Epiſtolam ad NICOLAUM FLORENATEM, Caroli V. Imperatoris Medicum, de Vena axillari dextri cubiti in dolore laterali ſecanda, Montisferati MDXXXXIV. Libellum ideo adduco, quod a Celeberrimis Viris BOERHAAVIO atque ALRINO, qui VESALII Opera ediderunt, is fuit omiſſus. VESALIUS ejus mentionem facit in Epiſtola de radice chynæ, in Operibus T. II. p. 672. quædam etiam habet DOUGLASSIUS in Bibliogr. Anat. p. 72. Confer, quæ in doctiſſima commentatione de pleuritide habet Celeberrimus mihique amiciſſimus TRILLERUS Cap. II. §. 30. p. 28. Inter recentiores, qui de hoc argumento ſcripſerunt, invenio HECQUETUM, SILVAM, MEURISSEUM, CHEVALIERIUM, MORISSONUM, QUESNAIUM, MARTINUM, omnes Gallos, & BUTLERUM, Britannum.

§. 1284.

Igitur, ſi totius corporis & demendæ materiæ cauſa ſanguis mittendus eſt, id commode ex brachio fit. Si vero ſanguinis curſus avertendus eſt, confert, cum quam longiſſime, ubi lædit, mitti. Nec tamen hoc perpetuum eſt. Nam interdum, in

caſibus repentinis, &, ſi gravis noxa timetur, veluti, ſi calvaria fracta fuit, vel etiam in ipſa pleuritide, ſatius eſt proximum locum prius exhauriri, & poſt in ulterioribus locis iterum ſanguinem detrahi. Si vero ſanguis propius a loco, qui gravatur, emittitur, ejus plurimum, & quantum ægri vires ſuſtinere poſſunt, detrahendum eſt.

§. 1285.

Etiam ſanguis, ſi aliqua parte cum periculo prorumpit, in corporibus plenioribus alia parte mittitur, ut, alio dato itinere, deſinat fluere, qua nolumus. Hæc res prudentiam medentis exigit, ne æger, quem vult levare, effuſa omni vi præcipitetur.

§. 1286.

Etiam in aliis caſibus nocet, ſi nimium, multo ſæpius vero, ſi nimis parum, detrahitur. Non raro præſtat, ubi hæc medicina neceſſaria eſt, illam in biduum dividere, quam nimia detractione corpus repente exhaurire & imbecillum reddere.

§. 1287.

Raro mittitur ſanguis ex venis, quæ per frontem, tempora, & per oculi angulum, qui naribus propior eſt, feruntur. Ex fronte eum mittere nonnulli jubent animo deſipientibus. Illa vero, quæ in cantho interno inter naſum & oculum eſt, inciditur, ubi diutius perſeverat lippitudo. Venas, quæ per oculi tunicam externam decurrunt, aliquando præcidendas eſſe, alibi (299. 312.) docui *a*.

a Ubi ex fronte detractus fuit ſanguis, plaga deligatur faſcia, quam *ſcapham* vocant. In oculi angulo illa faſcia opportuna eſt, quæ aliis oculorum morbis & fiſtulæ lacrymali accommodata eſt, & quæ dicitur *monoculus*. De temporibus protinus dicam, ubi docebo, qua ratione vinciendo glutinanda arteria ſit.

§. 1288.

Etiamnum venæ aperiuntur, quæ ſub lingua ſunt, ſi in variis anginæ generibus fauces cum inflammatione intumeſcunt, & ſpiritus intercluditur. Parum tamen in hoc genere auxilii eſt, ſi minori plaga venæ inciduntur. Si vero majori, vel, ſi illæ præciduntur, naſci poteſt ex ſanguinis profuſione periculum. Sanguis enim non facile ſupprimi poteſt. Nec enim efficacius auxilium eſt, quam, ſi acetum, alcohol, vel alius liquor, ad ſanguinem ſupprimendum valens, (410. 411.) ore continetur.

§. 1289.

Valentior autem medicina adverſus varia morborum genera eſt, ubi ſanguis ex venis colli, ſeu jugularibus, emittitur. Quo illæ ſe oſtendant, colli inferior pars faſcia deligatur. Vena in longum inciditur. Sine negotio ſanguis impoſito panniculo & injecta faſcia ſupprimitur. Uſus hujus medicinæ præcipuus eſſe ſolet, ſi præceps periculum eſt, velut perfracta calvaria, in phrenitide, inflammationibus gravioribus oculorum, (305. 322.) nec non in angina (1287.) Semper vero, inciſa jugulari, ſanguis etiam juxta talos mitti debet *a*.

a Vid. Doctiſſimi Viri TRALLES Comment. de Vena jugulari.

§. 1290.

Ex brachio ſi mittendus eſt, inciditur frequentius mediana. Huic ſubjecta eſt aponeuroſis bicipitis, quam, ſi ſcalpellus attigit, inflammationes ſequuntur. Baſilicæ, quam in dextro brachio hepaticam, in ſiniſtro ſplenicam, appellant, juncta eſt arteria & nervus. Cephalica tenuis conditaque utplurimum eſſe ſolet.

§. 1291.

In corporibus plenis rariſque brachii venæ interdum latent, quare aperienda alia eſt in manu. Ea, quæ, ex vena baſilica educta, ad minorem digitum pertinet, dicitur ſalvatella, altera, a cephalica incipiens, ad metacarpum tendit, & inter hunc & pollicem deſcendit. Omnes hæ venæ frequentius inter ſe per alias medias committuntur. Tenues ſunt, &, quo magis prodeant, oportet manum in calidam demitti.

§. 1292.

Crebrius autem juxta talos inciduntur venæ, & minori periculo illa, quæ, ex crurali educta, ad malleolum internum fertur & ſaphæna vocatur. Si vero res cogit, alias magis conſpicuas aperiri, cura adhibenda eſt, ne tendo lædatur. Quies imperanda eſt ægro, ne, vel ſanguis iterum erumpat, & ne, id quod crebrius incidere ſolet, plagæ inflammatio ſuperveniat *b*.

b Hoc etiam ex aliis occaſionibus fieri compertum eſt. Si acies ſcalpelli retuſa, vel, ſi aqua, in quam pes demittitur, impura eſt, vel ſi plaga ſpongia abſtergitur, cui arena, aliæque ſordes, adhærent.

§. 1293.

Major illa vena, quæ ad colem per hujus ſupremam partem

deſcendit, interdum, ſi membrum magna inflammatio cum tentigine tenet, aperiri poteſt. Magna cura habenda eſt, ne nervus & arteria, quæ etiam huic venæ junctæ ſunt, lædantur. Vena detumeſcente membro coit, & comprimitur impoſito panniculo atque injecta faſcia, illi ſimili, quam *unientem* vocant, de qua ſupra dictum eſt. (515. 1205.)

§. 1294.

Qualis curatio eſſe debeat, ſi ſcalpello arteria inciſa, (446.) vel nervus tendoque violatus, (448. 449.) vel ex vena ecchymoſis orta fuerit, alibi dictum eſt. (446. 454. 723. 724.)

§. 1295.

Solent etiam ſanguinem mittere ex arteriis, præcipue iis, quæ per tempora diſcurrunt. Nam, quoniam arteriæ non facile coëunt, non alia arteria temere incidenda eſt, quam, quæ ſubjectum os habet, &, quæ ob id valentius poteſt comprimi *a*. Utilis hæc ſanguinis detractio eſſe ſolet, ubi majus periculum ex apoplexia naſcitur, vel, ubi major oculi inflammatio, & ex magna lippitudine exulceratio corneæ, timetur. Etiam illa in hominibus plenioribus quandoque adverſus amauroſin poteſt, & fuerunt, qui ſine manifeſta cauſa ſubito obcæcati hac ratione lumen receperunt.

a MARTINUS, Medicus Monſpelienſis, jubet etiam in deſperatis pectoris morbis arteriam, quæ ad manum fertur, & cui ſubjectus radius eſt, incidere. *Traité de la Phlebotomie & Arteriotomie*, p. 481.

§. 1296.

Homo in ſedili collocandus eſt, ſic, ut caput in alterum latus inclinatum ſit. Is, qui curaturus eſt, digitum admovere debet, ut arteriam ſe attollentem, nec nimis magnam, nec nimis tenuem, inveniat. Locum notare poteſt atramento. Demittitur in arteriam ſcalpellus, vel anceps, vel, qui fere magis aptus eſt, alius. Tranſverſa non tam inciditur, quam præciditur, arteria. Plurimum ſanguinis ex ea detrahi debet.

§. 1297.

Sanguis vero, qui cum impetu erumpit, (353.) ubi ſatis fluxit, ſupprimendus eſt. Super ipſam plagam ponitur charta maſticata, ex alcohol expreſſa, ſuperimponuntur panni minores valde denſi atque gradati. In inferiorem pannum conjicitur nummus, faba, vel aliud quid durum. (24.) Ex fa-

ſciis vero non alia idonea eſt, quam ea, quæ *nodoſa* appellatur *a*.

a Hæc, quam etiam *ſolarem* vocant, parum differt ab ea, quam MEEKREN Obſ. XXXVIII. p. 165. delineatam dedit. Habena valentior, ſed anguſta, pollicem lata, in duo capita glomerata, a medio & ſuper plagam orſa, caput amplectitur. Ubi duo capita iterum ſuper plagam, & huic impoſitos pannos, venerunt, unum ſuper alterum, & ſuperius ſuper verticem, alterum deorſum, ſuper maxillam inferiorem, ad alterius lateris tempus fertur, & ibi hæc capita aliquantum, ſed parum, ſimplici nodo, adſtringuntur. Ab eo vero tempore duo capita iterum ſuper locum veniunt, in quo plaga eſt, & ſuper hanc inter ſe vincta & paulo valentius adducta nodum accipiunt. Iterum hæc capita caput hominis circumeunt, atque, ubi ſuper plagam venerunt, alterum nodum ſuper priorem accipiunt. Eadem ratione tertius nodus nectitur, ita, ut nodus ſuper nodum collocetur. His autem faſcia adſtringitur & panni, aliaque, quæ plagæ impoſita ſunt, valenter apprimuntur.

§. 1298.

Sanguis etiam mittitur, ſi cutis ſcalpello conciditur, & ei cucurbitula ita imponitur, ut, dum ea inhæreſcit, ſanguis extrahatur. Cutis conciditur, vel ſcalpello ad id aptato *b*, vel machina, in qua plures ſcalpelli elatere moventur *c*. Super conciſam cutim cucurbitula aptatur, &, ut ea recte impreſſa inhæreſcat, prius in illam linamentum ardens conjicitur. Deducitur poſt cucurbitula, &, ubi ſanguis nondum fluere deſinit, ſpongia ex calida expreſſa exterguntur plagæ & nova imponitur cucurbitula. Plures, & diverſis partibus, & non ſolum cuti conciſæ, ſed etiam integræ, aptantur imprimunturque cucurbitulæ, ſi materiæ curſus a nobili parte averti debet.

a Vid. figura in HEISTERI Chirurg. Tab. XII. fig. 2.
b c. l. fig. 4.

§. 1299.

Antiquiſſimum hoc medicinæ genus eſt, & quod ſæpe in morbis longis, præcipue oculorum, capitis, aurium, plurimum profuit. Ad id quoque confugiendum eſt, ubi in corporibus plenis rariſque nullæ venæ patent & ſine periculo incidi nequeunt. Etiam hæc ſanguinis detractio remedium eſt adverſus magnos laterum dolores, præſertim ſi his nulla febris acceſſit *c*. Obſervatione compertum eſt, cucurbitulas, conciſa prius cute, occipitio utiliter admoveri, ſi in capite acutus ac peſtifer morbus eſt, veluti cephalæa, apoplexia, nervorum reſolutio, marcor, & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas, præcipue, ſi hæc vitia a ſanguine, non ab alio humore, naſcuntur *d*.

c Vid. Diſſ. de Vena ſine pari in MORGAGNI Adverſ. V. p. 83.
d Vid. Illuſtris AUGUSTINI FRIDERICI WALTHERI Diſſ. de ſcarificatione occipitis, Lipſiæ Anno MDCCXLI.

§. 1300.

Quoniam ſanguinis profluvium, quod ex naribus contingit, ſæpe alios morbos levat, non pauci, ut eum ex naribus detraherent, varias machinas adhibuerunt.

a Vid. ARETÆUS, de Cephalææ curatione, in Morborum Chron. Curat. Lib. II. Cap. 2. p. 128. ALPINUS c. l. Lib. III. Cap. II. p. 168. Diſſert. mea de Scarifat. oculorum.

§. 1301.

Alia ratione veteres, conciſa cute, ſanguinis magnam vim, præcipue ex pedum malleolis, extrahere ſoliti ſunt. Hoc auxilio, niſi id pluribus crudele videretur, plures morbi tolli levarique poſſent, præcipue, ubi non tutum videtur, ſanguinem ex vena mitti.

b Vid. GALENUS de Hirudinibus Cap. IV. T. X. Edit. Chart. p. 455. ANTYLLUS & APOLLONIUS in ORIBASIO Lib. VII. Cap. XIX. & XXI. in Collect. H. STEPHANI p. 315. & 317. Etiam ÆTIUS diſtinguit τὴν σικύαστιν ἀπὸ τῆς ἐγχαράξεως Lib. III. Cap. 20. & 21. p. 50. Edit. Ald. Hanc medendi rationem in uſu eſſe apud Ægyptios, diſcimus ex ALPINO de medicina Ægyptiorum Lib. III. p. 166. ſeqq. qui iconem addidit, & ex MANNO, qui epiſtolam de hoc argumento dedit ad HIERON. FABRICIUM AB AQUAPENDENTE. Hic enim, hanc medicinam in peſte, & aliis graviſſimis ac deſperatis morbis, ſaluberrimam eſſe, experientia edoctus, profitetur. Eam autem, ut crudelem, repudiavit CORTESIUS Miſc. Med. Decade VII. p. 381. Conf. FREINDS *Hiſtory of Phyſick* P. I. p. 16. in Opp. p. 379. & Diſſert. mea de Scarifatione oculorum.

SUFFUSIO.

§. 1302.

Suffuſio, Græcis ὑπόχυσις, vel ὑπόχυμα, aliis Cataracta, dicitur, ſi vel lens κρυσταλλώδης, vel ejus velamenta, tunica ἀραχνώδης, qua includitur, & ὑαλώδης, qua vitrei humoris ſinus, cui lens inſidet, cingitur, quas naturaliter perlucentes eſſe oportet, opacæ factæ ſe luci opponunt, & hanc per ſui medium haud tranſmittunt.

Nemo ignorat controverſiam de hoc, quod ex frequentioribus eſt, oculorum vitio, & vera ejus ſede. Hiſtoriam poſt Celeberrimum HEISTERUM in Diſſ. de Cataracta & Glaucomate & PETITUM Medicum in C. A. R. Sc. MDCCXXV. p. 8. ſingulari ſtudio conquiſivit Doctiſſimus Vir MORGAGNUS in Epiſtolis Anatomicis XVIII. & XIX., quibus in VALSALVÆ Diſſert. II.

Anatomicam commentatus eſt . Veteres enim , & inter hos CELSUS , Lib. VII. Cap. VII. GALENUS Definit. Med. §. 363. T. II. CHARTERII p. 271. & in Introductione , quæ ei vulgo tribuitur , Cap. XVI. c. l. p. 392. PAULUS Lib. III. Cap. 22. p. 35. & L. VI. Cap. 21. p. 83. Ed. Ald. aliique fere omnes , exiſtimaverunt , in humore aqueo inter uveam & lentem concreſcere humorem , eumque paulatim indureſcere . GALENUS & PAULUS diſtinguunt ἀπὸ τῆς ὑποχύματος τὸ γλαύκωμα , in quo , naturalem lentis colorem in glaucum mutari docent . Hæc ſententia per plura ſæcula omnium medentium animis inſedit , tum , quod illa auctoritate GALENI , quam maximam fuiſſe novimus , confirmata eſſet , tum , quod exiſtimarent , omnem videndi facultatem a lente potiſſimum proficiſci . Præterito autem ſæculo , ſuffuſionis veram ſedem lentem cryſtallinam eſſe , primus demonſtraſſe videtur FR. QUARREUS , Medicus & Chirurgus Pariſienſis clarus , a quo illud CHRISTOPHORUS SCHELHAMMERUS , & ab hoc GUERN. ROLFINCIUS in Diſſert. Anat. L. I. Cap. XIII. p. 179. acceperunt . Alii hujus rei inventorem ac principem REMIGIUM LANIERIUM , Chirurgum & Lithotomum Pariſienſem , fuiſſe prodiderunt , id quod GASSENDUS confirmare videtur , qui hoc ab eximio Pariſienſi Chirurgo , cujus nomen haud addit , obſervatum demonſtratumque fuiſſe docuit in Phyſica Sect. III. Membro II. L. VII. Operum T. II. p. 371. Conf. BRISSEAU in Præfat. & PALFIN Anat. Chirurg. T. II. p. 386. *Les Remarques ſur le Cours des Operations de* M. DIONIS *par* DE LA FAYE , p. 554. Etiam id præterito ſæculo a multis aliis , & inter hos , a ROHAULTIO Tr. Phyſ. P. I. Cap. XXV. §. 7. PETRO BORELLO in Append. ad Cent. III. Obſerv. med. p. 279. fuit propoſitum . Vide MORGAGNUM l. c. Plures tamen maluerunt veterum ſententiam conquiſitis rationibus tueri , quam rem experimentis inveſtigare . Tandem ab initio hujus ſæculi BRISSEAU , Medicus , & ANTONIUS MAITRE JEAN , Chirurgus , fere eodem tempore , inciſis poſt mortem oculis , cognoverunt , in ea chirurgia , qua ſuffuſioni mederi ſolemus , ex ſede ſua moveri & deprimi lentem . Mathematicorum etiam , & præ ceteris VOPISCI FORTUNATI PLEMPII in Ophthalmographia L. III. Cap. XIV. p. 107. obſervatione , jam dudum probatum erat , lentem ad cogendos ſibique & axi appropinquandos lucis radios , præter id vero ad videndi facultatem , nihil facere , hominem etiam ſine lente videre poſſe , præcipue , ſi oculi acies vitro adjuvetur gibbo . Egregie hoc confirmaverat curatio Cl. PETITI , Chirurgi . Hic lentem opacam ex oculo per inciſam corneam extraxit in homine , cui ſuffuſio bis acu deducta totidem redierat , & tandem per pupillam in partem , vel vulgo ſic dictam cameram , anteriorem tranſierat . Nam homo eo oculo videre potuit , & , vitro adjutus , etiam unciales litteras legere . Vide BRISSEAU *de la Cataracta* pag. 167. & ex hoc HEISTERUM de Cataracta §. 19. p. 57. Confer. H. A. R. Sc. MDCCVIII. p. 47. Cum Celeberrimus HEISTERUS in Libro de Cataracta hanc novam ſententiam de hujus vitii ſede & natura ſingulari ſtudio confirmaſſet , pluribus tamen vetuſta & plane inſita opinio evelli non potuit . Ab hac enim ideo deduci non potuerunt , quod minores tunicæ , vel pelliculæ , interdum in oculis eorum , qui ſuffuſione laboraverant , poſt mortem eſſent repertæ , quarum exempla vide in PALFIN *Anatomie Chirurgicale* T. I. p. 387. Etiam ii , qui admota acu ſuffuſionem curaverant , ſæpe illud , quod ſe intus pupillæ oppoſuerat , ſine negotio non ſolum poterant diducere , ſed etiam lacerare & in partes conſcindere . Nam tenuem & ex craſſo humore concretam tunicam , vel pelliculam , acu facilius ita lacerari poſſe , quam ipſam , quæ majorem duritiem habet , lentem , omnibus ſine ambitione verum quærentibus viſum fuit . Interea vero , cum hæc controverſia in magna inconſtantia apud medentes verſaretur , acerrimus prioris opinionis &

veterum defensor fuit WOOLHOUSIUS, Ophthalmiater Doctissimus, quo olim magistro in his rebus usus sum. Hic enim, lentem vitium contrahere & lumen amittere, non negavit; illud tamen valetudinis genus, cum veteribus, in quorum lectione multum versatus erat, glaucoma dicendum esse voluit. Vid. *les Dissertations sur la Cataracte & le Glaucome*, quibus Celeberrimus HEISTERUS & Apologiam & Vindicias sententiæ suæ opposuit. Excitati fuerunt doctissimi & tum in secandi, tum medendi arte exercitatissimi viri, qui novam diligentiam investigandis his rebus adhibuerunt. Principes sunt SALVATOR MORANDUS, Chirurgus Parisiensis, & doctrina, & arte clarus, & præ ceteris omnibus, qui haud ita pridem obiit, FRANCISCUS PETITUS, Medicus, quorum prior in Hist. A. R. Sc. MDCCXXII. p. 21. ostendit, interdum non tam lentem, quam aliquam tunicam, se pupillæ opponere. Hanc vero non a coacto humore proficisci, sed a tunicis illis, qua lens cingitur, & quas supra descripsi. Alter vero, PETITUS, exploratis summa diligentia omnibus oculorum partibus, etiam hanc sententiam amplexus est, & ab ea novam medendi viam traxit. De nonnullis tamen cum MORANDO dissentire videtur. Negat enim, id quod prior affirmaverat, lentis exteriorem oram cum velamento, quo includitur, seu cum tunica, cohærere; sed multis docet, hanc lentem, in suo velamento, sine nexu liberam, quasi fluctuare, & singulari ratione humore, qui inter eam & velamentum reperitur, ali. C. A. R. Sc. MDCCXXX. p. 624. In qua re PETITUS cum ANTONIO MAITREIAN concinere videtur, qui idem Cap. XII. p. 14. declaraverat. Negat etiam PETITUS, opacum fieri hoc velamentum, qui etiam variis experimentis didicit, nec illud facile fieri, si ei, ex oculo extracto, varii liquores, quibus lenti pelluciditas aufertur, superfundantur. Etiam asseverat, se semper in oculis cum suffusione mortuorum reperisse lentem opacam, hanc vero tunicam perlucentem c. l. MDCCXXX. p. 634. Interdum quidem hanc tunicam obscuram videri, id vero incidere a corrupto eo, qui inter eam lentem est, humore, & hunc tunicæ illi inhærescere. Alii tamen PETITO contradicunt, qui sæpe hanc tunicam crassam turgidamque & opacam invenerunt, & hoc probabiliter ex inflammatione fieri, demonstraverunt. Præterea PETITUS, illam tunicam ὑαλοειδῆ, qua sinus vitrei cingitur, duplicem esse, ostendit, & in ea invenit canalem humore plenum, quo lens comprehendi dicitur. Vid. H. A. R. Sc. MDCCXXVI. p. 111. Medendi vero viam, quam ab his observationibus traxit, nullibi satis dilucide, optime tamen, quantum novi, in Epistolis, declaratam invenio, quarum duas priores Anno MDCCXXIX contra HECQUETUM, tertiam Anno MDCCXXXII. contra WINSLOVIUM edidit. Conf. C. A. R. Sc. MDCCXXV. p. 8. & MDCCXX. p. 320. Jubet enim eos, qui suffusionem curaturi sunt, non totam lentem cum velamento suo ex vitrei sinu excutere & deducere, sed illam tunicam, seu velamentum inferius, in posteriori parte acu aperire, & post per hanc factam plagam lentem ita exprimere, ut tunicæ illius pars anterior integra maneat. Addit, sic hominem melius visurum esse, si, emota depressaque lente, velamentum illud a parte anteriori integrum, iterum, vel aqueo, vel vitreo, humore impleatur, gibbumque fiat, & hominem pòst curationem vitro fere non indigere. PETITUM secutus est temerarius ille & famosus JOHANNES TAYLOR, qui ceteroquin omnibus, quæ PETITUS, aliique, de oculorum natura morbisque proposuerunt, ludicræ subtilitatis affectatione & circulatoria jactatione tenebras magis obduxit, quam lucem attulit. Accepi tamen, eum hanc a PETITO inventam medendi rationem satis feliciter imitatum fuisse. Hic duo genera cataractæ statuit, alterum verum appellat, alterum spurium. Prius nasci censet, si illæso nihilque mutato velamento lens ex aliqua sua parte

alienetur, &, mutato ejus naturali habitu, colore, pelluciditate, ſitu, figura, & magnitudine, magis contrahatur. Alterum vero genus dari, ſi, cum lente, vel tota, vel aliqua ejus parte, reſoluta & intumeſcente, etiam velamentum vitium contrahat, & utraque pars obſcuretur. Superaddit his glaucoma, cujus ſedem etiam in lente ponit. In hoc totam lentem cum velamento ita intumeſcere, dicit, ut tandem pupilla diffundatur, & dilatetur, atque μυδρίασις cum ἀμαυρώσει ſequatur. Veram cataractam oriri, addit, a valentiori lentis, atque ejus velamenti, preſſione. Hanc fieri a muſculis oculum moventibus, &, eam ob cauſam, illos, præ aliis, hoc vitio laborare, qui, vel aſſidua lectione, vel alia ratione, acrem oculorum aciem in aliquam rem intendere ſoliti ſint. Etiam quandoque incidere, ut, ictu illato, muſculi lædantur, convellanturque, ita, ut, iis contractis, adeo prematur lentis velamentum, ut id valde tenerum rumpatur, & lens repente omnem pelluciditatem amittat, atque in humorem aqueum, & illud ſpatium, quod naturaliter inter lentem & vueam eſt, cameram poſteriorem vocant, transeat. In pedetentim vero naſcente vitio, etiam, ſi id adoleverit, hominem quædam, e latere poſita, melius videre, quam, quæ pupillæ recta ſint oppoſita. Jubet TAYLOR eos, quibus hujus morbi metus eſt, vitare aſſiduam lectionem, omneque aliud opus, quod intentam oculorum aciem requirit. Illius vero generis, quod cataractam ſpuriam vocavit, notitiam, peti poſſe ab ipſa cauſa, oſtendit, cum poſt oculi gravem inflammationem & φλεγμονὴν naſci ſoleat. Nam etiam lentis velamentum, in quo jam a RUYSCHIO Theſ. II. Tab. I. fig. VIII. p. 78. arteriæ fuerunt repertæ, aliquid inflammationis habere, ſi reliquæ oculi tunicæ, præcipue choroidea, ea correptæ fuerint. Confer PETITUM in C. A. R. Sc. Anno MDCCXXX. p. 226. Inflammatione autem ſoluta, aciem pedetentim hebeſcere, atque indies magis caligare, ita, ut homo ea, quæ e latere poſita ſunt, non magis videat, quam quæ ex adverſo. Illud, quod intus in horum oculo cernitur, a pupilla propius eſſe & colorem habere albidum ac fere cœruleum. Nam lentem ipſam, eamque omnem, diſſolvi ac liquefieri. Igitur, cum ſub velamento, atque inter hoc & lentem, humor ſubeſſe ſoleat varie craſſus atque coloratus, plerumque albidus, has cataractas a nonnullis ciſticas, cum velamento ſuo contineantur, & ab humore, lacteas, vel purulentas, fuiſſe appellatas. De glaucomate vero TAYLOR contendit, illud naſci a totius corporis malo habitu, vel cachexia, & præcipue a redundante in humidis pituita. Corruptos enim humores, in lentem transfuſos, efficere, ut illa tota cum duritia intumeſcat: Ob id plerumque graves diuturnoſque, tum capitis, tum oculi, dolores antecedere glaucoma, eoſque, intumeſcente lente preſſiſque interioribus oculi partibus, augeri, donec, ut tandem omne lumen amittatur, & ἀμάυρωσις ſequatur. Nam tandem illam oculi tunicam, quæ videndi facultatem præſtat, quam TAYLOR, cum MARIOTTO, choroideam, alii, &, quantum opinor, rectius, retinam eſſe, exiſtimant, ab indurata lente preſſam ſentiendi facultatem amittere. Eamdem ob cauſam etiam diffundi dilatarique pupillam. In his oculis ab initio lentis colorem parum mutari, eum vero tandem glaucum fieri, vueam autem a lente preſſam multum anteriora & corneam verſum promoveri addit. Vid. TAYLOR's *Treatiſe on the Diſeaſes of the cryſtalline Humour*. Hæc ideo adduxi, non, quod illi homini magnam fidem habendam eſſe exiſtimem, ſed, quod his ea, quæ PETITUS propoſuerat, paulo magis patefieri ac illuſtrari, crediderim. Alia plura & egregia addiderunt VALSALVA & MORGAGNUS c. l. Ex his enim non pauca, & illud præcipue, diſcimus, ſuffuſionem etiam naſci ex vitiata illa tunica, qua ſinus vitrei, cui lens inſidit, cingitur, & quæ ab ὑαλοειδεῖ proficiſcitur. Uterque enim hoc obſervatione ex inciſis poſt obitum oculis

confirmavit. Igitur, ſi ſuffuſio, quæ prius acu curata fuit, non repente, ſed poſt aliquod tempus, & pedetentim, revertit, id vitio hujus velamenti, quod, ex obſervatione MORGAGNI, mucum quoque exſudat, incidere poteſt. Vid. VALSALVA Diſſert. Anat. II. §. XVII. T. I. p. 146. & MORGAGNUS Epiſt. XVIII. §. 23. T. II. p. 334. Niſi me omnia fallunt, illud jam certi habemus, veræ cataractæ ſedem eſſe eam, quam dixi. Et quamvis nec MORGAGNUS Ep. XVIII. §. 13. XIX. §. 8. illud omnino negare noluerit, dari ſuffuſiones in humoris aquei parte, ſeu ſic dicta camera poſteriori, illæſa lente, ex coacto crudoque humore natas, illud tamen compertum eſt, nec hanc pelliculam ſine lentis ipſius læſione poſſe acu deduci. Lentem vero, ſi affecta ſauciataque eſt, obſcuram fieri, aliis obſervationibus diſcitur. Vid. Obſerv. PETITI de magnitudine duarum ſic dictarum camerarum oculi in C. A. R. Sc. MDCCXXIII. p. 54. & MDCCXXVIII. p. 295. & 408. Videntur etiam melius curari poſſe ſuffuſiones, ubi velamentum pellucidum & integrum eſt, quam, ubi illud etiam vitium contraxit, & ubi, morbo per vetuſtatem confirmato, omnia multum inter ſe cohærent. A vero enim propius eſt, illas ſuffuſiones, quæ, quamvis acu iterum atque iterum, & quoque valentius, preſſæ, infra pupillæ regionem deduci nequeunt, vel, quæ etiam deductæ, mox iterum redeunt, & quæ, ſi tandem inferiori parte inſidunt, magnam inflammationem movent, tales eſſe, in quibus lens vitiata cum ſuo velamento concrevit, & cum proceſſibus ciliaribus cohæret, a quibus ſine negotio & gravi eorum offenſione, hypopyi etiam metu, non poteſt diduci. Hoc enim in earum ſuffuſionum curationibus, quibus vetuſtas acceſſit, potiſſimum fieri, novimus. Vide de la FAYE c. l. & BENED. DUDDELLS *Treatiſe of the Diſeaſes of the Horny-Coat of the Eye, and the various Kinds of Cataracts*. Cap. III. p. 107. Hæc paulo fuſius & uberius exſequi volui, cum ex his perſpicuum ſit, jam melius exploratam eſſe ſuffuſionis ſedem atque naturam. Et omnes, qui artem faciunt, monendi ſunt, ut per ea, quæ experientia in ipſis curationibus docebit, hæc vel refellant, vel magis confirment, & ut indicia, non ſolum communia, ſed variis ſuffuſionibus propria, ſimulque, quid de ſingulis, vel ſperari, vel timeri debeat, atque etiam his omnibus accommodatam curationem, oſtendant. PETITI ſupra commemoratam medendi rationem, quam TAYLOR, more ſuo, verboſius expoſuit, deſcribere non audeo, quare me in ea ſuffuſionem curandi ratione, quæ jam olim, cum morbi natura nondum ſatis perſpecta eſſet, in uſu fuit, continebo.

§. 1303.

Ex naſcente recentique ſuffuſione oculus caligare incipit, ut ægro quaſi nubecula obverſetur. Hæc indies, mox celerius, mox tardius, craſſior apparet, & tandem ſe interiori potentiæ ita opponit, ut illa etiam extrinſecus alius intuentis oculis pateat. Inveteraſcente ſuffuſione acies magis & magis hebetatur, tandemque omnis amittitur *a*.

a Monendi ſunt tirones, ea, quæ oculis ſic obverſantur, non ſemper ſuffuſionem indicare. Nam id ex aliis cauſis incidere poteſt, veluti, ſi in cornea ex inflammationibus puſtulæ & ulcera oriuntur, vel, his curatis, cicatrices manent. Etiam ſi crudus ſuccus, vel pus, ex choroidea & proceſſibus ciliaribus inflammatis in humore aqueo coiit; & ſi in vitreo, nec non in retina, vitium eſt; & præcipue, ſi ſub hac in choroidea arteriæ venæque, quæ, vel ſanguini, vel lymphæ, accommodatæ ſunt, intumuerunt,

ex quibus non raro ἀμάυρωσις ſequitur. Vide in PITCARNII Diſſ. Med. Theoriam morborum oculi p. 206. Ipſe homo melius has maculas cernere poteſt, ſi is cælum ſerenum, per chartam acu minori perforatam, cui niger, vel viridis color inductus eſt, contuetur.

§. 1304.

Eſt tamen differentia. Interdum enim ſuffuſio pedetentim naſcitur, & oculi inter initium parum, tandem vero magis caligant. Alii vero ex ea ſubito, & intra paucos dies, obcæcantur; id quod incidere potiſſimum ſolet, ſi ictus oculum graviter læſit, & rupta, vel inflammata, fuit illa ἀραχνώδης lentis tunica.

§. 1035.

Ipſa etiam ſuffuſio varie colorata eſt. Habet enim colorem lacteum, cinereum, glaucum, aureum, plumbeum, raro cæruleum, viridem & rubicundum. Quid de ſingulis ſperari poſſit, protinus dicam.

§. 1306.

Si ſola lens opaca fit & contrahitur, illa vero tunica ἀραχνώδης integra eſt & pellucens, homo inter initia melius videt ea, quæ e latere poſita ſunt, quam, quæ ex adverſo. Etiam fere noctu & in tenebris, quibus pupilla diffunditur, is melius videt, quam interdiu & in magna luce. Tunicam vero ἀραχνώδη corruptam eſſe, cognoſcitur ex prima origine, & morbo, qui hoc vitium attulit. Nam naſci ſolet ex inflammatione, qua etiam diſcuſſa, longe celerius acies hebeſcit, ac caligat, ita, ut brevi omne lumen amittatur. In hoc ſuffuſionis genere nullus ſenſus lucis relinquitur, nec homo in tenebris, & ſi pupilla dilatata eſt, melius videt. Ipſa autem ſuffuſio, quæ intus conſpicitur, albicans eſt, & quaſi rugoſa.

§. 1307.

Primum genus cataractæ naſci videtur, ſi ille ſuccus, qui naturaliter inter lentem & ejus velamentum eſt, & a quo illa alimentum accipit, deficit. Lens enim contrahitur, arida fit & opaca. Id, præ ceteris, iis incidit, qui dies noctesque legunt, ſcribunt, vel aliud opus, veluti cælatum, intentis oculis perficiunt. Dum enim muſculi oculorum recti valentius adducuntur, (id quod fieri neceſſe eſt, ſi ea, quæ coram ſunt, & propiora, contueri volumus) lenti apprimitur velamentum, quæ res prohibet, quo minus ille humor ex ipſo velamento exire & ſecerni poſſit. Dum vero lens non recte alitur, illa, prout dictum

eſt, corrumpitur. Interdum, ſi oculus extrinſecus percuſſus eſt, id etiam contractis valentius per inflammationem muſculis incidere ſolet.

§. 1308.

Lentis autem velamentum, vel tunica ἀραχνώδης, vitiatur, ſi illa repente rumpitur, ita, ut interdum lens, quam etiam corrumpi neceſſe eſt, in anteriorem oculi partem, quæ inter corneam vueamque eſt, tranſeat. Hoc vero oculo vehementer percuſſo incidere, mox retuli. Ceteroquin ex variis occaſionibus in choroidea atque proceſſibus ciliaribus inflammatio movetur, quæ oculi φλεγμονὴ (281.) dicitur. Nam hæc, ſi magna eſt, etiam in illud lentis velamentum evocatur, & huic vitium adfert. Interdum inflammatio movetur, ſi in humidis corrupta crudaque materia eſt, quæ, dum in omne corpus diducitur, etiam in oculorum teneriores partes, atque hanc tunicam venit, in arterias lymphæ accommodatas, transfunditur, ſubſiſtit, & itinera intercludit. Huic periculo ii ſubjecti ſunt, quibus corporis habitus corruptus eſt, & præcipue, quos catarrhus diu multumque vexat, nec non alii, qui non humentibus, ſed ſicceſcentibus, naribus ſunt, vel qui earum emunctionem negligunt. Nam pituita, quæ per nares excerni nequit, in oculum converti quandoque poteſt. Etiam itinera illa, per quæ humor ferebatur, ſi vexata laxataque ſunt, excæcantur, id quod incidere poteſt, ſi ictus oculum extrinſecus graviter læſit. Periclitantur etiam ii, quibus venereus morbus mercurio fuit curatus, & ii, quibus in capite alii peſtiferi morbi, & vehemens præ ceteris dolor, fuit. Nec minus alii, quibus corpus imbecillum, rarum atque obeſum eſt, & qui illud ignavia, ſomn-, ſatietate, venere, hebetant atque ſolvunt, vel, qui ex loco ſalubri in gravem veniunt, aut corpus calore relaxatum ſubito frigore excipiunt *a*.

a Vitiata hac tunica, neceſſe videtur, etiam lentem vitiari. Eſt tamen obſervatio commemorabilis SANTORINI, qui lentem diaphanam invenit, membranam vero, quæ candidas ſtrias, radiorum in modum compoſitas, habuit. *Obſ. Anat. Cap. IV.* §. 4. *p.* 82. Confer MORGAGNUM c. l. Ep. XVIII. §. 19. p. 329.

§. 1309.

Scire etiam neceſſarium eſt, ex inflammata illa tunica κρυσταλλώδει interdum pus inter eam & lentem coire, quod genus ſuf-

fuſionis, cum humor in hoc velamentum contractus inveniatur, cataractam cyſticam, alii purulentam, alii, quod ille humor lactis cremori ſimilis eſſet, lacteam, appellaverunt *a*. Etiam ipſa lens liqueſcere nonnumquam videtur, & in ſimilem humorem verti *b*. Interdum ea contracta atque opaca & aliter colorata illo corrupto humore comprehenditur *c*.

a Vid. TAYLOR'S *Treatiſe on the Diſeaſes of the Chryſtalline humour Cap. V. p.* 23.

b Vide Obſerv. HEISTERI in oculo canis in Ephem. N. C. Cent. IV. Obſ. 198. aliam VALSALVÆ in homine in MORGAGNO c. l. Ep. XVIII. §. 17. p. 326.

c In vetula inveni hoc cataractæ genus, in qua multus humor lacteus in lentis velamentum, vel tunicam κρυσταλλοειδη, contractus erat, in ipſo vero humore lentem opacam, luteolam, & quæ vix majoris lenticulæ eſculentæ magnitudinem habuit. Vid. Programma, quo Anno MDCCXXXVI. d. XVII. Martii ſectionem publicam cadaveris indixi, ex quo hanc obſervationem etiam adduxit Celeberr. MORGAGNUS c. l.

§. 1310.

Proximum his vitium in lente cryſtallina eſt, ſi ea cum ſuo velamento multum & ita intumeſcit, ut reliquæ oculorum partes ab ea premantur. Hoc his indiciis cognoſcitur: Oculus durus, digito renitens, attollitur, & magis, quam naturaliter conſuevit, prominet. In eo gravitatis quidam & doloris ſenſus eſt. Intus in oculo illud, quod ſe opponit, colorem habet marinæ aquæ. Tandem, ſi malum inveteravit, pupilla dilatatur, & accedit μυδρίασις. Quoniam vero, & vitreus humor, & retina, a lente, quæ multum intumeſcit, premuntur, perit omnis videndi facultas, & oritur ἀμάυρωσις. Glaucoma hoc vitium vocant. Aliud vero glaucomatis genus eſt, ſi vitreus humor intumeſcit, corrumpitur & obſcurus fit. Is tamen longe frequentius diſſolvitur, & oculus, qui caligat, concavus fit atque flaccidus, qui prementi nihil renititur. Neceſſe vero eſt, corrupto vitreo humore, etiam lentem vitiari.

§. 1311.

Primum genus ſuffuſionis quandoque victus ratione & idoneis medicamentis averti poteſt, atque etiam, ubi illud jam ad maturitatem pervenit, manu curari. Pejus videtur alterum, quod in eo non ſola lens, ſed etiam hujus velamentum, cum illa quandoque tunica, qua vitrei humoris ſinus cingitur, vitium contraxit, & acu deduci debet. Spem etiam felicis curationis facit ipſe ſuffuſionis color, quem ex albido cæruleum, vel pa-

rum flaveſcentem, eſſe oportet, &, ſi oculus, nec durus eſt, nec nimis mollis, & ſi ei ſenſus aliquis lucis relictus eſt, ita, ut in tenebris pupilla aliquantum contrahatur, in luce vero dilatetur. Vix ſanabilis eſt ſuffuſio, quæ colorem habet, auro, aëri, vel ferro polito, ſimilem, ſi illa ex graviori & diuturno morbo, majoribus capitis doloribus, vel ictu vehementiori, atque oculi phlegmone, orta eſt. Nec fere ulla ſpes iis eſt, qui ſine hoc vitio, & ante naſcentem ſuffuſionem, aciem hebetem habuerunt, in quibus plerumque amauroſis accedit. Hoc magis timeri debet, ubi pupilla, amiſſa naturali figura, in aliam ſe vertit, ſi illa multum diffuſa & immobilis, oculo vero nullus ſenſus fulguris relictus eſt. Neque oculus exiguus, neque concavus, neque durus atque prominens, curationi opportunus eſſe ſolet. Neque idonea eſt ſenilis ætas, ac ne puerilis quidem, ſed inter has media. Etiam conſiderari oportet corporis habitum, qui, ſi corruptus, & aliquod vitium in humidis eſt, mali morbi & minus proſperæ curationis periculum facit. Glaucoma inter initia per victus rationem & medicamenta, quæ noxiam materiam digerunt, & in inferiora depellunt, diſcutitur. Si vero adolevit, nullam curationem recipit.

§. 1312.

Si oculi caligant, & ſuffuſionis metum faciunt, experiri licet auxilia per victum & medicamenta. Medendi vero rationem ab evidentibus cauſis inſtrui oportet. Qui igitur ex ſuffuſione caligare cœperunt, eos numquam oportet, oculos ad ſcribendum legendumque, vel aliud opus faciendum, frequenter intendere, ſed ab omni negotio, quod firmam oculorum aciem exigit, abſtinere. Obſervatio major neceſſaria eſt rerum communium, ad ſanitatem vero neceſſariarum, veluti, ut alvus, & in feminis menſtrua, reſpondeant, ut, ſi in viris hæmorrhoides ſanguinem fundere ſolitæ ſunt, illæ non ſupprimantur, cum oculorum imbecillitas, ſuffuſio & glaucoma, ſæpe ex his oriri ſoleant. Si ſanguis copia peccat, is detrahendus eſt, tum inciſa vena, tum conciſa cute, admotiſque cucurbitulis. Interdum, ſi ejuſmodi vitia hominem celerius corripiunt, eo maturius auxilia efficaciora rapienda ſunt. Igitur, ſi phlegmone oculum tenet, ſanguis ex jugulari vena, imo etiam ex arteria, mittendus, & palpebris crebrius adhibenda eſt ξύσις, (298.) admotis & impoſitis

omnibus, quæ adverſus oculorum φλεγμονὴν poſſunt. (292. 305.) Si in humidis pituita abundat, oportet eam expellere, & curioſo victu cavere, ne inutilis materia corpori ſuperſit. In his caſibus, & in corporibus adſtrictis, plurimum proficere ſolent minerales aquæ, quas diu & iterum potare oportet. Etiam proſunt, quæ urinam movent, & ex his, præ ceteris, ſuccus millepedarum ſylveſtrium, quarum viginti, triginta, & ſub finem plures, vivæ ex vino in mortario teruntur. Vinum autem horis matutinis per plures dies bibendum eſt. Etiam utile eſt, cutim exulcerari, vel admotis cantharidibus, (937. 938.) vel fonticulis, (926. ad 934.) vel, id quod maximam efficaciam habet, ſetaceo, (939.) ut malæ materiæ exitus ſit. Si aliud vitium in humidis eſt, danda ſunt decocta & medicamenta ex mercurio, purgandis humidis apta: ſi poſt gravem ſanguinis profuſionem oculi hebeſcunt, & harum valetudinum metum faciunt, danda ſunt jura, ex quibus radices & herbæ, quæ aperiendi vim habent, decoqui poſſunt. Ubi vero oculus, qui caligat, intumeſcit, duruſque fit, non inutilia ſunt fomenta ex herbis emollientibus, a quibus ſub finem, ſi aliquid ex tumore & duritia minuitur, ad diſcutientia tranſeundum eſt. Sæpe enim vitium his tollitur, ſi prius adhibita fuerunt auxilia, quæ mox præcepi, & quæ noxiam materiam depellunt. Nam ſine his fomenta pernicioſa eſſe quandoque poſſunt.

§. 1313.

Si vero hac medendi ratione illa vitiorum genera non inter initia diſcutiuntur, videndum eſt, num manus curatio adhiberi poſſit. Hæc potiſſimum locum habet in primo genere ſuffuſionis, ſi non multum inveteravit. Nam ultimum genus, ubi, & lens, & ejus velamentum, vitium contraxerunt, curationi non ita idoneum eſt. Etiam ſupervacua, imo non ſine periculo, eſt curatio per manum, ſi ea adhibetur glaucomati, vel ſuffuſioni, cui μυδρίασις & ἀμάυρωσις acceſſerunt. Atque ipſius quoque ſuffuſionis quædam maturitas eſt. Exſpectari igitur oportet, donec ſuffuſio duritiem aliquam non nimiam habere videatur, cujus rei indicium eſſe ſolet, ſi homini lucis & rerum, quæ oculis obverſantur, aliquis ſenſus relictus eſt; is vero, nec has, nec colores, ſatis diſcernere poteſt. Si tempus eligere licet, curatio, vere, eſſe debet, vel autumno, nondum ortis, vel jam fra-

ctis æstibus. Etiam ratio servanda est menstruorum & hæmorrhoidum, quarum venæ, si sanguinem fundunt, curationem minus exspectari debet, si humor in nares, fauces, vel pulmonem, destillat, & frequentes tusses, screatus atque sternutamenta, vel in capite dolorem, in corpore febrem, movet. Necesse etiam est, ut eo die, quo æger curabitur, cælum apertum sit, serenum, haud nubilum, vel caliginosum. Et eum, qui curaturus est, recte valere oportet, cum ad hanc rem, & oculorum acies clara atque acris, & manus strenua ac stabilis, requiratur.

§. 1314.

Ante curationem alvus aliquoties ducenda, & homo per aliquot dies modico atque minus valenti cibo alendus est. Potioni vero præstanda est aqua, vel ptisana, aut alia ex potionum generibus imbecillissima. Quæ omnia plurimum ad avertendam inflammationem facere possunt, cujus quandoque metus esse potest. Eo ipso die ante curationem iterum alvus lotione immissa solvi debet, ne desidendi necessitas ægrum surgere cogat.

§. 1315.

Acu res agenda est, non tamen nimis acuta, nec nimis tenui. Si enim nimis acuta est, lædi possunt minores arteriæ atque venæ in uvea & processibus ciliaribus. Si autem nimis retusa est, ea ægrius, & non, nisi premendo, demittitur. Optima esse videtur, cujus mucro paululum tenuatus, latior, non vero nimis acutus est. Habere debet manubriolum, & in hoc signum, ut, si acus demissa fuerit, sciri possit, qua parte ea plana sit, qua tenuata. Fieri potest acus ex ferro, satis duro, non vero fragili. Fere tamen melior est, quæ ex auro fit, quod crebrioribus mallei ictibus duratur. Si ex ferro est, magnam curam adhiberi oportet, ut omnis rubigo exteratur. Ob id illa, priusquam oculo admovetur, trajici potest per pannum laneum densum, qualis purpureus esse solet, & hujus fricatione lævigari. Etiam, antequam demittitur, per labra, saliva madida, duci potest.

a Veteres usi sunt acu rotunda valde acuta. Vide figuram in BARTISCH P. V. p. 65. qui ceteris argenteas præfert. TAYLOR, qui novam illam medendi rationem proposuit, acu utitur paulo latiori, cujus vero mucro, altera parte gibbus, altera planus est. Vid. l. c. Cap. XI. p. 33. Eam delineasse videtur SHARP Tab. X. p. 169. Is vero mediante phlebotomo prius scleroticam incidit, viamque facit, per quam acum demittit. Etiam utitur ferramento, quod speculum oculi vocant. Sed hac ratione vix prohiberi pot-

erit, quo minus per plagam hiantem, ſi oculus illo ferramento premitur, efferatur aqueus humor. Hoc vero ſi incidit, collabitur, & cornea, & vuea, & vix ſine noxa deduci poteſt ſuffuſio. Hoc notatum quoque invenio in *the Supplement to* KENNEDYS *Ophthalmographia*, quæ acerbior cenſura eſt in varios auctores, præcipue CHESELDENUM p. 97.

§. 1316.

Opus eſt medicamento ad coërcendam inflammationem opportuno. Optimum eſt, quod componitur ex alumine uſto, ſaccharo Saturni, vel aëris flore, quem tutiam vulgo appellant. Hæc excipiuntur ovi albo, &, adjecta aqua roſarum, ſpatula agitantur miſcenturque. Ex hoc autem liquore exprimitur panniculus, qui protinus ante curationem ſuperdatur alteri oculo, injectaque faſcia adſtringitur.

§. 1317.

Locus lucidus eſſe debet, ut chirurgus ferramentum in hominis oculo cernere poſſit. Nimia tamen lux, ſi oculo aliquis ejus ſenſus relictus eſt, efficere poteſt, ut pupilla ſe nimium contrahat. Quare homo non lumine adverſo ſedeat, ſed, ut lux e latere in oculum, qui curabitur, admoveatur. Adverſo ſedili, paulo altiori, inſideat chirurgus. Caput a miniſtro continendum & immobile præſtandum eſt. Etiamnum duo alii a lateribus objiciuntur, qui hominem labare non ſinunt. Levi enim motu eripi acies in perpetuum poteſt. Linamentis igitur & pannis ſuper alterum oculum impoſitis, eoque deligato, oculus, qui curationem ex manu poſtulat, digitis ſuper palpebras collocatis, leniter perfricandus eſt, ut minores venæ, quæ acu lædi non debent, inflentur & ſe magis oſtendant. Homo vero monendus eſt, ut oculum naſum verſum moveat & immobilem faciat. Tum chirurgus altera manu palpebras diducit, altera acum admovet. Curari vero ſiniſter oculus dextra manu, dexter ſiniſtra, debet. Acum, quam ea ratione prehendit, qua ſcribentes calamum ſolemus, ita in oculum demittit, ut digitus minimus, & alter, huic proximus, hominis tempori & angulo oculi huic propiori innitatur.

§. 1318.

Demittenda eſt acus, recta, per tunicas, loco fere medio inter corneam & angulum tempori propiorem, ita, ut nulla vena lædatur. Is locus opportunus eſt, qui a cornea ſpatio duarum

linearum diſtat *a*. Quamprimum acus in oculum penetravit, ea inclinanda ad ipſam ſuffuſionem eſt, & vertendo altius imprimenda. Ubi ad ſuffuſionem ventum eſt, ita inclinari debet manubrium, ut mucro acus, & ejus pars plana, ſupremæ ſuffuſioni admoveatur. Hæc paulatim deprimi & infra regionem pupillæ deduci debet. Ubi hanc tranſiit ſuffuſio, ea paulo vehementius acu imprimi debet, ut inferiori parte ſub humore vitreo inſidat. Si hæſit, & homo ea, quæ ante oculum obverſantur, videre poteſt, curatio expleta eſt. Protinus vero oculus obductis palpebris contegendus eſt, ne nova lux eum offendat. Acus educi debet, commiſſis prius palpebris. Omnia curioſius agenda ſunt, ne interiores oculi partes lædantur.

a Per quam partem acus in oculum demitti debeat, ſingulari ſtudio exſecutus eſt PETITUS, Medicus, in Comm. A. R. Sc. MDCCXXVI. p. 370. qui oſtendit, lædi proceſſus ciliares, ſi ad unam lineam oculus perforetur. Si vero hoc fiat ad tertiam, quartamve, lædi aponeuroſin muſculi abducentis. Hujus autem læſionem ſequi vomitum, nauſeam, aliaque mala. Igitur concludit, aptiſſimum locum eſſe, qui a cornea aliquid ultra duas lineas diſtat. TAYLOR l. c. Cap. XI. p. 33. acum ita demittit, ut inter corneam & locum, quo oculus perforatur, ſpatium ſit unius lineæ cum dimidio.

§. 1319.

Poſt hæc linamenta ex illa miſtura (1315.) expreſſa imponi, & oculus devinciri debet. Primo die, tertia quaque hora, linamenta, cum inaruerunt, iterum madefacienda ſunt, ut inflammatio coërceatur. Si hujus major metus eſt, ſanguinem mitti oportet. Numquam vero ante ſeptimum diem palpebræ diduci debent, cum inſueta lux oculum concitare poſſit, & efficere, ut ſuffuſio redeat. Quiete opus eſt & abſtinentia. Homo ſupinus cubet, ita, ut caput excitatum ſit. Cibus primis diebus non alius aſſumendus eſt, quam liquidus, ne maxillæ laborent. Ultimis diebus linamenta ex aqua tepida, cui parum ſpiritus ardentis admiſceri poteſt, exprimi poſſunt, & ſuper oculos dari.

§. 1320.

Septimo circiter die relevandus eſt homo, reſolvenda faſcia, aperienduſque oculus in loco obſcuro. Ubi is videt, neceſſe eſt, ut clauſis feneſtris ſe in tenebris contineat, quo oculus pedetentim luci adſueſcat; ob quam rem etiam oculus panniculo quadrato, quod viridem, vel cœruleum colorem habet, commode contegitur, qui vero non faſcia adſtringitur, ſed ita accommodatur, ut præ oculis pendeat.

§. 1321.

Incidere poteſt, ut ſub hac curatione vitiata & e ſede ſua mota lens per pupillam in illum locum, qui inter corneam & vueam eſt, veniat. In hoc caſu præcipiendum eſt ægro, ut ſupinus & in tenebris jaceat, quo lens iterum per pupillam in antiquam ſedem revertat, quæ deinde demiſſa in oculum acu infra regionem pupillæ deduci & imprimi poteſt, ut inferiori parti inſidat. Si vero illa manet, & dolorem movet atque inflammationem, protinus incidenda eſt cornea, & lens per hujus plagam volſella, vel minori hamulo, educenda. In hac curatione omnia ſimilia debent eſſe iis, quæ in hypopyi curatione præcepi. (321. ad 323.) Nec alia adhibenda eſt, ſi ex læſa arteria, venave, major ſanguinis modus in oculum effuſus eſt, quem protinus, & antequam is inflammationem concitat, evocari oportet. (321. ad 323.)

§. 1322.

Eſt quoddam ſuffuſionis genus, quod, cum nullam curationem recipiat, expoſuiſſe ſatis erit. Suffuſio ſuo loco eſt, quæ vero, quaſi tremula, ſemper labat. Hoc accidit, ſi proceſſus ciliares, quos cum velamento lentis cohærere ſupra retuli, fuerunt aliqua parte diſrupti & a ligamento ciliari diducti. Aliud genus eſt, quod non ſolum labat, ſed huc atque illuc ita movetur, ut lens opaca, qualis in ſuffuſione eſſe ſolet, pupillæ oppoſita, mox cernatur, mox iterum quaſi evaneſcat. Oculus eſt concavus & ſine duritia, pupilla vero diffuſa, & quæ naturalem figuram amiſit. Naſcitur hoc genus vitii, ſi vitreus humor colliquefactus eſt, cui arida lens innatat. Nec hoc ulla arte eliditur.

ΑΜΑΥΡΩΣΙΣ.

§. 1323.

Caligare nonnumquam oculi conſueverunt, ſine lippitudine, aut ſuffuſione, ſi nervus opticus, & illa tunica, a qua videndi poteſtas proficiſcitur, reſolvuntur. Quibuſdam acies ſenſim pedetentimque hebeſcit, ac tandem caligat, aliis vero ea repente eripitur, qui ſubito occæcantur. Si uterque oculus lumen amiſit, vel ſi vetuſtas acceſſit, accedit Μυδρίασις. (1307.)

§. 1324.

Hæc oculorum reſolutio ex variis cauſis naſcitur, veluti ſi in oculos hominis, qui diu in tenebris omni luce orbatus fuit, repente coruſca & ſplendens omnemque viſum præſtringens lux admittitur, vel ſi in febre ardente, hujuſque ipſo impetu, ſanguis ex talo mittitur. Quandoque hæc vitia poſt comitialem morbum relinquuntur: In quibus caſibus omnibus vix umquam opitulari poſſumus. Eamdem vero imbecillitatem quandoque facit humor, quo cerebrum & optici nervi premuntur. Iidem reſolvuntur interdum ex ictu, vel, ſi podagra, aliuſve morbus, male, & reprimentibus, curatus fuit. Adverſus hos morbos, ſi ii oculum non nimium occupaverunt, experiri licet ea, quibus malæ materiæ exitus datur. Ferramentis candentibus exulcerari debet ſummum caput, & cutis poſt aurem. (938.) Utiliter etiam, præcipue, ſi homini, cum his, continens ſomnus, nulla vero febris eſt, admoventur cervici & tergo cantharides. (937. 938.) Ulcus etiam, vel ſic dictum ſetaceum, fieri poteſt in nucha; (939.) quæ ulcera diutius ſervanda ſunt.

§. 1325.

At, ſi ἀμάυρωσις orta fuit poſt magnam ſanguinis profuſionem, vel poſt concubitum, qui frequentior, vel numero, vel natura, ratione ætatis & corporis, fuit, optima præſidia ſunt, quæ a victus ratione petuntur. Dari debent jura carnium, obſervatis iis, quæ alibi (418.) præcepi. Etiam prodeſt gelatina, & potio, quæ ex nucleis cacao paratur. Poſt venerem, &, ſi poſt ſanguinis profluvium verendum non eſt, ne ſanguis iterum erumpat, dari etiam poteſt vinum meracius. Extrinſecus caput, & hujus ſuturæ, omne etiam corpus, linteis aſperioribus aſſidue & frequenter perfricari debent. Proficiunt etiam thermæ, vel naturales, vel arte compoſitæ, ſi ex alto in caput deſtillant. (1217.)

§. 1326.

Interdum iis, qui ex hac imbecillitate caligare ſolent, nulla pituita ex naribus fertur. His proficit, ſi ſubinde vapor aquæ calidæ, ex qua etiam herba majorana commode coquitur, naribus ſubjicitur. Tenacior pituita ſternutamentis elidi debet.

§. 1327.

At enim, ſi id eſt ex malis ulceribus, ſi ἕρπης, (919.) por-

rigo, (922.) ſcabies, aliaque ulcerum genera, extrinſecus admotis reprimentibus prohibita, fuere, proficere poſſunt curationes, quibus humida purgantur, & ſudor etiam evocatur. Alii, qui ex morbo venereo lumen amiſerant, illud receperunt, concitato per mercurium ſalivæ profluvio. Hoc fieri poteſt, ſi oſſa, in poſteriori orbitæ parte, vel horum membrana, ex vitio intus orto, intumuerunt, quod vitium illa curatione diſſipatur.

§. 1328.

HIPPOCRATES dixit, ex vulneribus, quæ ſuperciliis inferuntur, lumen amitti. Et VALSALVA aliquando mederi potuit oculo, qui a roſtro galli Indici eo loco percuſſus, & protinus occæcatus fuerat. Perfricuit ſupercilium ea parte, ubi ex orbita nervus, qui ramus nervi ophthalmici eſt, educitur.

Nervus ophthalmicus eſt prior trium ramorum majorum, in quos nervus quinti paris dividitur, qui etiam, ubi hi nervi in orbitam feruntur, cum nervo tertii paris committitur. Ab hoc autem muſculi oculum moventes nervos & movendi poteſtatem accipiunt. Muſculi nervum opticum comprehendunt, quem, ſi convelluntur, valentius comprimere poſſunt. Hæc cauſa eſſe videtur illius caliginis, ex vulnere ſuperciliorum ortæ, quam HIPPOCRATES animadvertit. Nam, nervorum inter ſe junctorum implicationes quandoque maximas commotiones in corpore præſtare, vel ſternutamenta probant, quæ etiam ex affecto minori nervo, qui ab eodem nervo ophthalmico ad nares pertinet, moventur. Vide locum HIPPOCRATIS in Coacis Prænot. Sect. III. n. 391. T. I. Edit. Lind. p. 573. VALSALVAM Diſſert. Anat. II. & in hunc Celeb. MORGAGNI Epiſtolam XVII. & XVIII. Confer programma de Vulneribus ſuperciliis illatis, cur cæcitatem adferant, quo Anno MDCCXLI. Panegyrin medicam indixi.

ΣΤΡΑΒΙΣΜΟΣ.

§. 1329.

Strabones dicuntur, quibus oculi diſtorti ſunt, & inæqualiter moventur. Hoc interdum fit mala conſuetudine, ſi pueri aciem diu multumque in ea, quæ a latere, vel propius ab oculis, ſunt, oblique flectunt. Vel, ſi unus oculus, morbo quodam affectus, diu opertus fuit. His lux & omnia, quæ contueri cupiunt, ex adverſo & magis remota eſſe debent. Ubi puer adolevit, eradicanda eſt conſuetudo, alia, & priori contraria; ad quam rem plurimum facere poteſt, ſi puer in ſpeculo diu & ſæpe obtutum in proprios oculos figit, & quidem, ut rectum recto, lævum lævo, oculo acriter & diu conſideret. Hoc fere melius eſt, quam, ſi in oculos illigantur juglandium puta-

mina, quæ parte anteriori, quæ pupilla obverſa eſt, foramen habent, quibus etiam efficitur, ut oculus, ſi homo eo videre cupit, recte vertatur *a*. Nonnumquam intus in oculo proceſſus ciliares, qui ex ligamento ciliari educuntur, & qui lentem cum ſuo velamento in ſede ſua continent, atque etiam, ſi ea, quæ coram ſunt, intueri volumus, illam ad corneam adducunt, ex aliqua parte reſoluti ſunt, & vi ſua deſtituti. Nam, ſequitur, ut ex altera parte, ubi fibræ integræ ſunt, illæ contrahantur & adducantur, atque ut ipſa lens cum ſuo velamento in eam partem vertatur & adducatur. Quo vero, ſi talis homo ea, quæ coram ſunt, videre cupit, pupilla ex adverſo oblique collocatæ lentis ſit, oculus muſculis ſuis paulo in eam partem contorquendus eſt. Hoc etiam fieri ſolet, ſi oculus ex alio vitio, veluti corneæ ulceribus & cicatricibus, caligat, quare ille muſculis in eam partem vertitur, per quam melius homo cernere poteſt. Vel, ſi omnis acies erepta in amauroſi fuit, is quaſi negligitur, & non movetur. Si, id quod in pueris rhachitide ægris frequens eſt, inæqualiter intumeſcunt oſſa, & præcipue ſphenoideum, per cujus foramina nervi ad oculos feruntur, premi ſolent nervi, qui ad muſculos pertinent, & reſolvuntur. Quæ nervorum reſolutio ex aliis quoque cauſis fieri poteſt. Plerumque tamen oculi ita diſtorquentur, ſi orta a vulnere, vel variolis, aliiſque occaſionibus, magna ſuppuratione, muſculi læſi ſunt & contracti. Quibuſdam hoc vitium a nativitate eſt, quibus in partu ab obſtetrice oculus vexatus fuit. Aliis illud hæreditarium eſt, quorum parentes etiam oculis obliquis & diſtortis fuere. Si ab his cauſis hæc imbecillitas relicta fuit, nulla ope adjuvari poteſt. Ea tamen fœdior eſſe ſolet, ubi fortunæ hominis negligentia quoque acceſſit *b*.

a Vid. BARTISCH P. II. p. 13.
b Vid. PORTERFIELD *in the Medical Eſſays Vol. III. Obſ. XII. p. 160.*

URINÆ REDDENDÆ DIFFICULTAS.

§. 1330.

Venio ad ea, quæ circa urinæ itinera & veſicam oriri ſolent. Urina interdum non redditur, cujus rei plures cauſæ ſunt. Quandoque vitium eſt in renibus, vel in ureteribus, per quos

urina in veſicam deſtillat. Id vero ex dolore intelligitur, qui lumbos, &, id quod ſuper inguina eſt, occupat: accedit frequens vomitus. Locus vero ſub pectinis oſſibus, quæ veſicam tuentur, nec tumet, nec dolet. Hujus vitii curatio a Medicis requirenda eſt. Ubi vero veſica a ſuo humore diſtenditur, eo loco ſub pectine & tumor eſt, & dolor. Tumor etiam digito occurrit, in viris, ſi in anum demittitur. Ubi valde intenta eſt veſica, inflammatio cum metu gangrænæ excitatur, & æger inter miſeros cruciatus etiam cibum & bilem per os reddit. Interdum ſibi urina in veſicæ cervice viam facit, & per ulcus, ex gangræna, vel ſuppuratione, natum, erumpit.

§. 1331.

Si veſicam inflammatio tenet, id quod ex dolore, febre, & aliis indiciis, (1329.) ſciri poteſt, protinus ſanguis mittendus eſt ex brachio, dandaque ſunt, quæ leniunt. Proficit decoctum radicis altheæ, hordei, fl. verbaſci, papaveris rhœados; vel componi poteſt ex ſeminibus papaveris & amygdalis cremor, quibus omnibus parum nitri adjicitur. Homo etiam in balneum demitti, vel ejus abdomini oleum anethi illini, poteſt. Balneum vero nocet, ubi jam inflammatio adolevit, & in ſcroto gangrænæ metus eſt. Nec illa decocta utilia ſunt, ubi veſica jam multum diſtenditur. Si vero malum his vinci non poteſt, oportet urinam manu emoliri, vel demiſſa in urinæ iter & veſicam fiſtula, quam Græci καθετῆρα vocant, vel, ſi hæc demitti non poteſt, facta plaga & perforata extrinſecus veſica. De quibus curationibus protinus dicam.

§. 1332.

Nec urina efferri poteſt, ſi ejus iter collapſum eſt, id quod ſenectute fit, vel, ſi medulla, quæ per ſpinam fertur, & ex qua nervi ad veſicam pertinent, læſa, & nervi reſoluti ſunt *a*. In hoc caſu ſæpe res poſtulat, quoties urina urget, eam toties demiſſa in veſicam fiſtula evocare. Ex hoc vitio fere ſemper contrarium naſcitur, ut pòſt homini urina ſine voluntate deſtillet. Auxilio eodem etiam quandoque egent, quibus, quod diu continuerunt, veſica multum intenta, & ob id ejus tunicæ laxatæ fuerunt. Fiſtula in veſica relinqui poteſt, & in eam etiam immitti decoctum, quod in veſica aliquem ſenſum excitare poteſt. Cum hordeo coquitur ex aqua herba hyſſopi, marrubii,

majoranæ, rutæ, alchymillæ, & adjicitur parum, octava circiter pars, aquæ vulnerariæ. Ubi vesica iterum ad consuetudinem suam & pristinum robur rediit, id quod interdum post plures dies accidit, recipitur fistula. Oportet vero hominem monere, ut frequentius mingat, ne vesica multa urina in eam contracta iterum distendatur laxeturque *b*.

a Urinæ suppressionem ex luxatis vertebris lumborum vide in Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. IV. Obs. 126. p. 257.

b Catether, ubi is in vesica relinquitur, septimo circiter quoque die educendus atque purgandus est, cum is ea materia, quæ ex urina desidit & ei inhæresçit, asperior fieri, & urinæ iter offendere possit. Etiam ad id idonei sunt catetheres flexiles, quos infra describam, vel, qui ex plumbo facti sunt, parum incurvi, nec valde longi.

§. 1333.

Observatione compertum est, laxata intentaque vesica, aliquando super pectinis ossa tumorem manere, quamvis urina provenire videatur. Hæc res nonnullis opinionem fecit, ibi suppurationem futuram esse, qui etiam ad aperiendum tumorem consilia dirigere non dubitaverunt. Ubi vero tandem fistulam in vesicam recte compulerunt, magna vis urinæ profusa est, & omnis tumor desedit. Non difficile est, abscessum a tumore, qui ex levata vesica nascitur, discernere. Abscessus durior est, vel in parte media mollior, hunc vero tumorem sibi ex omni parte æqualem esse oportet.

c Vid. qui omnium optime de urinæ reddendæ difficultate scripsit, FRANC. COLOT *de l' Operation de la Taille p.* 264. Conf. DE LA FAYE in notis in DIONYSII Librum p. 202. Si vesica multum intenditur, oriri potest hernia vesicæ, de qua §. 794. 851.

§. 1334.

Urinam etiam naturaliter reddi, prohibent quædam, quæ se intus opponunt. Interdum cruenta, vel purulenta, ex renibus descendunt. Incidere potest, ut sanguis in vesica cogatur & pòst laboriosis nixibus magnisque doloribus excernatur, qui, sic per urinæ iter expressus, lumbrici figuram accipit *d*. Raro alii verique vermes hoc iter intercludunt *e*. Longe frequentius calculus prolabitur. In omnibus his casibus fistula demitti, &, id quod se opposuit, emoveri debet.

d Vid. Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. VI. Obs. 46. p. 88.

e Vid. Jo: RHODII Obs. Med. Cent. III. Obs. 36. p. 157. Eph. Nat. Cur. Dec. II. A. I. Obs. 77. p. 183.

§. 1335.

Caſus aſperior eſt, ſi veſicæ varii generis tumores increverunt. Hoc plerumque in parte interiori incidit, ſi veſica exulcerata, vel aſperiori calculo, etiam medicamentis valentioribus, urinam moventibus, agitata fuit. Tumores interdum duri ſunt, ſine dolore, alii molles, carni putri ſimiles, qui tactu dolorem excitant. Et hæc tubercula prohibent, quo minus veſica ſe contrahere & urinam exprimere poſſit. Hujus vitii hæc curatio eſt. Veſicæ ea ratione, qua iis, quibus calculus eximendus eſt, inciditur, & illa tubercula medicamentis lenioribus, quæ pus movent, in plagam demiſſis, in pus vertuntur *a*.

a V. COLOT. p. 274. qui etiam, carnem putrem & tubercula exteriori veſicæ increſcere, oſtendit, quod vero morbi genus nullam curationem recipere poteſt.

§. 1336.

Vulgatiſſimum vero vitium eſt, quando in urinæ itinere tumores naſcuntur, qui illud præcludunt, &, nec urinam efferri, nec fiſtulam demitti, ſinunt. Homini urinæ crebra cupiditas, ſed magna difficultas eſt, quæ guttatim, ſub acerbiſſimis doloribus, redditur. Hæc res, & ſumma illa urinæ difficultas, plures fefellit, & opinionem fecit, in urinæ itinere, ex putri carne, natas eſſe carunculas; id quod vel ideo a vero propius viſum fuit, quod hoc valetudinis genere iis præ ceteris conflictandum eſt, quibus diu purulenta ſanies ex cole effluxit, & quibus hæc maligna & venerea gonorrhœa alienis reprimentibuſque medicamentis fuit tentata. Igitur, hac conjectura ducti, præſidium petierunt a medicamentis rodentibus adurentibuſque, quæ in urinæ iter, vel per fiſtulam argenteam, ad id accommodatam, bacillo, vel etiam cereo, illita, dimiſerunt, ut tumores illos tollerent *b*. Sed non raro curatio minus feliciter ceſſit, & illorum valentiorum medicamentorum uſu, omnia exaſperata, & graves etiam inflammationes concitatæ fuerunt. Inciſa autem cadavera oſtenderunt, id, quod urinæ iter præcludit, non putrem carnem, vel carunculam eſſe, ſed frequentius callum & cicatricem ex malo ulcere, poſt gonorrhœam, relictam *c*. Nonnumquam intumeſcit ille eminentior locus in urethra, carunculam ſeminalem, vel caput gallinaginis, vocant, ubi & veſiculæ ſeminales & glandula proſtrata, per minores fiſtulas, exitum habent *d*.

Interdum vero alia itinera, præcipue ea, quæ ex glandulis, quas COVVPERUS delineavit, & mucoſas vocavit, educuntur, a mala materia intumeſcunt, & cum ea ad urinæ iter pertineant, hoc præcludunt *e*. Nec a vero alienum eſt, quod alii prodiderunt, laxari intus in urinæ itinere, interiorem tunicam, & venas præter modum intumeſcere ac varicoſas fieri *f*. Incidere tamen poteſt, ut, quæ olim plurimorum fuit ſententia, jam vero vix non ab omnibus relicta, ulceribus, in urinæ itinere ſerpentibus, putris caro ſupercreſcat, vel ut alia naſcantur tubercula, quæ medicamenta requirunt, ad continendum exedendumque putrem carnem idonea *g*.

b Jam GALENUS *Lib. I. de Locis affectis Cap. I. T. VII. Edit.* CHARTERII *p.* 381. tria potiſſimum eſſe ſcripſit, quibus urinæ iter præcludi ſoleat. Aliquando corpus ipſum (urethræ) intumeſcere, ut nullum iter relinquatur, idque fieri, vel ex inflammatione, vel ſcirrho, vel abſceſſu, vel alio tumore. Nonnumquam carnem ex ulcere, calloſum corpus (cicatricem) ex craſſo lentoque humore naſci. Interdum vero ſe opponere, vel calculum, vel cruentum, vel pus, vel craſſum lentumque humorem. Dicit, ſe vidiſſe aliquando hominem, cui caro, urethræ innata, catethere demiſſo, fuerit rupta, ita, ut urina & cruenta & carnoſa traxerit. Cum vero ſæculo decimo-ſexto in Europam adveniſſent venerei morbi contagiones, ab India occidentali profectæ, illæque latius manarent, & totam fere Europam adflictarent, longe plures a medentibus opem adverſus hanc valetudinem petierunt. Horum non pauci, circa medium illius ſæculi, excitati fuerunt, & inter hos principes ANDREAS LACUNA, *Segovienſis*, & ALPHONSUS FERRIUS, quorum prior Anno MDLI. Romæ; alter Anno MDLIII. Lugduni, ſingulari induſtria, de hac caruncula ſcripſerunt. Hi autem, & fere omnes, qui eos ſecuti ſunt, medicamenta rodentia, medio cereo, in urinæ iter demittenda præceperunt. Vide variorum medicamentorum ab Auctoribus adhibitorum compoſitiones, in FRANCISCO RONCALLO, qui etiam novum inventum ſuperaddidit. Propoſuit enim fiſtulam flexilem, vel, ut vocat, vermicularem, ex argento factam, & faſcia tenui ſericea ſuper eam conſuta, comprehenſam. Hac fiſtula media, carunculæ melius admoveri medicamenta, & ipſam etiam fiſtulam, ſi res illud poſtulare videatur, per plures dies in urinæ itinere atque veſica relinqui poſſe, oſtendit. Vid. FRANCISCI RONCALLI Exercitat. Med. Chirurg. de nova methodo exſtirpandi Carunculas & curandi fiſtulas urethræ. Brixiæ MDCCXX.

c In cadavere hominis, qui hoc morbo, quo per longum tempus conflictatus fuerat, invenit JOANNES CONRADUS BRUNNERUS nihil aliud, quam *in medio urethræ inſignem ſtricturam & coarctationem, veluti ex aduſtione, circa proſtatas mira cicatricum ex ulceribus antiquis, inveteratis, nunc perſanatis, facies fuit conſpicua, & ſumma meatus anguſtia, quæ catheterem ulteriori progreſſu prohibuit*. In Ephem. N. C. Cent. I. Obſ. XCVII. p. 200. & in alio homine ex Empyemate mortuo, qui vivus etiam eodem morbo vexatus fuerat, reperta fuit, hinc inde *mera anguſtia & coarctatio urethræ, qualis in vaſis umbilicalibus, poſt partum occalleſcentibus, obtingere ſolet*. Vid. *c. l. Obſ. LXXI. p.* 143. DIONIS *in Chirurgia Demonſtr. III. p.* 271. ſe numquam in corporibus carunculam, ſed cicatricem & callum inveniſſe aſſeverat. Is ve-

ro etiam medicamentis rodentibus ad callum excidendum utitur, quæ mediante cereo admovere jubet. Hæc vero medicamentorum genera interdum graves inflammationes moviſſe mortemque attuliſſe probat SAVIARD *Obſ.* 74. *p.* 324. Vid. plura lectu digna in Notis, quas DIONIS *Libro adjecit* G. DE LA FAYE *p.* 199. *ſq.*

d Hoc pluribus obſervationibus probant ANTONIUS BENEVOLI *p.* 19. & GIROLAMO MARINI *in Pratica delle Operazioni di Chirurgia Cap. IV. p.* 58.

e Vide *Glandularum harum Deſcriptionem* COVVPERI *Tab. I. l.* 5. *Tab. II. G.* & hujus iter a retenta materia ampliatum *Tab. III. H.* & *I.* Confer quæ habet TERRANEUS *de glandulis urethræ virilis p.* 112. & *additam iconem.*

f Hæc defendit GARENGEOT *des Operations T. II. p.* 21.

g Hoc propriis & aliorum Obſervationibus probat JOHANNES ADAMUS GENSELIUS *in Ephem. Nat. Cur. Cent. VI. Obſ.* 84. *p.* 349. cum quo ſentit Celeb. ASTRUC *de morbo Venereo, Lib. III. Cap. IV. p.* 310.

§. 1337.

Ab his obſervationibus vero nova medendi ratio ducenda fuit. Aliena ſunt & urinæ difficultatem augent omnia acriora, quæ, ore ſumpta, urinam movent. Nam, & hæc, & omnia, quæ rodunt aduruntque, in urinæ iter, varia ratione, eum in finem, demiſſa, ut putrem carnem ac carunculas exedant, peſſima ſunt, quæ malum concitare poſſunt, & mota inflammatione, accendere. In urinæ iter conjiciantur cerei minores, vel bacilla, quæ ex carbaſo, panno lineo tenuiſſimo, certa ratione contorto fiunt, Gallis *Bougies*. Hæc oportet, nec nimis plena eſſe, nec nimis tenuja, & parte ſua extrema, paulo magis tenuata. Ea oleo uncta, in urinæ iter, intorquentur, & in eo relinquuntur. Neceſſe vero eſt, ut ab initio ex his bacillis tenujora adhibeantur, pòſt paulo pleniora. Si urinæ iter adeo coarctatum eſt, ut illa demitti nulla ratione poſſint, non deſiſtendum, ſed res experienda eſt, adhibita chorda chelys ex animalis inteſtino parata. Ubi tenujor intorqueri in urinæ iter potuit, pòſt paulo plenior adhibenda eſt, & pòſt bacillum inſerendum. His vero inungenda ſunt medicamenta lenia, adeps liquata, oleum, butyrum ſine ſale, quibus, ſi ulcus eſt, modice reprimentia adjici poſſunt, & variis miſturis temperari. Hæc vero in urinæ itinere contineri debent, id quod magis neceſſarium eſt, ſi illud valde anguſtum, calluſque, qui ei increvit, durior eſt. His enim bacillis ea, quæ ſe appoſuerant, & comprimuntur, & molliuntur, ut humor poſſit transfluere. Homo, ſi veſica exoneranda eſt, bacillum debet recipere, & iterum unguento illitum, inſerere, atque etiam illud faſcia, quæ ventrem circumit, alligare *a*. Au-

xilio quoque eſt balneum, ut homo ſæpe in aqua calida, ſuper herbas, quæ molliendi vim habent, deſideat.

a Hanc curandi viam prius ingreſſus eſſe videtur Medicus, cujus *Obſervationes* RIVERII *Operibus adjectæ ſunt*, *Obſ.* 22. *p.* 695. Is vero bacillo ex plumbo uſus eſt, quo urinæ iter dilatavit. Bacilla plumbea illis cereis præfert ASTRUCCIUS *c. l. Lib. III. C. IV. p.* 320. qui jubet, ab initio tenuiſſima, mox pleniora, oleo illita, immittere, & ſic viam aperire.

§. 1338.

Sunt alia quædam, quæ prohibent, quo minus urina reddi poſſit. Id incidit gravidis, ſi intus a partu, aliter collocato, urinæ iter comprimitur. Et hæc res illam curationem per fiſtulam argenteam deſiderat. Nec difficile eſt huic vitio mederi in viris, ſi alvus adſtricta eſt, & rectum ſtercore duro plenum. Interdum magni acerbique dolores, quibus ii excruciantur, quibus hæmorrhoides ex inflammatione tument, excitatis ſpaſmis, urinæ iter præcludunt. His ea auxilia opitulantur, quæ adverſus hos tumores alibi propoſui. (1016. 1017.) Etiam abſceſſus fiunt ex variis cauſis, in perinæo & circa anum, cum quibus, niſi vetuſtas acceſſerit, magnus dolor graviſque inflammatio eſſe ſolet. (991. ad 993.) Caſus aſperior eſt, ſi tales abſceſſus viam in veſicam reperiunt, ut multum pus cum urina exeat. His pus evocandum eſt, obſervatis omnibus, quæ ſupra (994. ad 997.) præcepi. Interea vero, ſi ex urinæ difficultate periculum imminere videtur, etiam fiſtula argentea adhiberi poteſt.

ΚΑΘΕΤΗΡΙΣΜΟΣ.

§. 1339.

Si vero in his, aliiſque, caſibus neceſſarium eſt, manu, & demiſſa in veſicam, argentea æneave fiſtula, catheterem vocant, urinam emoliri eum, qui curaturus eſt, oportet habere illarum fiſtularum plures, ut omni corpori, ampliori, minorique, aptæ ſint. Viris incurvæ & longiores, feminis vero rectæ & breves ſunt idoneæ. Oportet eas læves eſſe, neque nimis plenas, neque nimis tenues. Parte extrema, qua in veſicam inſeruntur, clauſæ atque retuſæ, utrimque vero ad latus perforatæ ſunt. Habent etiam ex eodem metallo filum, quod in eas conjicitur, ut, ſi forte ſe aliquid in fiſtula appoſuerit, id eo poſſit emoveri.

§. 1340.

Alia genera fiſtularum ſunt, quæ jam olim PETRUS FRANCUS delineavit *a*. Extrema parte non, ut priores, ad latera perforatæ ſunt, ſed infra apertæ. Nam incidere ſolet, ut in urinæ itinere, illa interior tunica, quod, vel laxata eſt, vel inflammata, intumeſcat, utque ea, ſi illi catheteres demittuntur compellunturque, illis foraminibus recipiatur & graviter offendatur. Igitur in his, a FRANCO excogitatis, extremo ori adaptata eſt glebula, quæ illi argenteo filo, quod per fiſtulam trajectum fuit, ita ferruminata eſt, & accommodata, ut hanc claudat, atque ut fiſtulæ extremum ſit clauſum, nullamque aſperitatem habeat. Ubi hoc catheteris genus in veſicam demittendum eſt, adducitur illud argenteum filum cum ſua glebula & fiſtula clauditur. Ubi vero in veſicam ventum eſt, filum cum glebula per fiſtulam intro compellitur, ut urina per hanc exire poſſit.

a Vid. *Traité des Hernies Chap.* 31. *p.* 115. GARENGEOT *des Inſtrumens T. I. C. VIII. Art.* 3. *p.* 259. *& fig. p.* 278.

§. 1341.

Etiam in illis catheteribus, vel fiſtulis, quæ mulieribus aptatæ ſunt, aliquid fuit mutatum. Habent enim, quibus ſulcus impreſſus eſt, ſuper quem, ſi fiſtula in veſicam conjecta fuit, demitti poteſt ſtilus, vel etiam, ſi res cogit, ſectione urinæ iter aperire ſcalpellus *b*.

b Vide Iconem in HEISTERI *Chirurgia Tab.* 32. *fig.* 7. *p.* 1016.

§. 1342.

Sine negotio in mulieribus, quibus urinæ iter breve rectiuſque eſt, catheter in veſicam conjicitur. Hoc vero in viris, quibus id longius eſt & incurvum, non raro etiam intus ex inflammatione aliiſque occaſionibus (1336.) extumidum, vel coarctatum, plus difficultatis habet. Nam ſummum periculum eſt, ſi catheter adhibita vi promovetur, ne eo urinæ iter, vel veſica, convulnerentur, ex qua re gravis inflammatio atque gangrænæ metus oriri poteſt. Hæc catheterem demittendi ratio non niſi uſu diſcitur: quare tirones ſe in hac re ſedulo exercere, tam in demortuorum quam viventium corporibus, oportet, ut ſibi exercitatione facilitatem pariant.

§. 1343.

Duæ vero ſunt catheterem demittendi rationes, quarum prior,

quæ non, niſi frequenti uſu & exercitatione, addiſcitur, majorem ſecuritatem præſtat, quamvis altera minorem curanti difficultatem facere videatur. Qui priorem rationem ineunt, hominem reſupinum, ſuper ſubſellium aut lectum, collocant, chirurgus altera manu colem maſculi continet, altera fiſtulam, oleo perunctam, in urinæ iter demittit, ita, ut hujus pars gibboſior pubi hominis obverſa ſit. Eam leniter premendo promovet; ubi vero ad veſicæ cervicem ventum eſt, colem paulo magis ſuper fiſtulam adducit, hujus autem manubrium, quod jam perinæo obverſum erat, ita flectit, & quaſi in gyrum vertit, ut illud jam exadverſus umbilicum ſit, qua motione fiſtulæ extremum in veſicam compellitur.

§. 1344.

Altera vero ratio curationis ejuſmodi eſt. Collocato, ut dictum eſt, homine, fiſtula ita demittitur, ut ejus manubrium umbilico admoveatur, & ut pars gibba perinæo hominis obverſa ſit. Quando, adducto etiam cole, ad veſicæ cervicem ventum eſt, fiſtula, ſimul cum cole antrorſum inclinata, in veſicam compellitur.

§. 1345.

Cum ſic fiſtula in veſicam pervenit, educitur ex ea filum, vel in altero genere, quod infra clauſum eſt, promovetur cum filo glebula illa, ut urina per fiſtulam effundi poſſit. Si vero, calculi inveniendi cauſa, catheter demiſſus fuit, ille curioſius agitandus eſt, ut calculus, vel tactu, vel etiam, ſi catheter eum pulſat, auribus percipi poſſit. Ubi evacuata fuit urina, recipitur fiſtula, ſi vero res deſiderat, ut illa relinquatur, demittenda eſt alia flexilis, ex filo argenteo intorto, ſingulari artificio fabricata, quæ ventri media faſcia alligatur.

PARACENTESIS VESICÆ.

§. 1346.

Nonnumquam autem tantum mali ſubeſt, ut illud nec hac ratione vinci poſſit, ſed neceſſarium ſit, ut urina exitum habeat, veſicam ferramento, extrinſecus aperire. Igitur, qui curaturi ſunt, cervicem veſicæ incidunt ſcalpello ancipiti, eo loco, ubi plaga fit, ſi calculus methodo, quam cum apparatu magno vo-

cant, de qua infra dicam, eximendus eſt. In plagam conjiciunt fiſtulam paulo pleniorem argenteam, quam tamdiu relinquunt, & ventri alligant, donec, id quod in urinæ itinere inhæſerat, fuerit ſublatum. Fiſtula commode panno ſerico cerato obvolvitur. Præ ceteris aptæ ſunt fiſtulę argenteæ flexiles, vel plumbeæ. (1344.)

§. 1347.

At vero, cum hęc plaga non facile coire, & ſępe ulcus, vel fiſtuia, manere ſoleat, per quam humor deſtillat, quidam acu, ſeu ferramento, utuntur, ei ſimili, quo aqua hydropicis emittitur, (756.) quod acutum fiſtulam, ex argento affabre accommodatam habet (*Troicars*). Neceſſe vero eſt, ut ferramentum & longius ſit & paulo plenius. Id vero alia & ea parte demittitur, qua veſica aperitur ab iis, qui calculum ſectione, quam lateralem vocant, promere ſolent, qui opportunior eſſe videtur, quod plaga facilius ſaneſcit *a*, quem infra deſcribam.

a Ut is, qui curaturus eſt, ſcire poſſit, num ferramentum in veſicam pervenerit, DENYSIUS *in Obſerv. Chirurg. de calculo Tab. XI.* illud mutavit, & ita accommodavit, ut quamprimum cuſpis in veſicam penetravit, per fiſtulam argenteam, quæ plura in ſuprema & infima parte foramina habet, urina efferatur. Alii ferramento, ſeu acu utuntur, cujus fiſtula ſulcum habet. Nam interdum plaga amplianda eſt, & tunc ſuper illum ſulcum commode ſcalpellus demitti & vulnus incidi poteſt, donec ſatis pateat.

§. 1348.

Poſtquam autem ante aliquot annos, quidam ſupra pectinis oſſa, veſicam incidere, & calculum ea ratione, quam olim PETRUS FRANCUS propoſuerat, eximere iterum inſtituerunt, pluribus ille locus ceteris aptior viſus fuit, qui ferramentum illi prorſus ſimile, quo aqua hydropicis evocatur, ſupra pectinis oſſa, oblique, atque veſicæ cervicem verſus, demittunt. Recta enim inſeri non debet, ne peritonęum, quod ſupremę veſicę inhęreſcit, convulneretur. Etiam per hanc plagam evocatur urina. Cum vero vulnus non facile ſaneſcat, & ex urina, ſi per id effluit, mala ulcera in tunica illa celluloſa, quę ſub peritonæo eſt, naſcantur, oportet hominem ſupinum cubare. Per naturale autem urinæ iter, ſi id fieri poteſt, in veſicam demittenda eſt fiſtula, ut per hanc urina exeat. Rarius evenire poterit, ut in femina urinæ iter ita intercluſum ſit, atque, id quod ſe oppoſuit, aliter tolli nequeat. In eo vero caſu hac ratione aperiri

poſſet veſica. In viris magis tuto id fieri ſolet, inciſo eo loco, per quem calculus ſectione, ut vocant, laterali expellitur.

§. 1349.

Emiſſa urina, & iis, quæ ſe intus oppoſuerunt, remotis, vulnus glutinandum eſt. Plurimum confert, ſi æger junctis & inter ſe devinctis cruribus cubat, & ſi fiſtula in naturali urinæ itinere relinquitur, ut per hanc urina exeat.

SECTIO PERINÆI.

§. 1350.

Interdum in perinæo ex inflammatione abſceſſus fiunt, id quod accidere ſolet, ſi minor calculus ei loco inhæreſcit parteſque offendit, ac indies ex materia, quæ ex urina deſidit, increſcit; vel, id quod frequentiſſimum eſt, ſi gonorrhœa virulenta, ſumptis medicamentis calidis, acrioribus, purgantibuſque, vino, venere, agitata, vel reprimentibus cohibita fuit. Hoc ſi incidit, quod ex cognitis ſuppurationum notis ſciri poteſt, ab initio diligentia adhibenda, ut avertatur inflammatio, cum tales abſceſſus difficilius ad ſanitatem perveniant. Sanguis mittendus, alvus ducenda eſt lotionibus, & danda ſunt omnia, quæ adverſus inflammationem poſſunt. Si vero nihilominus tumor ad ſuppurationem ſpectat, extrinſecus imponenda ſunt, quæ molliunt, & pus maturant. Hoc vero inciſo tumore mature evocandum eſt, ne ulcus, quod intus eſt, ſerpat, & in plures ſinus dividatur. Si inflammatio a calculo mota fuit, is evellendus eſt, ceteroquin vero ulcus purgandum, & obſervatis iis, de quibus protinus dicam, glutinandum eſt.

§. 1351.

Longe frequentius, in urinæ itinere, ex abſceſſibus, qui intus rumpuntur, ulcera manent & fiſtulæ, quæ etiam naſcuntur, ſi adverſus illas, ſic dictas, carunculas (1335.) adhibita fuerint adurentia medicamenta, vel adverſus gonorrhœam, acriora. Etiam calli naſcuntur, vel calculi inhæreſcunt; qui urinæ iter præcludunt. Et hæc res, ſi aliter ſuccurri non poteſt, quandoque perinæi ſectionem poſtulat. Ad hanc tamen nemo præceps properare debet, cum non pauca ſint, quæ curationi difficultatem facere poſſunt.

§. 1352.

Ubi urinæ iter incidendum eſt, in id, ſi via patet, prius conjicitur catheter, qui ſulcum habet, & ſuper quem, etiam in calculi curatione, veſica inciditur. Si vero illud ferramentum demitti nequit, res ſcalpello agenda eſt, vel in eum locum, inciſa prius cute, conjiciendum eſt illud ferramentum, quo aqua hydropicis emittitur, ſeu acus triquetra, cujus fiſtula ſulcum habet. (1346.) Super hunc enim, educto ferramento, ſcalpellus demitti, & plaga latius aperiri poteſt.

§. 1353.

Cum via ſic perfecta eſt, ſingulis vitiorum generibus propria curatio adhibenda eſt. Si calculus inhæret, eum oportet evellere. Si ulcera, aut ſordida, aut vetera, calloſa, aut ſupercreſcentia, in urinæ itinere ſunt, vel, ſi aliquid durius & aſperius ibi natum eſt, id, quod exulceratum eſt, circumpurgandum, durum vero emolliendum, &, tum ſcalpello, tum medicamentis, tollendum eſt. Medicamenta melius ulceri admoventur, ſi linteolum cæſitium, cujus ora in fila reſoluta eſt, mediante ſpecillo, in plagam conjicitur, & per glandis naturale foramen educitur. Linteolum enim, quod medicamento, ad exedendum callum purgandumque ulcus idoneo, illinitur, in urinæ itinere relinquitur, & bis de die adducitur, ut pars novo medicamento illita ſubeat. Inter medicamenta fere optima ſunt: unguentum Arcæi, cui aliquid mercurii dulcis adjicitur. Si autem ulcera, vel fiſtulæ, in plures ſinus dividuntur, neceſſe eſt, hos omnes incidi. Callus commode ſcalpello præciditur, vel exaſperatur.

§. 1354.

Sunt aliæ obſervationes neceſſariæ. Ulcera, quæ, ex gonorrhœa, in urinæ itinere relinquuntur, interdum tolluntur, ſi extrinſecus cuti mercurius, illaque compoſitio, quam Neapolitanam vocant, perinæo illinitur. Si malo vetuſtas acceſſit, & ulcus calloſum eſt, atque plures ſinus, qui altius penetrant, habet, id nullam curationem recipit. Si vitium ex morbo venereo natum eſt, huic morbo ante omnia, & antequam locus inciditur, medendum eſt. Sæpe incidit, ut inflammatio, quæ perinæum tenet, etiam in ſcrotum evocetur. Protinus illud incidi oportet, & ulcus, altius conciſa tunica, purgari. Nec magnum periculum eſt, ſi ſcrotum corrumpitur. (134.) Ubi non ſolum

urinæ iter, ſed etiam cervix veſicæ, majori plaga, incidi debet, in hanc prius ferramentum compelli debet excavatum, (Gallis *Gorgeret*) & ſuper hoc fiſtula plenior ex argento, demitti. Interea autem lotiones ex decocto hordei, addita pauca aqua vulneraria, vel, ſi aliquid digerendum eſt, adjecto melle cum roſa, in eam immitti poſſunt.

§. 1355.

Si inciſa veſica fuit, omnia auxilia adhibenda ſunt, quæ inflammationem avertere poſſunt. Sanguis multus detrahendus, abdomen oleo inungendum, &, tum huic, tum vulneri, adhibenda fomenta ſunt. Ægrum oportet ab omni fere cibo abſtinere, potioni autem uti non immodica, ex ptiſana. Nam, ſi plus æquo bibitur, veſica impletur, ſi nimis parum, vulnus urina acri irritatur. Nec vulnus prius medicamentis rodentibus agitandum, aut callus ſcalpello exaſperandus eſt, quam, ubi, levata inflammatione, ſe ſuppuratio oſtendit. Illi ſuperdari debent ab initio linamenta ſicca, pòſt vero balſamum ARCÆI. Si ulcera ac fiſtulæ omnes inciſæ, dura autem in pus verſa fuerunt, illa fiſtula argentea, & linteolum etiam cæſitium, ſi id adhibitum fuit, recipi poſſunt; per naturale vero urinæ iter, alia fiſtula, minus plena, ſeu catheter flexilis, in veſicam demitti, & ibi relinqui debet, ut urinæ per hanc, non per plagam, exitus detur. Vulnus alendum eſt, glutinandumque, quod ſæpe difficilius curationem recipit, ita, ut nonnumquam, præcipue in corporibus ſiccioribus gracilioribuſque, fiſtula maneat. Neceſſe eſt, ut æger, & extentis, & junctis feminibus ac cruribus, iis etiam inter ſe faſcia devinctis, jaceat. Summa cura providendum eſt, ut urina per argenteam fiſtulam, quæ ſemper in veſica relinquenda eſt, non per vulnus, deſtillet. Faſcia vulneri idonea eſt, quæ ventrem comprehendit, duas alias habenas, ei a tergo, ad ſimilitudinem littera π aſſutas habens. Habenæ ad perinæum, ubi vulnus, & quæ ei impoſita ſunt, contegunt, & ab hoc ad ventrem ita dantur, ut dexterior ſiniſtra, ſiniſterior dextra, procedat, & utraque cum alia, qua venter circumdatus eſt, deligetur. Hac faſcia etiam, ne id ſæpius dicendum ſit, utendum, ſi veſica propter calculum inciſa fuit. Ne ſcrotum a deſtillante urina irritetur, ea, quæ per fiſtulam, in veſica relictam, effluit, vaſculo excipi, ipſum vero ſcrotum panno ſe-

rico cerato contegendum, involvendumque eſt, & ſuſpendendum *a*.

a Hanc medendi rationem, ut vanam, repudiavit ASTRUCIUS l. c. Lib. III. Cap. IV. p. 318. Addit enim, ſe noviſſe plures, quibus, diu a Chirurgis excarnificatis, ex hac curatione, longe gravior σπαγγυρίκ fuerit relicta, etſi ceteroquin illa feliciter ceſſerit, & vulneri cicatrix inducta fuerit. Urinæ enim iter ex cicatrice multum coarctari, & fere intercludi. Sed illud, ut videtur averti poteſt, ſi argentea, vel plumbea fiſtula in veſica relinquitur, donec omnia ad ſanitatem pervenerint, &, ſi etiam, poſt finitam curationem, illa bacilla, ex panno cerato, in urinæ iter conjiciuntur, & in eo continentur, quibus illud ampliatur. Pluribus exemplis hanc curandi rationem confirmavit ſupra laudatus COLOT l. c. Eam vero, neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni corpore, neque etiam in omni vitio, experiendam eſſe, quilibet videt. Interdum vero, ubi aliter homini ſuccurri nequit, etiam temeraria medicina profuit.

FISTULA PERINÆI.

§. 1356.

Quandoque in perinæo fiſtulæ relinquuntur, ſi magna ſuppuratione, vel etiam gangræna orta, multa exciderunt, vel, ſi neceſſarium fuit, plagam diu patere, cum tardius purgari poterit veſica & urinæ iter. Etiam id incidere ſolet, ſi major calculus, inciſo perinæo evulſus, & veſicę cervix majori vi rupta, vel, ſi vulneri non idonea curatio adhibita fuit. In hoc caſu orę ulceris concidendę & exaſperandę, vulnus vero impoſitis medicamentis, quę carnem nutriunt, (338.) implendum eſt. Ad id vero neceſſarium eſt, ut ęger ſemper extentis cruribus, feminibus inter ſe deligatis, jaceat, & ut urina per fiſtulam, in veſica relictam, evocetur. Ubi orę ulceris purgatæ fuerunt, & vulnus impletum, raro id deligari oportet. Si autem fiſtula ex toto claudi nequit, opera danda eſt, ut coanguſtetur. Si vero his curationibus prohiberi non poteſt, quo minus per plagam urina exeat, auctores quædam machinamenta invenerunt, quibus ulcus fiſtulaque comprimitur.

a Vide NUCKIUM fig. XI. HEISTERUM Tab. XXVI. fig. 10.

VARIÆ, QUÆ CALCULOSIS ADHIBENTUR, CURATIONES.

Monendus eſt Lector, omnia, quæ ad variam calculoſorum curationem, & hujus hiſtoriam attinent, deberi ſtudio Doctiſſimi Viri JUSTI GODOFREDI GÜNZII *Anat. & Chirurg. Prof. Publ. Extr. in hac Academia celeberrimi. De ſingulari benevolentia, quam mihi, hoc labore, præſtitit, dicta ſunt quædam in Præfatione.*

§. 1357.

Corpora, calci ſimilia, in omni fere corporis humani parte, ex ſuccis noſtris concreſcunt, veri calculi ex lotio tantum, cum in rene, tum in veſica. Solent autem ex hac tantum ſectione eximi, ſi ægris aliter ſuccurri non poteſt, neque certæ notæ interitus ſunt *a*. Nam, qui renibus inhærent, eos ſini oportet, niſi lumbos in tumorem attollant, in quo caſu, vel rupto abceſſu, vel inciſo, educi debent *b*.

a Calculus ex iis morbis eſt, qui, cum omnes homines eorum in ſe cauſſam habeant, & perpetuo alant, ſine dubio nullo non tempore cogniti fuerunt. Perardua eſſe debet & anceps omnis Chirurgia, quæ hoc morbo laborantibus adhibetur. Tamen & nullum malum eſt, cum quo acerbior dolor conjunctus ſit, quodque, longius trahendo, hominem quotidie jugulet. Et hæc effeciſſe videntur, ut antiquiſſimis etiam temporibus, calculoſi non dubitarent, ſe crudeli & valde ancipiti curationi ſubjicere. Nemo ignorat, HIPPOCRATIS ætate inventos fuiſſe, qui audebant calculum e veſica evellere, & ægros a certiſſima aliter morte liberare. Is enim & medicæ & chirurgicæ artis parens diſcipulos jurejurando obſtrinxit, ut a calculoſorum curatione abſtinerent. Debebant autem viris in hac re exercitatis relinquere. Quod multi interpretati ſunt, ac ſi HIPPOCRATES letiferam eam, aut crudelem, & ab humanitate alienam, habuiſſet. Poſſe etiam hoc per AVINZOARIS verba confirmari, qui calculi ſectionem, tam turpem rem, & abominabilem miſeramque, eſſe dixit, ut non tantum non exerceri, ſed ne adſpici quidem, ab honorato viro debeat. Vid. JO: HENR. MEIBOMIUS in *Comment. ad Jusjur. Hippocr.* p. 162. Arabes irreligioſum habebant naturalia intueri, a quo Græci alieniſſimi fuerunt. Alia vero letalitatis ratio eſt, quam HIPPOCRATES putaverit cum calculi ſectione conjunctam eſſe. Nam in *Aph.* 18. *Lib.* 6. ait: κύστιν διακοπέντι θανατῶδες, veſicam convulneratam habere, mortem affert, qui Aphoriſmus ex *Lib.* 1. *de morbis* deſumtus eſt. Sed quid clarius eſt hoc, HIPPOCRATEM *in Jurejurando* non ad interitus periculum reſpexiſſe, quod cum veſicæ læſione conjunctum ſit, verum ad difficultatem curationis. Nimirum addit, debere ipſam iis committi, qui omne ſtudium in ipſa exercenda poſuerint. Quo videtur diſcipulos monere voluiſſe, nolint hanc ancipitem Chirurgiam temere ſuſcipere, ſed debeant ſibi eam artem longa exercitatione comparare. Conf. JO: HENR. MEIBOMIUS *loc. cit. Cap. XVI. p.* 153. *ſeqq.* & aptiſſima eſt interpretatio, quam dedit LAUREMBERGIUS in *Porticu Æſculap.* Cap. 9. Exiſtimat enim in Coorum republica miniſtros aliquot Medicorum publice conſtitutos fuiſſe, qui

calculi curationem perficerent . Itaque HIPPOCRATEM voluiſſe , medentes deberent his miniſtris ſuis , publice conſtitutis & conductis , eam faciendam relinquere . Veteres autem exiſtimaſſe videntur , in ea curatione , quam artifices calculoſis adhibebant , urinæ iter , carneamque veſicæ partem , patefieri , non corpus veſicæ , quod putabant membraneum eſſe . Vid. CELSUS *Lib. VII. Cap. XXVI.* & *Auctor. Iſagog.* Cap. XIX. Ex quo patet , quomodo accipi debeant , quæ HIPPOCRATES de letifero veſicæ vulnere habet . Etſi ea ſic quoque interpretari licet , ut , HIPPOCRATEM , credamus , neminem vidiſſe , qui ex vulnere veſicæ ſervatus ſit , aut voluiſſe , utplurimum eos decedere , qui veſicam percuſſam habeant . Recentiores vero viderunt , ac frequenti obſervatione confirmatum eſt , non ſemper mortem ſequi , ſi veſica vulnus accepit . Vid. ſupra §. 679. Præter ibi citatos auctores , obſervationes de perſanatis , gravioribus præcipue , veſicæ vulneribus habent FRANC. ROSSETUS in *Part. Cæſ. Aſſert. Hiſtoriol.* p. 256. ſeqq. Par. MDXC. C. STALPART VAN DER WIEL *Cent. I. Obſ. LXXXI.* & , quos ibi citat , DIONIS in *Cours des Oper. Demonſtr. III.* p. 243. Ed. MDCCXL. Amyandus apud DUGLASS. in *Lithotom.* p. 42. FRANC. COLOT. in *Tr. de l' Operation de la taille* p. 48. ſeqq. & alii permulti . Quis autem dixerit , qua curandi via illi Medici uſi ſint , qui , HIPPOCRATIS ætate , calculoſorum curationes perficiebant ? Non improbabile eſt , eam viam tenuiſſe , quæ a CELSO patefacta fuit . Eſt enim , quod quam maxime antiquitatem probat , ſimpliciſſima . Poſt HIPPOCRATEM , nullus ex medendi artis ſcriptoribus de calculi curatione quædam propoſuit , aut videtur in hac Chirurgia egregie verſatus fuiſſe , præter AMMONIUM , quem CELSUS ſcribit Lib. VII. Cap. XXVI. eo nomine λιθότομον cognominatum fuiſſe , quod ferramentum repererit , calculo majori in veſica findendo aptum . Eſt autem probabile , AMMONIUM non alio modo , quam , qui a CELSO propoſitus eſt , viam ad veſicam aperuiſſe . Eamdem viam etiam MEGEM tenuiſſe , qui junior AMMONIO fuit , & Romæ vixit , (CELSUS *in Præf. ad Lib. VII.*) ex eodem CELSO *Cap. XXVI. Lib. VII.* planum eſt . Docet enim , quale ferramentum excogitaverit , ad calculum ſpinoſum eximendum ; quanto magis indicaſſet , quam curationem calculoſis in univerſum adhibuerit , ſi diverſa fuiſſet a Celſica ? Calculum vero ſectione curare non infrequens res fuiſſe videtur , cum HEROPHILI , tum quoque CELSI , atque GALENI , ætate . Ut enim hoc omittam , quod GALENUS , vel qui alius Auctor eſt , in *Iſagog. Cap.* XIX. memorat , ferramentum , quo ad explorandum calculum veſicæ utimur , ab ERASISTRATO καθετὴρ nominatum fuiſſe , FLORUS *in Epit. Liv. Lib. LV.* ait : Alexandri filium , regem Syriæ , decem annorum puerum , occiſum fuiſſe corruptis Medicis , qui eum calculi dolore conſumi , ad populum mentiti , ſecaverunt . GALENUS autem cum in *Iſagog.* l. c. tum in *Comment. ad Aph.* 18. *Lib. VI. Hippocratis* , ac præcipue HELIODORUS apud GALENUM de *Faſciis* C. XVI. de hac Chirurgia , tamquam vulgo nota , ſcripſerunt . CELSUM igitur , qui *loc. cit.* primus ex veteribus , quorum nempe ſcripta ad nos pervenerunt , quæ curatio calculoſis adhiberi debeat , longa oratione expoſuit ; non , quam ipſe repererit , declaraſſe , veriſimile eſt , ſed quæ fortaſſis jam inde ab HIPPOCRATIS ætate perfecta fuit . Qui , a CELSI uſque ad PAULI ÆGINETÆ tempora , in medendi arte inclaruerunt , ſi a GALENO recedas , etſi de calculoſis aliqua , de curatione tamen nihil dixerunt . PAULUS vero in omnibus CELSUM ſecutus eſt . Vid. *Lib. VI. Cap. LX.* Neque Arabes Medici ab hac via deflexerunt , quod ex AVINCENNA *Lib. III. Fen. XIX. Cap. VII.* & ALBUCASI *Part. II. Cap. LX.* & *LXI.* diſci poteſt . ALBUCASIS tamen aliquid mutaſſe dicitur , quod ad latus natis ſiniſtræ , & in feminis , ad radicem coxæ , voluit plagam fieri . Fortaſſis vero hic locus idem fuerit , quem

CELSUS imam ſiniſteriorem oram dixit, & ſub qua virgini incidere ſic juſſit, ut plaga tranſverſa ſit. *loc. cit.* ALBUCASIS etiam ſcalpelli non ancipitis iconem dedit, quod hodie plerique credunt ab ipſo repertum eſſe, & parum ab eo diverſum, quo CHESELDENUS utitur. Plurium Medicorum, qui inter Arabes, in manu medendi arte, præclare verſati ſint, memoria intercidit. Neque inter eos, qui ſæculis XIII. XIV. & XV. in Italia & Gallia hanc artem exercuerunt, aliquis eſſe dicitur, qui de calculoſorum curatione dignum quid memoria propoſuerit, præter GUIDONEM, qui a CELSO monſtratam, neglectamque eo tempore, viam quaſi iterum aperuerit. *Tract. VI. Doctr. II. Cap. VII.* Factum eſt, ut, quia plerique, quod ea ætate frequentiſſimum fuit, a CELSI lectione abhorrebant, calculoſorum curatio, qualem GUIDO propoſuit, *Guidoniana* nominaretur. Eam tamen ipſe ſine dubio non perfecit. Dicit autem, quomodo fieri debeat ſecundum BRUNUM, THEODORICUM, ROLANDUM, ROGERIUM, alioſque Magiſtros. Hi ipſi, ſi a ROGERIO ſeceſſeris, æque ample, ac GUIDO, de calculi ſectione dixerunt. Hæc veterum curatio, Apparatus parvi nomen accepit, paulo poſt, quam JOANNES DE ROMANIS aliam invenerat, cui, ob ferramentorum numerum, Apparatus magni nomen impoſitum fuit; quaſi ſolis ferramentis differrent. CELSUS eam voluit in eo tantum corpore experiendam eſſe, quod jam novem annos, nondum quatuordecim exceſſit. Et nemo, præter audaciſſimos homines, vel nebulones aliquot, inventus eſt, qui auſus ſit, eam curationem adultis adhibere; non, quod non poſſit, ſed, quod non tuto poſſit. Præterito ſæculo circa A. MDCLXIII. homo aliquis in Gallia exſtitit, RAOUX nomen, qui ſe dicebat hac via, quæ, quod pauciſſimis ferramentis perficitur, minus, quam illa, quæ cum magno apparatu eſt, terrere debet, cum pueros tutius curare, tum ex adultorum etiam veſica, calculum evellere poſſe. Burdigala Lutetiam venit, ut calculoſos ibi curaret. Deprehenſus autem fuit, in puerorum curatione, non plus præſtare poſſe, quam, qui ex Chirurgis, cum minore ferramentorum apparatu, calculum evellebant. Adultos etiam pleroſque ita ſecuit, ut veſicam non aperiret. Habebat autem tam expeditum manuum uſum, ut facile calculum ſupponeret, quod, ubi vidit aliquando cognitum fuiſſe, fuga ſibi conſuluit. Vid. de MINGELOUZEAUX *Comment. ſur la Chirurgie de* CHAULIAC *T. II. p. 739. ſeqq. Burdig.* MDCLXIII. CAROLUS DRELINCURTIUS in *Legende du Gaſcon. Pariſ.* MDCLXVI. FRANC. COLOT. *l. c.* p. 28. ſeqq. FRANC. TOLET in *Tr. de la Lithotomie* p. 146. ſeq. *Pariſ.* MDCCVIII. Noſtra ætate pauciſſimi medentium ſunt, qui hac via perfecta, vel pueros tuto a calculo liberari poſſe, exiſtimant. Eſt autem princeps GIROLAMO MARINI, qui imperitiæ accuſat, quicumque teneræ ætatis pueris a JOANNE DE ROMANIS propoſitam curationem adhibere velint; in *Pratica delle principali operazioni di Chirurgia*, cap. XI. Alia argumenta, quibus utilitas hujus curationis confirmari poſſet, adducta ſunt a Cel. HEISTERO in *Inſtit. Chirurg.* p. 902. & 979. Vid. etiam DENYSIUS in *Obſerv. Chirurg. de Calculo* p. 95. Si a ſectione calculi recedamus, qui in itinere urinæ hæret, unicus caſus eſt, in quo eam, cum pueris, tum adultis, adhiberi oportet. Eſt autem is caſus, ſi calculus collo veſicæ ita inſidet, ut perinæum in tumorem attollat. G. DE LA FAYE in *Notis ad Dionyſii Chirurg.* p. 221. Huic curationi tum demum nomen parvi Apparatus (*petit appareil*) impoſitum fuit, ubi, prout ſupra dictum eſt, alia a JOANNE DE ROMANIS reperta fuerat, quam magnum Apparatum (*le grand appareil*) nominabant, propter ferramentorum numerum, quibus perficitur. Hactenus a pleriſque creditum fuit, laudem hujus inventionis Italis, ac ſigillatim JOANNI DE ROMANIS, deberi. Nuperrime autem hanc ipſi gloriam detrahere, & ſuæ genti tribuere voluit, leviſſima

conjectura ductus, qui originem Artis Chirurgicæ in Gallia expoſuit in Libro, qui inſcribitur: *Recherches critiques & hiſtoriques ſur l'origine, ſur les divers états & ſur les progrès de la Chirurgie en France. Pariſ.* MDCCXLIV. *p.* 258. *ſeqq.* Vult autem latronem illum, cujus hiſtoriam, præter alios permultos, AMBROSIUS PAREUS habet *Lib.* XXIV. *C.* XIX. & cui hactenus fere creditum fuit, calculum ex renibus exſectum fuiſſe, veſicæ calculo laboraſſe. Eſſe vero hunc hominem a GERMANO quodam COLOTO liberatum, qui ipſi eamdem curationem adhibuerit, quæ vulgo *Mariana* nominetur. Puto equidem nihil magis his opinionibus de COLOTI curatione repugnare, quam quod FRANCISCUS COLOTUS ipſe, qui ultimus ex ea familia fuit, gloriam inventionis ejus curationis ad JOANNEM DE ROMANIS refert *loc. cit. pag.* 20. 64. JOANNES DE ROMANIS, qui Patria Cremonenſis de Caſali majori erat, artem ſuam Romæ exercuit. Vid. MARIANUS SANCTUS *in libello aureo de lapide ex veſica per ſectionem extrahendo Cap.* XVIII. & JOANNES ipſe in Epiſtola ad MARIANUM, quæ ad calcem hujus libelli eſt. Nihil ipſe de hac nova curandi via ſcripſit; ſed fuit ipſa a diſcipulo ejus MARIANO SANCTO, Baroli in Appulia nato, in libello jam allegato, aperta. Tamen ex hoc etiam libello non apparet, quo tempore JOANNES hanc viam repererit. Alii initio ſæculi XVI. factum fuiſſe dicunt, alii MDXXV. ut COLOTUS *loc. cit.* p. 64. plerique circa ann. MDXX. DUGLASSO probabile viſum eſt, An. MD. propius id factum eſſe, quam An. MDXX. & MARIANI libellum, non, ut vulgo putatur, *Venet. MDXXXV.* ſed MDXXII. in lucem prodiiſſe. MARIANUS, qui Medicæ Artis Doctor fuit, vivo JOANNE, ſuum libellum edidit, in quo aliquot in locis fatetur, ſe eſſe in hanc curandi viam a JOANNE ductum. Tamen factum eſt, ut non a JOANNE, qui reperit, nomen acciperet, ſed a MARIANO, qui deſcripſit, & fortaſſis ornavit, MARIANA vocaretur. Nomen vero magni apparatus a ferramentorum numero habet. CELSI curatio, præter ſcalpellum, ſolo unco, vel etiam interdum digito, perficitur, quo calculum promimus. Contra in MARIANA adhibebantur olim, præter ſcalpellum, ſpecilla incurva, quæ ſulcum in longum ductum habent, & vulgo itineraria, vel fiſtulæ, nominantur, exploratorium, ſeu aliud ſpecillum rectum, ductores duo, aperiens, ſeu dilatatorium, forceps, ſpecillum globulo inſtructum, (*Bouton*) quod MARIANUS verriculum dixit, cochlear, & interdum peculiare ferramentum, quod MARIANUS duo latera nominavit. Præter hæc omnia, loco forcipis, ſæpe unco dentato uſi ſunt. Putant omnes, ſi a FALCONETO recedimus, hanc MARIANI curationem præter hoc quod ferramentis, loco etiam ſectionis, quam maxime a CELSI curandi via differre. De qua re commodior dicendi locus erit, ubi ad lateralem ſectionem, pervenerimus. Exſequamur jam breviter MARIANÆ hiſtoriam. Inter MARIANI diſcipulos Romanus aliquis Chirurgus fuit, OCTAVIANUS DE VILLA nominatus. Nam hunc ſolum a MARIANO artem calculoſos curandi accepiſſe, nullo argumento probari poteſt. Ab hoc demum Gallo-Franci Chirurgi eam acceperunt, etſi fortaſſis & Italos eamdem docuerit, ex quibus NURSINOS, qui ſcilicet herniarum curatione excellebant, hanc curationem per Europam ſparſiſſe, JO: RIOLANUS Filius & CAMILLUS FALCONETUS, neſcio, qua auctoritate, affirmant; ille in *Enchirid. Anat. Pathol. Lib.* II. *Cap.* XXXI. hic in *Quæſt. an educendo calculo, ceteris anteferendus apparatus lateralis?* p. 6. Ille autem OCTAVIANUS, cum ſæpius Pariſios evocaretur, quia per Treſnel, oppidulum prope Tricaſſium, iter facere debebat, artem ſuam dicitur cum LAURENTIO COLOTO communicaſſe, qui, etſi Medicus erat, tamen manu etiam medendi artem exercebat. Ab eo tempore, ut Medicam artem olim ÆSCULAPII, ſic calculi curationem COLOTI familiæ, ſaltem in Gallia, propriam manſiſſe. Vid. FRANC.

COLOT *loc. cit. p. 66. ſeqq.* COLOTUS hanc ab OCTAVIANO acceptam artem, tanta cum dexteritate, exercebat, & tam proſperos etiam ſucceſſus habebat, ut Henricus II. Rex ipſum Lithotomum Regium conſtitueret, quod An. MDLVI. factum eſt. Quem titulum COLOTI ſervarunt uſque ad FRANC. COLOTUM, qui ultimus ex ea familia fuit. Hujus loco TOLETUS Lithotomus Regius factus eſt. Obiit COLOTUS An. MDCCVI. & egregias obſervationes de calculi, aliorumque morborum veſicæ, curatione fecit, quarum libellus An. MDCCXXVII. *Pariſiis* prodiit. In hoc legi poteſt brevis hiſtoria COLOTORUM *p. 67. ſqq.* Plura tamen de COLOTIS lithotomis habentur apud PAREUM *L. XVI. C. XLVII. & L. XXIV. C. XIX.* GUIDON. PATIN *Lettres choiſies Tom. I. p. 284. 335. 372. Tom. II. p. 107. 248. Tom. III. p. 339. Nouvell. Lett. Tom. II. p. 213. 231. 314. Recherch. ſur l'Orig. de la Chirurg. l. c.* Vid. etiam JO: VANHORNE *Microtechne p. 451. Lipſ.* MDCCVII. A COLOTIS auxilium petiit, quicumque fere & in Gallia, & extra eam calculo veſicæ laborabat. Et probabiliter ad hos etiam pertinet, quod de COLET aliquo apud GROENEVELTUM in Diſſ. Lithol. p. 53. Ed. MDCLXXXVII. habetur, niſi forte TOLETUM voluerit, cujus eo jam tempore aliquod nomen erat. Item, quod de CALLOT quodam apud TOLETUM *l. c. p. 157.* & apud TITSINGH *in Heelkund. Verhandeling over den Steen en het Steen-ſnyden p. 95. Amſt.* MDCCXXXI. legitur. PHILIPPUS COLOT, avus FRANCISCI, duos ſibi Chirurgos adjunxit, RESTITUTUM GYRALTUM, & SEVERINUM PINÆUM, quorum hic Regis juſſu, decem alios Chirurgos illam calculoſis medendi artem docuit. FRANCISCUS autem COLOTUS ait, neque hoc, neque, quod Noſocomiorum Pariſienſium Chirurgi COLOTOS in his ædibus viderint calculoſos curare, hanc vim habuiſſe, ut *Mariana* curandi via plane aperiretur. *loc. cit. p. 72. ſeqq.* Etſi vero COLOTI ſecreta artis non aperiebant, tamen jam inde a medio ſæculo decimo-ſexto in Gallia Chirurgi fuerunt, qui, CELSI via relicta, ad *Marianam* tranſibant, vel ex parte etiam, aliam reperiebant, quæ ad *Marianam* accedere videbatur; ſive ab OCTAVIANO, vel alio quodam MARIANI diſcipulo, inſtructi fuerint, ſive didicerint ex MARIANI libello. Exemplo potiſſimum PAREUS eſſe poteſt, qui hanc curandi rationem ſatis accurate expoſuit *Lib. XVI. Cap. XLII. ſeqq.* atque perfeciſſe etiam videtur. Vere enim a ſe perfectam eſſe, nullibi ab ipſo propoſitum eſſe invenio. Laudem vero dexterrimorum Chirurgorum ſibi compararunt, qui *Marianam* curandi viam ingreſſi ſunt, ex ſuperioris ſæculi Chirurgis Gallo-Francis JOANNES BONNET, FRANCISCUS THEVENIN, RUFFINUS, *Pater & Filius*, JACOBUS HARAN, JONNOT, GOVINUS & pauci alii. Vid. DEVAUX in *Ind. funer.* GUIDO PATIN *Lettr. Nouvell. Tom.* II. p. 63. 213. ſeq. TOLET l. c. Præf. & p. 33. 155. 179. Noſtra ætate plurimi ex Gallo-Francis Chirurgis, qui calculoſos curant, hanc potiſſimum Chirurgiam exercent, quæ cum magno apparatu fit. Extra Galliam pauciſſimi Chirurgi fuerunt, vel nunc etiam ſunt, qui *Marianam* curationem ita calculoſis adhibuerunt, ut famam ſibi aliquam parerent. Expoſita vero fuit, idque primo loco a Germano homine GUALTER. HERM. RYFF in libello, quem Germanice ſcripſit, *de calculi renum ac veſicæ curatione Arg.* MDXLIII. 4. deinde a GOURMELENO *Operat. Lib.* II. *p. 178. ſqq.* PAREO *loc. cit.* HILDANO in Lib. *de Lithomia Veſicæ Baſil.* MDCXXVIII. 4. qui liber in Operibus multo auctior habetur. JOSEPHO COVILLARD in *Chirurg. Operateur Lib.* II. *Sect.* I. *Chap.* X. JO: GROENEVELT in *l. c.* de LANAY in *Diſſert. ſur les maladies & ſur les Operations de la pierre. Pariſ.* MDCC. TOLETO l. c. ALGHISI *in Litotomia ovvero del cavar la pietra*, in *Firenze*, MDCCVII. LE DRAN in libro, quem inſcripſit. *Parallele des differentes manieres de tirer la pierre hors de la veſſie.* Par. MDCCXXX. & aliis nonnullis,

qui de Operationibus Chirurgicis ſcripſerunt, maxime DIONISIO, GARENGEOT, & HEISTERO. Affirmare nolo, omnes, quos hactenus dixi, *Marianam* curationem, vel exercuiſſe, vel deſcripſiſſe, plane eam, quam MARIANUS, viam ingreſſos fuiſſe. Sufficit, veſicam ſub oſſibus pubis patefeciſſe, & loco calculi, ſuper quo, medio digito, ad perinæum adducto, olim ſecabant, itinerario, aliiſque ferramentis, uſos eſſe, quæ, ut magnus apparatus eſſet, efficiebant. Nam in hoc credebant *Marianam* curationem conſiſtere. Hac ætate jam factum eſt, ut medentium plures ſcalpello ancipiti utantur & ductore canaliculato (*Gorgeret*). Super hoc non dilatatorium, ſed indicem potius dextræ manus, ita demittunt, ut, eum lente promovendo, collum veſicæ aperiant. Calculo evulſo, plures etiam fiſtulam, præcipue flexilem, plagæ imponunt, quo, quod e calculo, vel arena, in veſica ſuperat, commode effluere poſſit. Præter hæc recentioribus hoc potiſſimum laudi dandum eſt, quod de concinne magis & ad curationem tuto perficiendam aptioribus parandis, ferramentis ſoliciti fuerunt, quod ſatis patet, ſi icones apud PAREUM cum illis apud TOLETUM compares. Nuper vero LE DRAN, cum in modo ligandi ægrum, tum in ſcalpelli figura aliqua, immutavit. Utitur autem ſcalpello acutiore reliquis, & cujus alter margo, ſiquidem anceps eſt, rectus eſt. *l. c. Tab.* III. *Fig.* 4. *& p.* 55. Ad hæc, ſi major calculus ſit, quam, ut promi poſt primam ſectionem, ſine metu magnæ ruptionis ac lacerationis partium, non poſſit, dilatare priorem plagam a latere jubet. Excogitavit etiam ad hanc ſectionem faciendam novum ſcalpellum, cum ſpecillo ſulcato, & ductorem canaliculatum, qui in dorſo ſulcum in longum ductum habet. Vid. *Obſerv. noſtras de Calcul. curandi viis pag.* 69. *ſeqq. & Tab.* I. Noviſſime tamen & in his denuo aliqua mutaſſe videtur. Vid. LE DRAN *Operat. de Chirurg.* p. 304. *Pariſ.* MDCCXLII. Jam olim tamen hanc plagæ dilatationem propoſuit & cultellum curvum ad eum finem reperit TOLETUS *l. c. p.* 115. *ſeq.* Conf. etiam de LAUNAY l. c. p. 105. ALGHISI *l. c. p.* 81. & SCHAEFER in *Diſſert. de variis lithotom. gener. pag.* 21. *Argentor.* MDCCXXIV. Reliqui fere omnes *Marianam* curationem ita perficiunt, ut infra docebitur. Ad hanc calculoſorum curationem ea pertinet, quam PETRUS FRANCUS primum deſcripſit *loc. cit. Cap.* XXXIII. & quæ propterea ab HILDANO *loc. cit. Cap.* XVI. & GROENEVELTO *l. c. p.* 52. *Franconiana* nominatur. Eſt autem hæc. Plaga facta, ſi calculus in eam incidit, unco extrahendus eſt, ſi vero non, turunda immitti poteſt, qua vulnus per aliquot dies apertum ſervetur, ex quo deinde calculus vel ſponte exit, vel facile eximitur. Poſt FRANCONEUM propoſuit hanc curationem DE LEAUSON *loc. cit. Cap.* X. & præcipue HILDANUS *l. c.* qui eam vehementer laudat. Laudarunt etiam, idoneiſque exemplis ejus utilitatem comprobarunt FR. COLOT. *l. c. p.* 182. *ſeqq.* & TOLET. *l. c. Cap.* XX. ſic tamen, ut indicarent, raro accidere, ut hanc curationem adhiberi oporteat. Alia calculum curandi via eſt, quam vulgo apparatum altum (*le haut appareil*) nominant. In hac enim calculus evellitur, veſica ſuper oſſibus pubis patefacta. Etiam caſu a PETRO FRANCONE reperta eſt, quare a pleriſque *Methodus Franconica* appellatur, ab aliis apparatus vel ſectio hypogaſtrica. Refert autem PETRUS FRANCO *l. c. p.* 139. accidiſſe ſibi aliquando, annum enim non addit, & falli adeo videntur, qui An. MDLX. ponunt, ut, cum infanti bimulo CELSI curationem adhibuiſſet, non poſſet calculum, qui nimis magnus eſſet, protrahere. Quare, ne ſibi exprobrari poſſet, neſciiſſe calculum evellere, digitis ſiniſtræ manus, quos in anum miſerit, ſe calculum ſuſtuliſſe, dumque miniſter imum ventrem, proxime ſub umbilico, compreſſerit, ut calculus ſuper oſſibus pubis promineret, abdomen cum veſica ſuper calculo incidiſſe, quem feliciter extraxerit, & vulnus ſanaverit. Tamen FRANCO medentes monet, ne, quod ipſe coactus

fecerit, imitentur. HIPPOCRATIS enim auctoritate obcæcatus, existimabat, vulnera, quæ corpori vesicæ infligantur, mortem afferre. Primus probabiliter post FRANCONEM hanc Chirurgiam proposuit & laudavit, ac nomen *haut appareil* dedit ROUSSETUS in libro, quem inscripsit *l'Enfantement Cesarien p.* 77. & qui prodiit *Paris.* MDLXXXI. 8. Iterum eamdem proposuit, & tres perficiendi modos adjecit in libro *Part. Cæsar. Assert. Historiol.* inscripto *p.* 266. *seqq.* Correxit autem eam, præcipue in hoc, quod vesicam non super calculo aperire docuit, contra jussit vesicam sive lotio repleri sinere, sive liquorem idoneum immittere, quo se super ossibus pubis, tumore aliquo, prodens, tuto incidi possit. Et non solum ipse experimenta in mortuorum hominum corporibus cepit, *p.* 266. verum etiam vivo adhibitæ ab aliquo curationis exemplum habet, *p.* 282. quod adeo primum eorum omnium fuerit, quæ de illa curatione, consulto instituta habentur. Post ROUSSETUM, mentionem hujus curandi viæ fecerunt HILDANUS *loc. cit.* primum, ut rejiceret, deinde, ut laudaret, RIOLANUS in *Anthropogr. Lib. II. Cap. XXVIII.* & in *Animadv.* in *Veslingium*, GROENEVELTUS *loc. cit.* BARBETTE *in Chirurg. C. XXVI.* TOLETUS *loc. cit. Chap. XV. p.* 137. DIONIS *loc. cit. Demonstr. III. p.* 230. *& alii*. Majori studio eamdem olim laudavit, & Chirurgos ad eam exercendam excitare voluit Parisiensis Medicus, NICOLAUS PIETREUS. In schola enim Medicorum *An.* MDCXXXV. quæstionem proposuit: *An ad extrahendum calculum dissecanda ad pubem vesica?* Hæc dissertatiuncula, quod inter rarissimos libellos est, iterum impressa fuit in DOUGLASSI *Lithotom. Douglass. pag.* 121. *Lond.* MDCCXXIII. & in CHESELDENS *Treatise on the High Operat. p.* 141. *Lond.* MDCCXXIII. Conf. de hac dissertatiuncula GUID. PATIN. in *Lettres choisies Tom. I. XX. p.* 61. Cum PATINUS scribat, PIETREUM hanc curationem pluribus & viris & feminis adhibendam curasse, probabilia utique sunt, quæ de BONNETO, Parisiensi Lithotomo, habentur apud TOLETUM *loc. cit. p.* 139. & DIONIS. *loc. cit. p.* 230. &, qui *An.* MDCLI. objit. Vid. DEVAUX *c. l.* Confer. tamen PATINUS in Epist. ad BARTHOLINUM, quæ est inter *Bartholinianas XX. Cent. III.* GROENEVELTUS etiam se coactum hanc curationem aliquando calculoso adhibuisse memorat *loc. cit. p.* 152. *Ed. Lond.* MDCCX. DIONIS, etsi descriptionem dedit curationis, quam non tentavit, eam tamen perficiendi talem modum proposuit, qualis fere a DOUGLASSO etiam adhibitus fuit. Non dubitavit quoque eam reliquis calculum curandi viis præferre, *l. c. p.* 231. *seqq.* Ante DIONYSIUM experiri eam SOLINGENIUS sic voluit, ut vesica non liquore idoneo, verum aere immisso, distenderetur. *Chirurg. Part. III. Cap. XX.* Circa *An.* MDCC. COLOTUS a Magistratu Parisiensi jussus est, urgente fortassis FAGONIO, vid. DIONIS. *loc. cit.* experimenta in cadaveribus instituere. Vid. FR. COLOTUS *loc. cit. p.* 43. *seqq.* & *Auctor Præf. ad* COLOTUM *p. XV.* Ita vero de iis ad Magistratum retulit, ut nullo modo in vivis tentandam, sed periculi pleniſſimam esse, diceret. Eo ipso tamen tempore PROBY, Dublinensis Chirurgus, puellæ calculo laboranti, hanc curationem adhibuit. vid. *Transact. Phil.* MDCC. Inde usque ad A. MDCCXVIII. neminem invenio, qui ejus vel mentionem tantum fecerit. Nam hoc anno JACOBUS DOUGLASS Medicus de hac, tamdiu neglecta, curatione, coram Societate Regia Londinensi, ita exposuit, ut non solum eam tuto fieri posse, per Anatomen ostenderet, ROUSSETI præcipue argumentis usus, verum etiam præstantiam ejus, præ ceteris omnibus, confirmaret. *Transact. Phil.* Altero anno MDCCXIX. exeunte & MDCCXX. Jacobi frater, JOANNES DOUGLASSUS, Chirurgus Londinensis, quatuor ægros hac via curavit. Servavit etiam eorum tres, quarto per nervorum distentiones sublato. Vid. JOHN DOUGLASS *a nevv Method of cutting for the stone Sect. XI.* DOUGLASSUM plures ex An-

glis ſecuti ſunt, PAULUS MACCGILL, BAMBER, THORNHILL, & præcipue CHESELDEN, de quibus legi poſſunt CHESELDENS *Treatiſe on the High Operat. Lond.* MDCCXXIII. 8. quem nimis acriter, ſine cauſa, taxat HUSTON in *Lithotomus Caſtratus. Lond.* MDCCXXIII. 8. Vid. etiam ANONYMUS *in the Method of performing the High Operation. Lond.* MDCCXXIII. 4. MIDDLETON in *a Short Eſſay on the Operation of Lithotomy, as it is performed by the new method aboue the os pubis. Lond.* MDCCXXVII. 4. SAMUEL PYE *Obſ. on the ſeueral methods of Lithotomy. Lond.* MDCCXXIV. 4. Proxime poſt, quam in Anglia reſtituta hæc curatio fuerat, tentaverunt eam in Germania Cl. HEISTER vid. *Diſſ. de alto apparatu. Helmſt.* MDCCXXVIII. PROEBISCH Chirurgus Boruſſicus in Tract. de *alta operatione* germanicè ſcripto. *Regiom.* MDCCXXVII. & RUNGIUS, Chirurgus Bremenſis. Vid. HEISTER *l. c. p.* 49. Tribus calculoſis hanc curationem etiam adhibuit SENFFIUS, Chirurgus Berolinenſis, eorumque duo ſervati ſunt, unus mortuus eſt. Vid. ELLER *in Obſ. Chir. p.* 209. *ſeqq.*

Inter hæc Pariſiis in cadaveribus experimenta capta ſunt, auctore potiſſimum WINSLOVIO, quæ tamen adducere Chirurgos non poterant, ut in vivis tentarent, donec Cl. MORANDUS & BERRIERUS hanc curationem duobus calculoſis adhiberent. Vid. MORANDUS in *Tr. de la Taille au haut appareil. Par.* MDCCXXVIII. Ab hoc tempore neminem fere ſcio inventum eſſe, qui hanc Chirurgiam perficeret, maxime, poſtquam CHESELDENUS eam exercere cœpit, quam vulgo ſectionem lateralem nominant. Et dixit contra Hypogaſtricam ſectionem LE DRAN *loc. cit. p.* 95. *ſeqq.* & DENYSIUS *loc. cit.* defendit contra; & reliquis præfert MATTHIAS ERNEST. BORETIUS in *Diſſ. de Operatione alta Anglis High Operation dicta. Regiomonti*, MDCCXXIII. MIDDLETONUS, qui ab initio improbaverat, *loc. cit. Præf.* DE BREVILLE, Medicus Pariſienſis in Qu. *an educendo calculo ceteris anteponendus altus apparatus? Pariſ. MDCCXXXIV.* Demum vero, ante tres annos, eam inſtauravit quaſi, & quo cum facilius, tum tutius perfici poſſet, nova aliqua ferramenta reperit Cl. LE CAT, cujus curandi viam inferius proponam. Dignum vero animadverſione eſt, cum omnes fere veſicam aqua repletam incidi voluerint, PIETREO itinerarium demittere, & ſuper hoc aperire veſicam placuiſſe *loc. cit.* quod operoſius imitatus eſt SERMESIUS, Medicus Amſtelodamenſis. Vid. *Lithotomia Douglaſſiana ofte een nieuve vvijze van ſteen-ſnyden, te Utrecht, An.* MDCCXXVI. Pertinet autem huc, ſi TIMMIO fides haberi poteſt, HENRICI HESSI, Chirurgi Hafnienſis, inventum. Excogitavit ſcilicet fundam, cujus iconem dedit TIMMIUS, quam, loco forcipis, per plagam, ſuper oſſe pubis factam, in veſicam demitteret. Impedire autem eo voluit, ne veſica contunderetur. Et fertur a TIMMIO MDCCXXV. calculum hac funda protraxiſſe; ſed, quia plures calculi in veſica laterent, oportuiſſe ipſum reliquos forcipe evellere. Vid. TIMMIUS in *Anglorum & Gallorum obſerv. de ſectione Hypogaſtr. germanice. Brem.* MDCCXXXI. & confer *Act. Erudit.* MDCCXXIX. *Menſ. Aug. pag.* 347. *Tab. IV.* vid. etiam COLOT. *loc. cit. in fine.* Veniamus ad illam calculoſos curandi viam, quam lateralem nominant, quia plaga a latere cum perinæi tum itineris urinæ & veſicæ ſit. Ad hanc referuntur vulgo *Raviana*, *Cheſeldeniana*, *Lecatiana* duplex, *Fulbertiana*, &, quæ a FRATRE JACOBO reperta eſt, quamque omnium primam eſſe exiſtimant. Nemo ignorat, FRATREM JACOBUM de BEAULIEU, in oppidulo *Beaufort*, in Burgundia natum, *An.* MDCXCVII. Pariſios veniſſe, ibique, cum Medicis & Chirurgis Regiis ſuam curandi rationem expoſuiſſet, eam permultis calculoſis, præſentibus etiam Medicis, adhibuiſſe. Vid. MARTINUS LISTERUS *in the Journey to Paris, Lond.* MDCIC. 8. BUSSIERIUS in *Tranſact.*

Phil. An. MDCIC. MERYI *Obſerv. ſur la maniere de tailler dans les deux ſexes pour l'extraction de la pierre pratiquée par Frere Jacques, à Paris* MDCC. 12. DIONIS *loc. cit. Demonſtr. III. p.* 239. *ſeqq.* Cum hoc, quod ex monachorum ordine erat, eſſeque ſibi artem, quam exercebat, quaſi divinitus revelatam, non obſcure indicabat, tum, quod ægris gratis opem ferebat, effeciſſe videtur, ut bene omnes de JACOBO ab initio ſentirent. Adeo Magiſtratuum quoque juſſu factum eſt, ut Frater JACOBUS An. MDCIIC. in Noſocomiis Charitatis & Domus Dei Pariſiis calculoſos curaret. Brevi autem pòſt plures ex Chirurgis Pariſienſibus JACOBI curandi rationem ita damnarunt, ut, eam, ne emendatam quidem, tuto adhiberi poſſe, contenderent. Quod præcipue MERYUS, DE LAUNAY & COLOTUS fecit. Quare, ut JACOBUS eo tempore nondum ſciverit, curationem ſuam recte perficere, eam tamen exiſtimo non dijudicari ex iis debere, quæ Chirurgi Pariſienſes de ipſa ſcripſerunt. Ut vero nullam dubitationem videtur admittere, FRATREM JACOBUM, primis temporibus, multa pericula per mortes egiſſe, ſic MERYUM quoque alioſque ipſum docuiſſe, certiſſimum eſt, qua ratione plura ſaltem incommoda evitare poſſet. Fertur autem Jacobum in rectam viam duxiſſe HUNOLDUS, Medicus Andegavenſis, qui librum ſcripſit, cui titulus: *Hiſtoire du procedé de Frere Jacques*, & cujus, nondum impreſſi, mentionem fecerunt Cl. FALCONET *loc. cit. p.* 8. & MORAND. in *Memoir. de l'Acad. R. des Sc. A. MDCCXXXI. p.* 217. *ſeqq.* Imo ipſe JACOBUS An. MDCCII. breviſſimum libellum edidit, quem inſcripſit: *Nouvelle methode de tailler, & tirer la pierre de la veſſie.* 4. Ex his libris Cl. MORANDUS patere contendit, JACOBUM jam hoc tempore, eam curationem exercuiſſe, quæ nunc a CHESELDENO nomen habet, vel, quam certum eſt An. MDCCXII. Argentorati, a Fratre JACOBO, adhibitam fuiſſe. Tamen in hac altera periodo hiſtoriæ Fratris JACOBI multa nondum expedita ſunt. Expoſuit eam, ſed breviter tantum, MORANDUS *in Comment. A. R. Sc. A. MDCCXXXI.* Sed fuſius contra eum dixit Cl. HEISTERUS in *Inſtitut. Chir. p.* 988. *ſeqq.* quam litem noſtram facere nolumus. Ad hiſtoriam JACOBI, præter antea allegata, pertinent ea, quæ DE LAUNAY *loc. cit. p.* 130. *ſeq.* COLOT. *loc. cit. p.* 82. & FILGUS in Diſſ. de *variis lithotomiam adminiſtrandi modis & Ravianæ præſtantia. Gieſſæ, MDCCXXVII.* §. 24. contra JACOBUM dixerunt. Conf. etiam JAC. DOUGLASS. *Hiſtory of the lateral Operat. Chap. I. ſeqq. Lond. MDCCXXVI.* 4. ELLER. *loc. cit. p.* 195. *ſeqq.* & SCHAEFER in Diſſert. *de Variis lithotom. gener. Argent. MDCCXXIV.* Vulgo habetur, neminem JACOBI curandi viam ingreſſum eſſe: accepi tamen ab amicis, Argentoratenſium Chirurgum, LE MAIRE, JACOBUM ſecutum eſſe. Poſt JACOBI curationem de RAVIANA dicendum eſt. Hanc ex illa quaſi natam eſſe, nemo negat. RAVIUS ſecanti JACOBO adſtitit, ægros poſt ſectionem mortuos ſecavit. Deprehendit igitur curationem, ſi partes ſectas conſideres, optimam eſſe, errores vero, quos JACOBUS committebat, evitari facile poſſe, modo in ferramentis aliqua mutentur, & curatio perficiatur a Medico, Anatomes gnaro. Confirmantur hæc eo, quod, cum RAVIUS *Marianam* curationem pluribus calculoſis non infeliciter adhibuiſſet, hac relicta, ad JACOBI curationem tranſibat, quam plus, quam 2000. hominibus adhibuiſſe fertur. Plures ſunt, qui RAVIUM non ipſum emendaſſe *Jacobianam* curationem volunt, ſed uſum eſſe MERYI conſiliis & Cl. HEISTERUS *Ravianam Meryanam* eſſe dicit, in Diſs. *de Appar. alto p.* 11. Sed primum RAVIUS jam MDCIIC. hanc curationem perfecit. Vid. FALCONETTUS *loc. cit. p.* 8. Deinde, ſi RAVII ſcalpellus, qui non multum ab illo differt, quo medentes in *Mariana* utuntur, cum eo comparatur, quem MERYUS reperit, quanta diverſitas! quanta etiam in ſectione ipſa, ac probabiliter etiam in partibus ſectis!

Nam RAVIUS cum proſtata veſicam incidit, MERYUS proſtatam ſolam, neque eam, ut videtur, totam diſcindi voluit. Nam, quod nonnulli contendunt, RAVIUM proſtatam non convulneraſſe, non poſſunt tamen aliquem adducere, qui in mortui corpore viderit, quæ partes in hac curatione inciderentur. Deſcriptionem vero *Ravianæ* curationis dederunt Cel. ALBINUS in *Ind. ſupellect. Anat.* præter quem vid. ALBINI Patris *Orat. in obitum* RAVII, ERNDTL in *Itin. Angl. & Bat. p.* 119. *ſeqq.* JAC. DOUGLASS *loc. cit. Chap. VI.* FEHR in *Diſſertat. de calculo veſicæ pag.* 17. *ſeqq. Baſ.* MDCCXVI. FILGUS *loc. cit.* §. 29. *ſeqq.* SCHAEFER *loc. cit. p.* 7. *& 25. ſq.* BORETIUS *loc. cit. p.* 11. *ſq. Auctor Præfat.* ad COLOTUM *p.* 48. *ſqq.* ELLER *loc. cit. p.* 195. *ſeqq.* LE DRAN *Parallele p.* 109. *ſeqq.* præter HEISTERUM & GARENGEOTUM. Dicunt autem, ſe hanc rationem vivis adhibuiſſe HEISTERUS *loc. cit. p.* 966. *ſeq.* & FILGUS *loc. cit. p.* 44. itemque LE DRAN, etſi aliud itinerarium adhibuit. *loc. cit. pag.* 118. Narratum mihi etiam fuit a Chirurgo, harum rerum perito, SENFFIUM RAVII curationem imitatum eſſe, quod videtur etiam HEISTERUS confirmare *loc. cit. p.* 984. *ſeqq.* In Belgio vero a variis Chirurgis exerceri, habet SCHAEFERUS *loc. cit. p.* 26. DENYSIUM parvum calculum promere vidit, ſic tamen, ut is maximam vim adhibere deberet, BORETIUS *loc. cit. p.* 13. DENYSIUS ipſe libellum edidit ſub nomine *Obſerv. Chirurg. de calculo*, *Lugd. Bat. MDCCXXXI.* in quo hoc unum agit, ut *Ravianæ* præſtantiam præ ceteris omnibus aſſerat, ac ſe ſolum ſcire *Ravianam* curationem exercere. Scripſit contra DENYSIUM TITSINGH *Heelkundige Verhandeling over den Steen en het Steen-Snyden*, *Amſt. MDCCXXXI.* Sed plerique affirmant, poſt RAVII mortem, magni hujus Medici curandi viam neglectam in Belgio jacuiſſe, donec CHESELDENUS de illa paranda iterum & reſtituenda cogitaret. Factum hoc eſt An. MDCCXXVI. idem opus eodem tempore ſuſcipiente D. BAMBER. Uterque, ut in *Hypogaſtrica* ſectione, veſicam aqua replebat, & CHESELDENUS præcipue alia quædam mutabat, quæ expoſita ſunt apud JAC. DOUGLASS. *loc. cit.* in *Poſtſcript.* Cum vero ex ægris primum ſectis aliquot, ex putridis ulceribus, morerentur, quæ in celluloſa membrana naſcebantur, quæ circa anum eſt, CHESELDENUS aliam viam ingreſſus eſt. Aperuit eam in *the Appendix to the fourth Edition of the Anathomy* MDCCXXX. & clarius expoſuit DOUGLASS *in the Appendix to the Hiſtory of the lateral Operat. Lond.* MDCCXXXI. 4. Vid. etiam MORAND. *Mem. de l' Academ.* An. MDCCXXXI. CHESELDENUS vero, etſi iiſdem ferramentis utitur, quibus in *Mariana* utuntur, tamen in itinerario, ſcalpello, qui dorſum habet, in ductore canaliculato & forcipe, aliqua ſapienter mutavit. Vid. DOUGLASS. *in Append.* ubi ferramentorum icones habentur. In hac via progreſſus eſt, ut ex viginti ſeptem, quos continuo curavit, nullum, ex quadraginta ſex, duos tantum perderet, de quibus ſperari vix poterat, ut curarentur. Nihil etiam adhuc perdidit de præſtantia ſua CHESELDENI Chirurgia, ſed ab aliis etiam Chirurgis Anglis exercetur, ex quibus imprimis Cl. SHARP eſt, qui elegantem deſcriptionem cum iconibus ferramentorum dedit in *Treatiſe on the Operat. of Surgery*. Succeſſus vero, quem CHESELDENUS habuit, Cl. MORANDUM movit, ut An. MDCCXXIX. Londinum peteret, quo poſſet ab ipſo CHESELDENO in hanc viam duci. Vid. MORANDI Epiſt. *ad* SENACUM *in Mercure de France Dec. MDCCXXIX.* MORANDUS poſt reditum An. MDCCXXX. in noſocomio Charitatis pariter ac in urbe, cum PERCHETO, ſedecim calculoſos ita hac ratione curavit, ut uterque ſeptem ſervaret, inter quos ille puer fuit, cujus hiſtoriam habet GARENGEOT *in Op. T. II. p.* 198. *ſeqq.* & de qua conf. ſis, quæ dixi in *Obſ. de calc. curandi viis p.* 41. *ſeqq.* Eodem tempore de CHESELDENI curatione egit LE DRAN, cumque

plures ejus utilitates esse animadverteret, hoc maxime fecit, ut eam vix differre a *Mariana* probaret *loc. cit. p.* 139. Magis autem se ceteri Chirurgi huic curationi opposuerunt. Contra eam reliquis omnibus praestare egregie probat FALCONETTUS in *Quaest. citata*. Quod enim de sectione laterali in universum dicitur, idem esse, ac si de *Cheseldeniana* diceretur, inferius docebitur. Cl. MORANDUS cum exercere eamdem non destitit, neque Regis jussu ea interdictus est, quod in suo Operationum libello SHARPIUS posuerat, tum plures etiam discipulos habuit, quos hanc Chirurgiam docebat. Vid. *Refut. d' un passage du Traité de Mr. Sharp sur la taille laterale. Paris. MDCCXXXIX.* Quam multi vero calculosi per lateralem sectionem in Gallia servati sint, videre licet *in Histor. A. R. Sc. An. MDCCXXXI. MDCCXXXIV. MDCCXXXVII. MDCCXXXVIII. sq.* Exercuerunt autem hanc Chirurgiam in Gallia, Rupellae LA FAYE, Rothomagi LE CAT, Gadibus in Hispania VIRGILI. Inter hos magnum nomen sibi peperit LE CAT, qui, cum primum iisdem ferramentis uteretur, quibus MORANDUS, alia deinde reperit, quibus curationem tutius perficeret. Vid. de LA FAYE *Remarques sur Lionis p.* 251. & *Tab. adject. II.* Ferramenta autem sunt itinerarium, & duo scalpelli, quibus peculiare fasciae genus addi debet, ad ligandos calculosos, quod ceteris omnibus praestat. Olim in ante allegato *libello Obs. IV. hanc amicissimi* LE CAT curationem descripsi, qualem ab aliis acceperam. Post haec tempora ipse LE CAT, me humanissimis literis docuit, pleraque in ea descriptione falsa esse, quod cum gratus agnosco, tum Lectores moneo, ne se descriptione illa in errorem induci patiantur, proximeque talem ejus descriptionem exhibebo, qualem me integerrimus amicus LE CAT per litteras docuit. Indicavit etiam, quam prosperos successus sua curandi ratio haberet. Retulit tamen mihi amicus, qui ipsum LE CAT secare vidit, & cui hac in re plenam fidem habere possum, ipsum An. MDCCXLI. novam curationem tentasse. Excitatus enim per prosperrimos successus, quos *Raviana* habuit, & per famam, quae ferebat, RAVIUM, illaesa prostata, lateralem vesicae partem incidisse, itinerarium aliquod, peculiaris formae, ingeniosissime excogitavit, cujus iconem dedit MONROUS in *Med. Ess. of Edimb. Vol. V. Tab. VI. Fig. IV.* verius autem descriptum est in *Actis Eruditorum Lips. MDCCXLV. mense Febr.* Praeter hoc scalpellum quoque addidit, ancipitem quidem, diversum tamen a reliquis, & speculo ani, quod jam antea invenerat, utitur, ad intestinum rectum ad latus ducendum, vesicae vero lateralem sinistram partem aliquantum deprimendam. His novis ferramentis An. MDCCXLI. sapienter excogitatam, & saepius in cadaveribus tentatam, curationem tribus aegris ita adhibuit, ut vesicam in aliis, inter utrumque ureterem, in aliis, inter prostatam, & ureterem sinistrum, ac super receptaculo seminis, ejusdem lateris, patefaceret. Sed nullum ex iis, quos curavit, servare potuit, & cum sectionem difficillimam esse cognovit, tum prostatam praecipue se forcipis immissioni extractionique calculi, opponere. Quae vero fama de RAVIO, vesicam solam aperiente, *Albiniana* descriptione confirmata, LE CAT excitavit, ad hanc curationem reperiendam, ea jam ante octodecim circiter annos, FULBERTUM, Chirurgum Parisiensem, movit, ut pariter nova quaedam ferramenta excogitaret, quibus posset ad lateralem vesicae partem, illaesa prostata pervenire. Prima experimenta in cadaveribus cepit An. MDCCXXVII. in vivis vero An. MDCCXXXI. Vid. *Memoires de l' Acad. de Chirurg. Tom. I. p.* 664. & 673. Nemo adhuc inventus est, qui hanc curationem imitaretur. Confer. de hac curatione KESSELRINGIUS in *Dissert. de Methedo Foubertiana, Halae, MDCCXXXVIII.* Ego in *Obs. Chirurg. citato libro Obs.* I. & FULBERTUS ipse in *Memoires de l' Academie de Chirurg. Tom. I. p.* 650. *seqq.* ubi animadversione dignum est, FULBER-

TUM non, ut alios, quot ægris hactenus ſuam curationem adhibuerit, indicaſſe. Ferramenta, quibus FULBERTUS utitur, primum KESSELRINGIUS *loc. cit.* deinde ipſe FULBERTUS *loc. cit. Tab. I.* iconibus expreſſit. Utiliſſimæ etiam eo loco habentur, partium ſectarum icones, quæ viam curandi planiſſimam faciunt, & quæ in hoc genere, quantum equidem novi, primæ ſunt. Commoda & incommoda hujus curationis breviter a me expoſita ſunt *loc. cit.* fuſius a KESSELRINGIO. Comparavit eadem inter ſe etiam G. DE LA FAYE *l. c. p.* 254. *ſeqq.* Contra hunc directa eſt epiſtola, quæ ſub titulo: *Lettre de Monſ. ***. Chir. de Province à Monſ. ***. Maître Chirurgien de Paris. Pariſiis* MDCCXL. *prodiit.* Acriter tamen perſtrinxit ea, quæ in hac epiſtola pro FULBERTO dicta ſunt, COGHLANUS in *Obſerv. critiq. ſur la lettre d'un Chirurgien de Province à Monſ. ***. Chirurgien de Par. MDCCXLI.* cui libello addi poteſt utriuſque ſcripti recenſio critica, in *Actis Erudit. Lipſ.* MDCCXLV. *Menſ. Febr.* Hactenus brevem hiſtoriam dedimus curationum calculoſorum, quæ adhuc innotuerunt; ſupereſt, ut ex partibus ſectis, conſtituamus, cum, an omnes vere diverſæ ſint, tum, quo, quæque tempore, reperta ſit. Primum igitur omnis calculoſorum curatio in eam dividi poteſt, in qua veſica ſuper oſſibus pubis inciditur, & eam, in qua ſub his oſſibus, via ad veſicam paratur, per quam calculus evelli poſſit. Deinde hæc curatio, quæ in perinæo fit, vel mediam veſicæ, aut potius urethræ, partem afficit, vel lateralem. Ad harum alterutram, omnes curandi rationes pertinent, de quibus hactenus dictum eſt, præter *Franconianam*, quæ ideo a reliquis quam maxime diſtincta eſt, & a PETRO FRANCONE reperta. Nemo fere ignorat, vulgo in *Mariana* eam itineris urinæ partem incidi, quæ ante proſtatam eſt; & plagam, qua cutis inciditur, futuræ, quæ in perinæo eſt, a latere ſiniſtro, reſpondere. Ut forceps immitti, & calculus promi poſſit, os veſicæ, in iter urinæ patens, vehementer dilatari, ac ſæpius cum proſtata, rumpi debere. Bene autem omnia cedere, ſi hæ partes ita findantur, ut ruptio plagæ, ſcalpello factæ, reſpondeat. Vid. COLOT. *l. c. p.* 84. 86. & præcipue LE DRAN *l. c. p.* 153. *ſeqq.* De illa vero curatione, in qua a latere plaga fit, diviſæ ſententiæ ſunt. Volunt enim in *Raviana* veſicam ſolam, poſt proſtatam, a latere aperiri, quam ſectionem FULBERTUS & LE CAT imitari voluerunt. Multi tamen RAVIUM contendunt, veſicam non alia via, quam *Cheſeldeniana* patefeciſſe, in qua iter urinæ in membranea parte, proſtata tota, cum adjacente veſicæ parte, a latere inciditur, quod radicem coxæ ſiniſtræ reſpicit. Ut hæc interna plaga recta fere retrorſum eat, tamen externa aliquantum oblique deorſum ducitur. Eaque muſculus bulbocavernoſus utplurimum a latere tantillum convulneratur. Sed lateralem ſectionem ponamus *Cheſeldenianam* curationem eſſe; hæc enim propemodum ab omnibus exercetur, qui ſe dicunt calculoſos laterali ſectione curare. *Cheſeldeniana* vero a *Jacobiana* non differt, nempe ea, quam FRATER JACOBUS, vel Argentorati, ut hoc exemplo utar, calculoſis adhibuit, vel, quam MERYUS laudavit *loc. cit. Cap. I. II.* Vid. Cl. MORAND. *in Mem. de l'Acad. loc. cit. pag.* 216. Pervulgata res eſt, RAVIUM, de ſua curandi ratione quæſitum, reſpondiſſe: legas CELSUM; & MERYUS ſuſpicatus eſt, JACOBUM hanc curandi rationem ab aliquo accepiſſe, cui per CELSI lectionem, in mentem venerit, ejuſmodi curationem excogitare. *loc. cit. p.* 64. MORANDUS vero planiſſimum fecit *loc. cit. p.* 222. *ſeqq.* lateralem ſectionem, quantum ad partes ſectas attinet, ipſiſſimam CELSICAM, omniumque adeo antiquiſſimam, eſſe. Videtur autem hæc ſententia & GALENI aliquo loco confirmari poſſe, qui in *Introd. loc. cit.* ait, Chirurgos, ut poſſint calculum promere, carneam cervicis veſicæ partem incidere. Quare ſectio lateralis debet ita dividi, ut alia cum parvo apparatu, alia cum magno fieri dicatur.

Illa *Celſica* foret, hæc adhuc *Jacobiana* nominata eſt. Ut hæc in univerſum FALCONETO etiam probari videantur, tamen ſententiam propoſuit, per quam lateralis ſectio, cum magno apparatu facta, *Jacobiana* multo antiquior fuerit. Ante FALCONETUM communis opinio erat, JOANNEM DE ROMANIS, quando novam calculos curandi viam excogitabat, hoc ſibi propoſitum habuiſſe, ut maſculorum urinæ iter, muliebri ſimile faceret, ac breviorem in veſicam viam pararet. Contra FALCONETUS exiſtimat, JOANNEM DE ROMANIS probabiliter credidiſſe, ſe, quam repererat, via, æque facile, ac *Celſica* curatione, ad veſicam pervenire poſſe *l. c. p.* 9. Quicumque JOANNIS animus fuerit, certum mihi eſt, inter eos, qui ante JACOBI tempora, aliam calculoſis curationem adhibebant, quam, quæ vel cum parvo apparatu, vel in hypogaſtrii ima parte fit, permultos fuiſſe, qui vel data opera, cervicem veſicæ, ſuper itinerario aperiebant, vel in ea opinione conſtituti, ſe *Marianam* curationem perficere. Conf. FULBERT. *l. c. p.* 660. Inter hos primus eſt PETRUS FRANCO, cujus verba apponam: *Eſtant le raſoir à l'endroit de la dite canule* (ſic vocat itinerarium) *il fault copper le col de la veſſie ſur la cavité d'icelle. La fait, on tramera le dit raſoir par dedans icelle, le quel comme avons dit par cy devant coppera des deux coſtez, ſelon qu'il eſt figuré: ayant fait aſſez bonne ouverture vers la capacité de la veſſie* &c. Et paulo ante dixerat, plagam in latere ſiniſtro faciendam eſſe, quo loco in *Celſica* fiat *l. c. p.* 130. Reliqui quos novi, ſunt: JOANNES ANDREAS A CRUCE *l. c. Lib.* VII. *p.* 23. qui vult, totam cervicem ita aperiendam eſſe, ut calculus in conſpectum prodeat, quod certe in *Mariana* non poteſt. FRIDER. DE LEAUSON in latere ſiniſtro, duos treſve digitos ab ano, inciſionem vult fieri *l. c.* C. IX. DURANTES SCACCHUS in extremitate natis ſiniſtræ, plagam fecit, ut cervicem veſicæ aperiret *loc. cit. p.* 187. Vid. etiam HILDANUS *loc. cit. cap.* IV. COVILLARD *loc. c. p.* 101. Hos omnes, ſi non plane *Cheſeldenianam* curationem adhibuerunt, proxime tamen ab ea abfuiſſe oportet. Poſt JACOBI tempora, præcipue poſt RAVII & CHESELDENI proſperrimos ſucceſſus, plerique, qui *Marianam* exercebant, hanc ita ſenſim mutarunt, ut novam curationem facerent, quæ dici poſſit media inter *Marianam* & *Cheſeldenianam* eſſe. An hæc fortaſſis cauſa eſt, quod tanta ſit diverſitas in numero calculoſorum, qui in noſocomio Domus Dei *Pariſiis An.* MDCCXX. *ſeqq.* & *An.* MDCCXL. ſervati ſunt? de qua re vid. MORAND *Traité de la Taille au haut appareil p.* 263. & COGHLANUS *loc. cit. p.* 35. Conf. etiam de recentiorum ratione *Marianam* curationem exercendi DE LAUNAY *loc. cit. p.* 99. *au coté de l'urethre*. TOLET *loc. cit. p.* 173. LE DRAN *Parallele p.* 59. KOENE *loc. cit. p.* 19. 21. G. de la FAYE *loc. cit. pag.* 223. vid. etiam ex veteribus PAREUS *loc. cit. Cap.* XLII. Curationum igitur, quæ calculoſis adhibentur, duo ſumma genera ſunt. Promitur enim calculus, veſica vel ſuper oſſibus pubis, inciſa, vel ſub illis. Sed hoc quidem tribus modis fit. Iter enim urinæ, vel recta plaga aperitur, quod in antiqua *Mariana* fit, vel obliqua, qualem recentiores faciunt, qui recedere a *Mariana* non volunt, vel transverſa a latere. Hæc antiquiſſima eſt, & cum aliqua in ferramentis varient, quæ ſine itinerario adhibetur, *Celſica* nominatur; quæ cum ipſo, quamvis vulgo *Jacobiana* nominetur, deberet utique *Franconiana* appellari. Fateri tamen oportet, hanc potiſſimum in eo a prioribus differre, quod, cum in hac cervix veſicæ & hæc ipſa aperiatur, in illis iter urinæ ſolum.

b Inter curationes, quæ manu fiunt, pauciſſimi medentium calculi exſectioni ex renibus, nephrotomiam vocant, locum concedunt. HIPPOCRATES, ubi renum morbos recenſet, primo loco calculum nominat. Cui, cum dolor acceſſerit, ſuperdanda eſſe, quæ tepefacere poſſint. Si ſub his tumor ortus fuerit, cui pus ſubſit, juxta renem ſecandum eſſe, &, calculo vel arena

exemta, vulnus curandum. *In libro de Intern. affection. p.* 539. Hanc curandi rationem improbarunt ex veteribus AVINCENNA *Lib.* III. *Fen.* 18. *Tract.* 2. *Cap.* 18. & SERAPION in *Prax. Tract.* IV. *Cap.* 22. Forte, quod aliqui auſi ſunt, etiam ubi ren non intumuerat, & pus conceperat, calculum exſcindere. Talis debuit ſectio eſſe, qua arcigero Pariſienſi calculus exemtus eſſe dicitur, modo vero renum calculo laboraverit. Vid. PAREUS *Lib.* XXIV. *Cap.* XIX. & MEZERAY *loc. cit.* ROSSETUS contendit, hanc curationem, ſine præſentiſſimo mortis periculo, adhiberi poſſe; debere tamen non in dorſo, ſed circa ilia, fieri, in *Enfant. Ceſar. p.* 78. & *Part. Cæſar. Aſſert. p.* 222. *ſeqq.* Eadem fere RIOLANI mens fuiſſe videtur, in *Anthropogr. Lib.* II. *Cap.* XXVI. Vult autem, ſi tumori pus ſubſit, cauſticum imponendum eſſe, in *Enchir. Anat. Pathol. Lib.* II. *Cap.* XXIX. Hujus curationis, a DOMINICO MARCHETTIS aliquando feliciter perfectæ, exemplum habetur in *Tranſact. Philoſ. No.* 223. *p.* 340. Improbat eam, & varia argumenta in eam rem adducit NICOLAUS TULPIUS in *Obſ. med. Lib.* IV. *Cap.* 27. A TULPII ſententia hodie ex medentibus pauciſſimi recedunt. Vid. ex recentiſſimis ſcriptoribus JOANNES DOUGLASS. in *Med. Eſſays of Edinb. Tom.* I. *Obſ.* XXI. ſed pauci, etiam ubi calculus abſceſſum formavit, plagam facere audent. Vulnus enim non coire dicunt, ſed perpetuam fiſtulam manere. Nolo negare, cum renes profunde ſub muſculis, in dorſo ſiti ſint, & magna pinguedinis vis circumfuſa, non levem fiſtulæ metum eſſe debere. Sed, ſi ſponte tumor ortus eſt, iſque pus concepit, quis ruptionem tumoris prohibeat, quin ſe ad internas partes puris materia convertat, & hominem tollat? Quare, ut opera danda ſit, ne inflammationi occaſio adferatur, prudentis tamen Medici eſſe puto, non tam exſpectare, donec abſceſſus rumpatur, ſed maturum protinus incidere. Quo enim diutius pus intus continetur, eo major fiſtulæ metus eſſe debet. Et varia hujus curationis exempla habentur. Vid. de *Nephrotomia* GEORG. WOLFFG. WEDEL *in Diſſ. de Lithotomia Jen.* MDCCIV. Cl. HEISTER in *Inſtr. Chir. p.* 903. JACOBUS MERY *loc. cit. p.* 2. *ſeqq.* & FRANC. COLOT. *loc. cit. p.* 36. *ſeqq.*

§. 1358.

Omni tempore vulgo crudelis ac temeraria curatio habita fuit, quæ calculoſis adhibetur. Neque negari poteſt, Medicinam in hoc, etiam nunc ſæpius fallere, quamvis in nulla fere chirurgia tam multum elaboratum ſit. Igitur, quo plura in hac & genera & tempora periculi ſunt, eo minus ad eam feſtinare convenit. Et qui eam experiri volunt, ante in pluribus mortuorum corporibus ſe exercere debent.

§. 1359.

Calculus, qui veſicam infeſtat, nullam ætatem magis exercet, quam puerorum. Inimicior etiam ex his illis eſt, qui ab humilis fortunæ parentibus nati ſunt. Ex quo conjicere licet, calculo utplurimum cibum potionemque occaſionem adferre, ex cruda acida & viſcida materia paratum. Probabile tamen eſt, aliquando etiam ex naturali aliquo renum ac veſicæ vitio, naſci. Permulta enim calculoſorum exempla habentur, qui, cum pueri

ſecti fuerint, tamen adoleſcentes ac viri facti, iterum tertiumque calculum in veſica aluerunt *a*. In adultis contra raro calculus in veſica naſcitur, ſed tantum increſcit. Utplurimum enim, vel parvus lapillus, vel arenulæ aliquot, quæ cum puris vel ſanguinis particula, concreverunt, cum lotio, ex renibus, in veſicam devolvuntur. Ex quo ſimul conſtare debet, quam variæ poſſint calculorum in adultis cauſſæ eſſe. Ubi ejuſmodi lapillus in veſicam deſcendit, ſuper eo, ex tartareis particulis, quæ in lotio ſunt, plures cruſtæ concreſcunt, niſi mollis & arenoſus calculus ſit. Sæpe fit, ut, ſi talis calculus confringitur, is, qui renibus deſcendit, exſiliat. Ut vero tartarea materia ſuper lapillo, concreſcere poteſt, ſic etiam ſuper omni corpore, quod quacumque via, in veſicam delatum eſt. Et hic verus veſicæ calculus eſt. Inventa vero ſunt in calculis, ſive ex vivis, ſive ex mortuis extractis, ferramenta varia, acus, bacilli, glandes plumbeæ, pilorum faſciculi, pennæ, turundæ, cerei, & alia permulta *b*. Nullam tamen dubitationem admittit, calculum in veſica, etiam ad puris ſanguiniſque particulam, & forte etiam muci, qui veſicam oblinit, adnaſci poſſe, præcipue, quando veſica intus pluribus cellulis inæqualis eſt, in quibus lotium aliquamdiu retinetur *c*.

a Ex pluribus exemplis, quæ afferri poſſent, aliquot tantum allegabimus. FRANC. TOLETUS *loc. cit. p.* 256. virum habet, cui, cum admodum puero, calculus ſectione extractus fuerit, quinquageſimo tandem ætatis anno, iterum calculus in renibus naſcebatur. Aliud exemplum memorat de LAUNAY *loc. cit. p.* 40. *ſeq.* quod eo maxime memorabile eſt, quod, cum a prima ſectione fiſtula remanſerit, calculus tamen XVII. unciarum, in veſica concrevit. Bis etiam a calculo liberatus fuit RIOLANUS, quod ipſe teſtatur in *Animadv.* in SPIGELIUM, ter ELLAIN, Medicus Pariſienſis apud GOURMELENUM in *Operat. p.* 185. & alius apud COLOTUM *loc. cit. p.* 15. Plura exempla hominum, qui ter, quater, immo quinquies, ſecti fuerunt, vid. apud HEISTERUM *in Inſt. Chir. p.* 1003. & in *Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. I. p.* 415. *ſeqq.*

b Multa exempla collecta vide in PLATNERI *Diſſ. de calculo ad Veſicam adhæreſcente* §. X. quibus addi poſſunt JOSEPH. COVILLARD *in Obſ. Jatrochir. p.* 39. qui calculum extraxit, circa glandem plumbeam concretum, quale exemplum DIONIS quoque memorat *loc. cit. p.* 243. vid. etiam COLOT. *loc. cit. p.* 48. Pilorum faſciculum, circa quem calculoſa materia coivit, OL. BORRICHIUS vidit. confer. ACT. HAFN. *Vol.* II. *Obſ.* LV. Acus ſutoriæ, calculo inhærentis, hiſtoriam vide ſis in *Zod. Med. Gallic. Ann.* IV. *p.* 29. Duos calculos ſuper fiſtulæ, ex quibus tabaci fumum ſugimus, fruſtis, concretos habet KOENE *loc. cit. p.* 8. Homo, ex quo hi calculi extracti ſunt, ante calculo ſectus fuit: cumque in vulnere pruritum haberet, qui ipſi moleſtus erat, illa fiſtulæ fruſta immiſit, quibus vulnus fricaret; cum-

que nimis brevia eſſent, in veſicam illapſa ſunt. Turundam ex linteo factam, & calculo obductam, quæ ante triginta quatuor annos, in abſceſſu ſuper oſſe pubis, perdita fuerat, ex veſica matronæ eduxit COLOT. *loc. cit. p. 49. ſeqq.* Claviculam in calculo inventam memorat MATTHÆUS in *Obſ. adi. Ejuſd. Quæſt. Med. p.* 128. Aciarium, quod puella pruriens in veſicam intruſerat, & ſuper quo calculus concretus erat, ex LUISCIO BORETIUS habet *loc. cit. p. 18.* Vid. VALLISNIERI *Oper. Tom.* III. *p.* 310. *ſeqq.* Hæc docent, ſi ob quodcumque vitium, fiſtula in veſica relinqui debet, per quam urina evocari poſſit, non nimis diu relinquendam eſſe, ne, ſi arenulæ adhæſerint, non poſſit ſine itineris urinæ graviore noxa recipi.

c Conferri meretur HOUSTETI *Commentatio de calculis tunica incluſis in Memoir. de l' Acad. de Chir. Tom.* I. *p.* 395. *ſeqq.*

§. 1360.

Tranſeamus vero ad ea, ut, quæ aliquis in calculo habere poſſit notas, indicem. Earumque ut permultæ ſint, tamen unica tantum certa calculi indicia præbet. Quorum igitur veſicam calculus infeſtat, frequens urinam mittendi cupiditas eſt, & gravitatis in perinæo ac circa pubem ſenſus. Dolor etiam in his partibus fere perpetuus eſt, & ad motum in equo & rheda increſcit. Augetur etiam, ubi urina mittenda eſt, quæ ſæpius, vel intercipitur, vel, quaſi tenujore filo fluit. Redditur autem vel aquoſa urina, vel, quæ mucum, aut quaſdam quaſi ſquamulas, ſecum trahit. Ubi motus præceſſit, etiam ſanguis fluit inter maximos dolores, aut cruentum. Urina etiam non in omni ægri poſitu profluit. Solent vero ægri, præcipue pueri, partim ſcalpere colem, partim extendere. Frequenter etiam contra voluntatem, ac cum moleſtia, arrigunt. Vehementiſſimus dolor eſt, ubi noviſſimæ lotii guttæ exprimendæ ſunt, tumque & deſidendi cupiditas eſt. In his omnibus ſignis eſt, quod fallat. At fidem calculi faciunt digitus in anum demiſſus, & ad veſicam datus, maximeque fiſtula, quæ per urinæ iter, in veſicam compellitur. Tamen ne cum hac quidem in omni caſu ſatis certi medentes ſunt. Nam, ſi parvus calculus eſt, effugere fiſtulam poteſt; ſi mollis & arenoſus, vel tunica incluſus, ſuſpicionem carunculæ facere, quales ſæpius veſicæ increſcunt, vel indurati interni veſicæ velamenti. Quare medentes non ſatis habere debent, fiſtulam ſemel in veſicam demiſiſſe; Et, ubi demiſſa eſt, huc illuc moveri oportet, quo, ſi forte calculus aliquo in loco lateat, vel maximam partem, tunicis veſicæ inhæreat, per longam tamen & curioſam inquiſitionem inveniatur. Certo autem indicio, calculum intus eſſe, cognoſcitur, ſi fiſtula in calculum

incidens ſonum edit. Multum etiam juvat cognoviſſe, num unus, an plures calculi in veſica ſint, mobileſne ſint, an adhęreſcant, magni, an parvi, & num veſica ſana ſit, an vitium in velamentis habeat. Sed in hæc expedit, ſaltem in pueris, tam digitis, in anum conjectis, inquirere, quam fiſtula, in veſicam compulſa.

§. 1361.

Neque vero tutum eſt, omnes calculoſos curare. Secari igitur non debet, cui veſica intumuit, & callo indurata eſt, cujus veſicę velamentis calculi increverunt, cum cujus urina purulentum quid, & mali odoris excernitur, maxime, ſi æger ex lumbis dolet, & vitiati renis indicia habentur. Senium quoque abſterrere medentes poteſt, ac ſi valde corruptus habitus eſt. Etiam omne nervorum vitium inutilem ægris hanc chirurgiam facit, & vita periclitatur, ſi vel nimis magnus calculus eſt, vel tunica quadam incluſus: Quod ſi ęger ac neceſſarii tamen hoc auxilium adhiberi malint, quam nullum, propoſito metu, nullam fere ſpem ſupereſſe, indicandum eſt. Et numquam licet certam ſalutem promittere. Plurimum tamen ſpei facere poteſt ætas juvenilis, corpus robuſtum, ac in ceteris ſanum, calculus, qui nec nimis magnus, nec nimis parvus eſt, qui aliquem lęvorem habet, ac moderatam duritiem, neque ad veſicam adhęreſcit. Videtur etiam curatio proſperos ſucceſſus habitura eſſe, ſi id, quod cum urina excernitur, neque cruentum, neque purulentum eſt.

§. 1362.

Igitur, ubi ultima experiri ſtatutum eſt, omnia circumſpectius agenda ſunt. Neque enim id in omni tempore experiendum eſt, ſed vere atque autumno. Nam internas præcipue partes, cum ſolis ardor, tum frigus, lędit. Videndum tamen, an non ex mora periculum futurum ſit. Quare, ſi porrigi ęger in illud tempus non poteſt, quod curationi commodiorem locum præbet, arte ſubveniendum eſt, ut, ſive caloris ſive frigoris, nimia vis avertatur. Ad hęc numquam tutum eſt, crudum corpus curationi ſubjicere. Præſtat vero illud victu, quam medicinis, præparare. Et aſſumere æger cibos boni ſucci debet, ex quibus chylus parari poſſit facile meabilis. Neque concedendum eſt, ut æger ventriculum multis cibis oneret. Proximis

diebus ante curationem, ſanguis, inciſa vena, mittendus eſt, niſi, vel ſumma debilitas, vel aliud quid obſtiterit. Hinc utile etiam eſt, alvum ſolvere, quę potiſſimum, quo die curatio adhibenda eſt, clyſmate injecto elui debet. Nam extrema alvus, ſi a duris fæcibus diſtenditur, facile, cum ſcalpello, tum calculo, ubi evellitur, lędi poteſt. Prętęr hęc, ubi ad extrema perventum eſt, Medicus exire jubeat, cum omnes, quibus opus non habet, tum prędipue cognatos ęgri, qui ſermonibus, lacrymis, aut vultu tantum, flectere ejus animum poſſent. In qua re tantum diſcriminis eſt, ut robuſtiſſimis hominibus eo aliquando ita ſolutę vires fuerint, ut, calculo feliciter exemto, tamen, interpoſito aliquo ſpatio, decederent.

§. 1363.

Cum noſtra ętate tam multum in calculoſorum curatione elaboratum ſit, ut plures vię habeantur, quibus ad veſicam perveniri & calculus promi poteſt, convenire inter medentes debet, quam ex his curationibus ęgro adhibere expediat. Neque enim omnibus eadem convenire poteſt. Quare, ſi calculus inſolitæ magnitudinis eſt, neque veſica multum vitiata, & parva, oportet ſuper pubis oſſibus ſecare; contra, ſi veſica vehementer adſtricta ac pęne ſcirrhoſa eſt, cervix veſicæ a latere aperiri debet. Eamdem *Franconianam* curationem, vel etiam, ſi puer eſt, *Celſicam* adhiberi oportet, ubi calculus veſicæ cervici ita inſedit, ut repelli, ac fiſtula in veſicam conjici, non poſſit. Etiam in natura calculi multum diſcrimen eſt. Igitur, ſi magna ejus aſpritudo eſt, & ſi quaſi ramos habet, tutiſſimum eſt, *Cheſeldenianam* curandi viam eligere. Si mollis & arenoſus, & urina multas arenulas ſecum trahit, præſtat eadem via, vel etiam *Mariana*, incedere, modo non plures calculi ſint. Nam molles calculi magni non ſunt. Interdum tunica incluſi calculi ſunt, vel fungi & caruncułæ veſicæ increverunt. In quo caſu, vel a *Franconiana*, vel a *Cheſeldeniana* ſectione præſidium petendum eſt; ab hac, ſi calculus, aut fungus, inferiori veſicæ parti inhæret, ab illa, ſi ſuperiori. Requiritur tamen, ut Medicus in his omnibus curandi rationibus exercitatus ſit, vel, ut ſaltem in mortuorum corporibus ſæpe tentaverit. Aliter adhibere convenit, in qua ſe exercuit, & quæ per plures ægros reſpondit, quamvis altera præſtaret.

§. 1364.

Qui noſtra ætate calculoſos curant, plerique *Marianum* ſequuntur, vel cum magno, quem vocant, apparatu ſecant. Quo major apparatus eſt, eo curioſius omnia agenda, & quorum vel incidere tantum uſus poſſit, ante curationem, ita diſpoſita, in promtu habeantur, ut curatio nullo caſu turbari queat. Ferramenta igitur ſunt 1) Specilla ex duriſſima chalybe parata, & magis, quam fiſtulæ, quibus urinam emolimur, incurva. Debent etiam longius, quam hæ fiſtulæ, roſtrum, & in dorſo, qua parte incurvum ſpecillum eſt, ſulcum in longum ductum habere, & in extremo roſtro apertum, quo factum eſſe videtur, ut itineraria nominarentur. Qua parte a Medico teneri oportet, plena eſſe debent, ne facile vacillent. Neceſſe eſt etiam, ut, qui calculoſos curare vult, cum, quia ætas variat, tum, quia in itinere urinæ quædam diverſitates ſunt, varie magna ac plena, varieque incurva ſpecilla habeat. 2) Scalpellum latum & anceps, quod cum fixum non ſit, faſciola, ex linteo ſecta, circumligari oportet, quo non ſolum fixum ſit, verum etiam ſine læſionis metu, firmiter a Medico teneri poſſit. Præſtat tamen, ut per pollicem tantum, verſus apicem, acutum ſit. Sunt etiam, qui fixum eſſe malunt, & ex acutis labris, quod perinæo obvertitur, parum incurvum, quod ſurſum converſum eſt, fere rectum. Expedit vero ad minimum duo ejuſmodi ſcalpella parata habere, in quibus primum hoc ſit, ut probe acuta ſint. 3) Ductor canaliculatus, (*Gorgeret*) ſuper quo forcipes in veſicam conjici debent. Requiritur, ut ex averſa parte lingulam habeat, ex adverſa, manubrium paulo plenius & ſiniſtrorſum converſum. Hujus loco etiam duo ductores adhiberi poſſunt, quorum alterum feminam, alterum marem appellant. Ille, ut canaliculatus ductor, lingulam & manubrium habet, prætereaque criſtam, quæ per totum ductorem, in longum ducta, in medio eminet. In altero ductore hæc criſta deeſt, iſque non in lingulam, ſed quaſi in furcam terminatur. 4) Forcipes aliquot, quibus calculus evelli debet; In quibus primum fere eſſe oportet, ut ex chalybe paratæ ſint, probe indurata, ne, cum interdum vis adhibenda eſt, frangantur. Deinde aliæ magnæ eſſe debent, aliæ parvæ, & ex utriſque, aliæ rectæ, aliæ incurvæ. Qua parte calculum mordere debent, dentatas eſſe oportet, & tantillum

excavatas. 5) Uncus ex chalybe factus, qui interdum in veſicam conjici debet, vel ad parvos calculos promendos, vel ad majores etiam, ſi in vulnus inciderunt, ut prehendi forcipe non poſſint. Oportet hunc uncum, fere ut forcipes, dentatum eſſe. 6) Ferramentum, quod, cum in altero extremo cochlear referat, in altero nodum, (*Bouton*) in dorſo autem criſtam habeat, plane, ut ductor, femina dictus, triplicem uſum habet, ut infra oſtendam. Præter hæc vas aliquod ad manus eſſe debet, oleo tepido plenum. Nam, quæcumque ferramenta in veſicam immittuntur, oleo tepido inuncta eſſe oportet. Præſtat etiam quaſi burſa quadam præcinctum eſſe, cui ferramenta ita inhæreant, ut manubria promineant *a*, quam ipſa in patina diſponere, quæ a miniſtro teneatur. Is enim ut plurimum minus ſua curat, quam ad ea attentus eſt, quæ Medicus curans facit. Denique habere etiam Medicum faſcias, ſeu ligamina decet, quæ, ſic ægro injicienda ſunt, ut immotus præſtetur.

a Figura tales burſas expreſſerunt ALGHISI *l. c. Tab.* VII. & HEISTERUS *l. c. Tab.* XXX. *Fig.* VI.

§. 1365.

Hæc omnia ad curationem neceſſaria ſunt. Oportet vero etiam de poſitu ægri ſollicitum eſſe. Optimum eſt, menſam paratam habere, quæ non facile dimoveri poſſit, ſuper hac, vel ſedile inverſum, ponitur, ut dorſi ſummum duas, vel tres, latas manus a margine menſæ abſit, vel latus aliquis aſſer, eadem a margine diſtantia, mobili junctura firmandus eſt. Iſque fulcro mobili in dorſo inſtructus ſit, cui in media menſa, in longum ductæ, aliquot inciſuræ reſpondeant, quo aſſer modo altior ſtatui, modo demitti poſſit *b*. Inter aſſerem vero & marginem menſæ, ſaccum ſtramine plenum, vel culcitam, imponi oportet, quæ reſiſtere poſſit. His deinde linteum inſternitur, &, qua parte æger ſuper aſſerem collocatur, pulvinaria ſubjiciuntur. Tum æger his ita imponitur, & figuratur, ut coxæ ſuper marginem menſæ collocentur, &, cruribus diductis, calces ad coxas, manus demiſſæ ad malleolos externos, dentur. Interdum tamen manus ad genua tantum adduci queunt. Ut vero contineri poſſint, deligari inter ſe debent. Crudele eſſe videtur, & cum terrore, ægris incuſſo, mortem ipſam aliquoties induxit, longam faſciam,

quæ quatuor capita habet, ita cervici injicere, ut inde variis ductibus, ad manus pedesque descendat, quibus aliquoties circumducitur. Præstat igitur manui laqueum injicere, eamque & pedem, vel genua, inter se deligare.

a Figuram talis mensæ vide apud ALGHISI *l. c. Tab. VIII.*

§. 1366.

Quæ ubi hoc modo ordinata sunt, curandum est, ut ministri, suo quisque officio, recte fungantur. Quinque autem ministris opus est, qui omnem curationem scire debent, & animo intrepidi esse. Tres prævalentes ægrum continent, quorum unus, qui post ægrum mensam conscendit, super humeros ejus jugulumque incumbit, duo a lateribus objiciuntur, qui altero cubito inter crus cubitumque ægri immisso, laqueum quasi tendunt, & ægrum eo certius immotum præstant, altero cubito, seu manu potius, extremum crus, circa malleolos, comprehendunt. Quartus, a dextro ægri latere, post eum, qui crus dextrum continet, altum sedile conscendit, & corpus ita inclinat, ut super abdomen calculosi, incumbere videatur. Hunc æque peritum ac circumspectum esse oportet, ac eum, qui curare vult. Debet enim dextra manu scrotum ægri dextrorsum molliter continere, simulque utriusque manus indicem digitum, reliquis in volam contractis, ita versus anum protendere, ut, dextro futuræ perinæi, sinistro sinistræ perinæi parti, impositio, cutis in contrarias partes tendatur. Quo fit, ut proxime ad futuram perinæi, in latere sinistro, locus inter utrumque indicem pateat, qui recta fere plaga incidi possit. Ad hæc omnia quinti ministri partes sunt, latum illum scalpellum, quo plaga fit, medico curanti ita porrigere, ut in se ejus aciem convertat. Ac nisi Chirurgus manu sinistra plagam faciat, quintus minister semper a dextris ejusdem stare debet.

§. 1367.

Ubi hæc ordinata sunt, Medicus ex incurvis & sulcatis specillis id, quod maxime convenire itineri urinæ existimat, leniter prius oleo tepido unctum, sic, ut præceptum est, (§. 1339.) circumspecte admodum, in vesicam demittit, & calculum quærit. Qui ubi repertus est, manubrium specilli sinistra fortiter apprehendit, idque altius in vesicam demissum, sic recipit, ut cum ægri jacentis corpore, angulum fere rectum faciat. Post

hæc neceſſe eſt, ſpecillo quaſi manu inniti, quo iter urinæ aliquantum deorſum urgeatur ; Eique dorſum ſpecilli, qua parte ſulcum habet, debet intus ſic apprimi, ut inter quarti miniſtri digitos, (§. 1366.) cutem perinæi, paululum oblique deorſum, in tumorem attollat, quod deſiderat, ut manubrium ſpecilli tantillum ad inguen dextrum inclinet.

§. 1368.

Chirurgus deinde ſcalpellum apprehendit, quod quintus miniſter, linteo obvolutum, tenebat, tranſverſumque ori tenendum dat. Antequam enim cutis incidi poſſit, in poſitum ſpecilli, dextræ manus indice, denuo curioſius inquirendum eſt. Ubi cognitum eſt, ſulcum ſpecilli illi perinæi loco ſubeſſe, qui inter miniſtri digitos patet, ſcalpellum, ex ore receptum, tamquam calamum tenet, quo ad ſcribendum utimur. Hinc acies ſcalpelli latum digitum ſub ſcroto, perinæo objicitur, & cutis fere uſque ad anum, profunda plaga, inciditur. Protinus autem manubrium ſcalpelli ita ſurſum attolli debet, ut apex recta fere ſulcum ſpecilli ſpectet, ad quem etiam demittendus eſt, ut depreſſo iterum manubrio, ſurſum agi poſſit, & iter urinæ patefieri. Hoc ſufficere poteſt, ſi calculus parvus eſt. Ut plurimum vero neceſſe eſt, ſpecillum ad cartilaginem, qua oſſa pubis continentur, apprimere, in ejuſque ſulcu, ſcalpellum deorſum agere ; Quo autem & intus ad proſtatam uſque, iter urinæ nova plaga diduci poſſit, manubrium ſpecilli aliquantum ad anum inclinatur, & ſcalpellus ita demittitur, ut altera acies ſurſum, altera deorſum, converſa ſit. Plaga facta, dum ſpecillum reſtituitur, debet etiam ſcalpellus recipi. Nam hæc duo ferramenta ita agi oportet, ut non, niſi unum, & juncta inter ſe, eſſe videantur. Atque in plaga facienda, præcipue magnitudinis calculi ratio habeatur, quo facile promi poſſit.

§. 1369.

Scalpellum vero non, niſi ita, recipiendum eſt, ut ad ſuperiorem plagæ angulum adducatur. Tum is, qui ſcrotum continebat, hoc ſiniſtræ tradit, dextra ſcalpellum prehendit, apicemque ſulco ſpecilli leviter apprimit. Inter hæc Medicus ductoris cananiculati lingulam, a latere ſcalpelli, in ſulcum ſpecilli conjicit ; In eoque ut eam vere eſſe intelligat, ductorem aliquoties ſurſum deorſumque, & in utrumque etiam latus,

movet. Ubi ſic ejus rei fides facta eſt, jubet ſcalpellum tollere, dumque manubrium ſpecilli ad anum inclinat, ductorem alte in veſicam demittit: quo facto, cujus rei certum indicium urina præbet, quæ effluit, ſpecillum ſiniſtra recipit, ac miniſtro dat. Deinde, mutatis manuum vicibus, ductorem ſiniſtra prehendit, ut tamen elabi e veſica non patiatur. Sed indicem dextræ manus canali ductoris imponit. Eum vero, deorſum nitendo, non tam recta intrudi oportet, quam per vices elevando deprimendoque, paulatim promoveri, quo via aperiatur. Recepto digito, ſuper eodem ductore, forceps, ſive recta, ſive incurva, in veſicam compellenda eſt, ſubitoque hæc ferramenta ita invertenda, ut ductor ſuperior ſit. Iſque eodem pene momento extrahitur. Qui duplici ductore utuntur, ubi is, quem marem nominant, in veſicam demiſſus eſt, ſimili ratione ſpecillum recipiunt: deinde ejuſdem ductoris criſtæ, fiſſuram alterius, qui femina dicitur, imponunt, ut ſuper ea in veſicam compelli poſſit. Plerique hos ductores aliquoties diducunt, ut vulnus amplient, tumque eos ſiniſtræ manus digitis prehendunt, ut, inter ipſos, forceps immitti poſſit, quo facto ductores recipiendi ſunt.

§. 1370.

Cum jam eo venit, ut calculus protrahatur, & forceps immitti ſine vi quadam non potuit, convenit, forcipem lente aperire, atque huc illuc inclinare, ut vulnus aliquantum dilatetur. Quo facto, claudere denuo forcipem oportet, & calculum quærere, ut, cum ſuper eo forceps diducta fuerit, ipſe, ſine metu attrahendæ veſicæ, commode prehendi poſſit. Debet autem ea parte prehendi, qua anguſtiſſimus eſt, cavendumque etiam, ne, cum adduci forceps cœperit, calculus intus effugiat. Quare, niſi ſpecillo capitato, (*Bouton*) quod, inter brachia forcipis, immitti debet, calculus aliter collocari queat, præſtat ipſum cum forcipe quaſi demittere, eaque tantillum diducta, iterum ita prehendere, ut facile promi poſſit. Ubi igitur ſatis teneri calculum patet, non recta protinus attrahendus eſt, ſed forceps torquendo, ſic tamen, ut leniter id fiat, in utrumque latus, per vices, moveri debet, ultimoque ad anum deprimi, ut calculum eo facilius producat. Sed interdum major calculus non videtur, niſi ruptis nimium laceratiſque partibus, extrahi

poſſe. Illum alii ita curare volunt, ut, firmiore aliqua forcipe immiſſa, frangant *a*. Etſi vero magna cura habetur, tamen non ſemper ſatis caveri poteſt, ne veſica convulneretur. Et cum opus ſit, quo ſingula fruſta protrahantur, forcipem ſæpius in veſicam immittere, poſſunt facile mortiferæ inflammationes excitari. Quare præſtat, vel inter forcipis brachia, ſcalpellum, quod apicem obtuſum ac dorſum habet, immittere, & vulnus ampliare.

a Talis forcipis iconem dederunt PETRUS FRANCUS *loc. cit. p.* 137. ex veteribus, ex recentioribus autem ALGHISI *loc. cit. Tab. XV. Fig. I. & II.* vid. etiam HEISTERUS in *Inſtit. Chir. Tab. XXVIII. Fig.* 7.

§. 1371.

Sed aliæ etiamnum varietates ſunt, quæ animadverſiones quaſdam deſiderant. Sæpius enim plures calculi ſunt, quod, cum ante curationem, ſaltem non ſemper, cognoſci poſſit, ubi primus evulſus eſt, iſque aliqua parte lævorem habet, neceſſe eſt, ſpecillum capitatum injicere. Super hujus criſta, ſi plures calculi ſunt, forceps caute immittitur, & ſinguli protrahuntur. Quod tamen, ſi arenoſi calculi ſunt, ſemper neceſſe non eſt. Cum enim forcipe apprehenſi utplurimum dilabantur, recepto ſpecillo, vel uncus, vel cochlear, injicitur, quo fruſta calculi majora eximantur. Nam, ſi quædam exigua, vel arena, ſuperſunt, potius relinquuntur, ſiquidem facilius per urinam elui poſſunt.

§. 1372.

Ad hæc, calculus etiam nonnumquam veſicæ adhæreſcit, quod non uno modo fit. Nam vel tunicis veſicæ, modo fere totus, modo aliqua ſpina, inhæret, vel quibuſdam quaſi carunculis mediis, adglutinatur. Qui tunica incluſus eſt, non, ſine ingenti periculo, forcipe prehenditur, & attrahitur. Veſicam enim a ferramento ſic lædi neceſſe eſt, ut numquam fere non letifera inflammatio conſequatur. Contra frequenti obſervatione compertum eſt, ſervari poſſe, quibus calculus, vel aliqua ſpina, vel media caruncula, veſicæ adhærens, evellatur. Maxima tamen cura habenda eſt, ne calculus, cum deducitur, veſicam duplicatam, vehementer agitet. Quare, ubi teneri ejuſmodi calculum patet, opera danda eſt, ut, forcipe, in utrumque latus, leviter mota, a veſica diducatur. Si ne ſic quidem ſequitur, videndum eſt, an, ſuper digito immiſſo, tunica, qua calculus retinetur,

tantillum incidi poſſit, quod tamen temere faciendum non eſt. Sæpius enim calculum ſinere præſtat, & vulnus glutinare *a*.

a Calculum & veſicam inter ſe glutinari poſſe, a multis exercitatis Chirurgis negatum eſt, a pluribus tamen, luculentis exemplis, confirmatum. Negavit autem jam olim ROSSETUS in *Part. Cæſ. Aſſert. p.* 239. ex recentioribus autem RUYSCHIUS in *Theſ. Anat. II. p.* 30. *ſeq.* COLOTUS *loc. cit. p.* 117. *ſeqq.* TOLETUS *loc. cit. Cap. VIII. pag.* 44. ALGHISI *loc. cit. p.* 24. MARINI *loc. cit. Cap. VIII. p.* 142. & DOUGLASS in *Lithotom. Sect. II. p.* 6. *ſeqq.* Contra id confirmaſſe invenio, præter CELSUM *l. c.* & ARETÆUM, GALENUM in *Iſagog. Cap. XIX.* Plenius hanc rem expoſuit PETRUS FRANCO *loc. cit. p.* 117. *ſeqq.* & ex recentioribus permulti. Conf. PLATNERI *Diſſ. de Calculo ad veſicam adhæreſcente*, LE DRAN in *Tr. des Operat. p.* 271. *ſeqq.* & HOUSTETI *Commentatio de Calculis tunica incluſis*, *in Memoires de l' Acad. de Chir. Tom. I. p.* 395. *ſeqq.*

§. 1373.

Ubi jam calculus evulſus eſt, latum aliquod & craſſum calidumque ſplenium ſuper vulnus imponitur, quo frigus & aër arceatur, &, vinctura ſoluta, æger reſupinus in lectum collocandus eſt. Sanguis enim rariſſime ita fluit, ut ſupprimi debeat. Neque expedit eos ſequi, qui, ut calculi reliquias eo certius excidere poſſint, vel turundam, vel amplam & flexilem fiſtulam *b* veſicæ per vulnus imponi volunt. Ea vero, præter hoc, quod nihil proficit, ſi via ſatis patefacta, etiam nocet potius, ſi plaga anguſta eſt, ac vulnus vexando, graves inflammationes movet, quas ut non raro mors, ſic frequenter fiſtula, excipit.

b Flexilem ejuſmodi fiſtulam primus adhibuiſſe videtur TOLETUS. Vid. ipſum *l. c. p.* 117. *Fig.* 9.

§. 1374.

Cum æger paululum quievit, interpoſita una alteraque hora, vulnus obligari oportet. Convenit autem, antequam æger in lecto collocatur, huic aliquot laneos pannos, hiſque linteum ceratum, inſternere, quo poſſit id, quod ex veſica profluit, excipi. Deinde alia faſcia, quam collare (*Collier de miſere*) vocant, collo ita injicitur, ut tamquam anſa quædam, ad umbilicum uſque propendeat, alia, quæ latinorum T aſſimilatur, ægri lumbis ſubjicienda. Ejuſque tranſverſa pars altero extremo per prioris faſciæ anſam dato, ventrem cingat, altera inter crura dependeat. Quo facto, naturales partes atque abdomen oleo roſaceo inungi debent, & huic linteum duplex imponi, ſcrotum vero alio linteolo ſubjecto attolli. Tumque alterius vincturæ tranſverſa pars, a latere umbilici, nodo conſtringitur. Poſt hæc

etiam vulneri proſpiciendum eſt, quod hoc modo fere optime fit. Splenio. (§. 1373.) ablato, quia ſanguinem ac lotium excepit, aliud ſimile imponendum eſt. Super hoc autem pars alterius faſciæ, inter crura dependens, ſic adducitur, ut, cum fiſſa ſit, decuſſim poſita, per utrumque inguen, ad alteram hujus vincturæ partem, quæ ventrem cingit, in utroque latere detur. Præter hæc, ne vulnus, vel eo, quod femina diducerentur, irritari poſſit, genua etiam, quibus pulvinar aliquod ſubſternitur, vinctura quadam inter ſe colliganda erunt.

§. 1375.

Nemo dubitat, graviſſimum vulnus eſſe, quod urinæ itineri ac veſicæ infligitur, ut calculus promi poſſit: Neque ſaneſcere poteſt, quia etiam colliſum eſt, niſi prius fuerit purgatum. Ergo diligens obſervatio inflammationis habenda eſt. (391.) Plurimum etiam ad felicem curationem confert victus & aëris, aliarumque non naturalium rerum, curioſa obſervatio. (400. 401. 402. 403.) Itaque primis diebus nihil omnino ſuper vulnus imponi debet. Id tantum curare juvat, ut pura & calefacta ſplenia vulnus cuſtodiant. Ubi vero inflammatio ſe inclinavit, & ad ſuppurationem ſpectat, idonea ſunt medicamenta, quæ digerunt. (385.) Quæ tamen ita adhiberi oportet, ut, tranſitu ad ea facto, quæ carnem alunt, vulnus brevi glutinetur.

§. 1376.

Veniam ad eam calculoſorum curationem, in qua cervix veſicæ, a latere, aperitur. Cumque in ea plures varietates ſint, protinus de illa curatione dicamus, quam RAVIUS, a FRATRE JACOBO repertam, emendavit. Eamque ſic a RAVIO ordinatam eſſe habetur. Æger in tabula minus alta, quam in *Mariana* ſolet, reſupinus collocatur, ut tamen caput & nates, pulvinari ſuppoſito, paululum excitatæ ſint, ſcapulæ contra depreſſæ. Vincitur etiam laqueo, quo, carpo injecto, manus, ad externam genuum partem datæ, alligantur *a*. Deinde ea ſpecilli ſulcati varietas eſt, ut, cum profundior ſulcus ſit, tum in parte tantum incurva ſpecilli ductus. Ubi hoc in veſicam conjectum eſt, manubrium ad ventrem, ac dextrum ægri inguen, inclinatur, eoque fit, ut medio fere loco, inter anum & ſiniſtri oſſis iſchii tuber, curvatura ſpecilli ſentiatur. Medicus deinde, dextro genu ſubmiſſo, ſiniſtra manubrium ſpecilli firmiter tenet,

dextra ſcalpellum, quod anceps eſt, & in hoc a vulgari recedit, quod cum totum minus latum eſt, tum in tenuem anguſtumque apicem terminatur *b*. Quo, antequam cutis incidatur, dextræ manus pollice, curvatura ſpecilli quærenda eſt, ut, an recte poſitum ſit, conſtet, &, an præter veſicam, nihil ſpecillo, velamentiſque communibus, intercedat. Ejuſque rei fidem facit ſpecillum, quod duos circiter latos digitos, ab ano abeſt, etſi in hac re etiam quædam variat ætas, ſtatura & plenitudo corporis.

a Vide figuram laquei apud HEISTERUM *l. c. Tab.* XXIX. *Fig.* 10.
b Figuras ferramentorum, quibus RAVIUS uſus eſt apud ALBINUM *in Ind. ſupellect. Anat.*

§. 1377.

Super ſpecillo igitur, quod firma admodum manu teneri debet, cutis ſubjectæque partes, profunda plaga, ſic inciduntur, ut ab eo loco orſa, in quo ſectio, quæ in *Mariana* fit, terminum habet, uſque ad tuber iſchii procedat. Hinc indice ſiniſtræ manus, modo in vulnus, modo in anum, demiſſo, ſulcus ſpecilli quæritur; Qui, ſi non ſuo loco eſſe deprehenditur, quam accuratiſſime poteſt, reſtituendus erit, dumque altera plaga fit, ne anus lædatur, interdum hic quoque ad latus deprimitur. Simul etiam æger monetur, ut corpus nullo modo agitet, miniſtri autem, ut ad id, quod cuique injunctum eſt, animo attento ſint. Tumque idem ſcalpellus ita immitti debet, ut apex ſulco inhæreat, ſuper quo veſica ſurſum deorſumque potiſſimum, incidenda eſt. In reliquis, quæ ad ductorum, forcipumque immiſſionem, evulſionemque calculi attinent, hæc tantum animadverſionem deſiderant. Ductores, quia altior & aliquantum obliqua plaga eſt, magna cum circumſpectione, immitti debent, ne a veſica aberrent, ac peritonæum aliaſque vicinas partes, convulnerent. Neque etiam digitus, ad dilatandam plagam, demittitur, ſed forceps, quæ in brachiorum longitudine, a vulgaribus diſcrepat, dum in veſica hæret, aliquoties diducitur. Cetera omnia, etiam in vulneris curatione, eadem ſunt, ac, quæ ſupra propoſui. (1374. 1375.)

§. 1378.

Sequitur alia curatio, quæ ab eo, a quo reperta eſt, *Cheſeldeniana* nominatur. Eaque dicitur ex *Raviana* orta eſſe, niſi po-

tius, quantum ad plagam attinet, ipſa fuerit. Fuerunt tamen aliqua, in hac curatione, ab auctore ipſo, mutata, quod facit, ut vulgo plures *Cheſeldenianæ* curandi viæ eſſe habeantur *a*. Quam vero ipſe nunc ſequitur, hæc eſt *b*: Æger in menſa, quæ trium pedum altitudinem habet, & cui pannus inſternitur, reſupinus ſic collocatur, ut ſolum caput, pulvinare ſubjecto, paululum excitetur. Deinde vinciri ac teneri debet, plane, ut diximus vulgo in *Mariana* fieri. Eodemque modo ſpecillum incurvum ſulcatumque in veſicam conjiciendum eſt, quod aliquanto longius, minuſque incurvum eſſe oportet. Idque ubi ſic, ut in *Raviana* præcipitur, collocatum eſt, illi ex miniſtris dextra manu tenendum datur, qui ſiniſtra burſas colligit, & quem, ut manum firmam, ſic animum ad ea, quæ ipſi facienda ſunt, quam maxime attentum, habere decet.

a Vid. JACOBUS DOUGLASS *in the Hiſtory of the lateral Oper. Poſtſcript, & in the Appendix to the Hiſtory.* item HEISTERUS *l. c. p. 970. ſeqq.*

b Dedit ejus deſcriptionem SHARP *in the Treatiſe on the Operations of Surgery. Cap.* XXI.

§. 1379.

Cum jam ita ſpecillum firmatum eſt, ut ejus incurva pars, cutem a latere ani, inter perinæi futuram, & os iſchii ac pubis, oblique attollat, curans Medicus, dextro genu ſubmiſſo, cutem ſubjectumque adipoſum velamentum, longa plaga incidit, quæ a latere perinæi, juxta anum, ad tuber oſſis iſchii pertineat. Deinde ſiniſtræ manus indice, in vulnus impoſito, ſulcum ſpecilli quærit, idque, ubi dimotum eſt, ita reſtituit, ut poſſit ſuper ejuſdem ſulco, membranea itineris urinæ pars, cum proſtata, a latere, & veſica ipſa, aperiri. Quæ plaga ſic facienda eſt, ut, membranea parte itineris urinæ patefacta, dorſum ſcalpelli ſpecilli ſulco imponatur, acies vero coxam ſiniſtram reſpiciat. Cum in hac plaga metus ſit, ne ſubjectum inteſtinum lædatur, duo digiti ſiniſtræ manus in vulnus demitti debent, qui ſcalpelli ictum avertant. Magnumque etiam momentum ad felicem curationem habet, adipem neque nimis profunda plaga incidere, neque ictus quaſi repetere, quoniam ex his peſſima ulcera fiunt, quæ in habitu celluloſo latius ſerpunt.

§. 1380.

Ubi via patefacta eſt, ſcalpellum recipitur, & qua ſtrictior ſumma plaga eſt, unguis indicis ſiniſtræ manus in ſulcum ſpe-

cilli demittitur, in eumque, ſuper hoc, ductor canaliculatus conjiciendus eſt, cujus manubrium in latus ſiniſtrum procedit *a*. Ut hic certo in veſicam demitti poſſit, curans medicus, cum dextra manu miniſtri, qui ſpecillum tenet, hujus manubrium prehendit, idque ad ſe oblique inclinando, curvaturam a vulnere quaſi in veſicam recipit, ſuper qua ductor canaliculatus tuto in veſicam pervenit. Quo facto, ſpecillum recipiendum eſt, ac forceps, quæ paululum longiora brachia habere debet *b*, in veſicam compellitur, calculuſque protrahitur. Quæ res nullam plane varietatem habet. Habet tamen ſanguinis fluxus, qui in hac curatione utplurimum major, quam in *Mariana* eſt. Is ſolet a duabus arteriis provenire, quæ a pudendis ortæ, ad bulbum, quem vocant, urethræ, & ad proſtatam, pertinent *c*. Quæ ex his læſa ſit, videndum eſt, quanta vi ſanguis profluat, antequam ſupprimatur. Ergo, ſi tam magna profuſio eſt, ut curationem turbare poſſit, ſtatim prima plaga facta, cohiberi oportet; ſi contra, ſini, donec calculus evulſus ſit. CHESELDENUS autem, ſi patet arteria, filo injecto, eam ligare jubet *d*; ſi contra, ellychnium vulneri imponit, quod medicamentum, ad ſanguinem ſupprimendum idoneum, excepit. Reliqua curatio a *Mariana* non differt.

a Conf. JAC. DOUGLASS *in the Append. fig. V.* SHARP. *l. c. Tab. VI. A. B.* & HEISTERUS *l. c. Tab.* XXXI. *fig.* 8.

b Vide iconas apud eoſdem auctores. Legi etiam merentur, quæ SHARPIUS de apertura brachiorum forcipis, ac de ejuſdem dentibus propoſuit *l. c. Explicat. Tab. VII.*

c Vid. WINSLOVV *Tr. du Bas Ventre no.* 577. 578.

d Figuram acus, admodum incurvæ, habet JAC. DOUGLASS *l. c. Fig.* XII. & HEISTERUS *l. c. Tab.* XXXI. *Fig.* 14.

§. 1381.

Et hæc quidem curatio a multis, & Anglis, & Gallo-Francis Chirurgis, calculoſis adhibetur. Contra FULBERTUS neminem adhuc invenit, qui ipſius curandi rationem imitaretur. Hæc autem FULBERTI curatio ſic ordinatur: Cum veſica ipſa, inter proſtatam ſiniſtrumque ureterem, perforari debeat, primum eſt, ut æger ante curationem, quam diutiſſime poſſit, urinam contineat. Quod ut eo facilius poſſit, ptiſanæ liberalis potio danda eſt, quæ ex radice dentis canini, liquiritiæ ac ſemine lini, paretur. Fere etiam major, quam in *Cheſeldeniana*, metus eſt, ne inteſtinum, quod rectum vocant, lædatur. Qua-

re FULBERTUS aliquoties alvum ſolvit, ne retentæ fæces inteſtinum dilatent, &, proxime ante curationem, clyſmate infuſo, ſubducit.

§. 1382.

FULBERTI autem curatio, cum in loco, in quo plaga fit, tum etiam in ferramentis, a ceteris differt. Sunt igitur ex ferramentis: 1) Machinula, qualem NUCKIUS primum, ad viam urinæ intercludendam, reperit, molli aluta obducta, quæ goſſypio farta eſt; 2) Acus triquetra, ſuæ fiſtulæ inhærens, minus plena, quam, quæ ad aquam ex ventre evocandam, adhiberi ſolet, ſed multo longior, atque, ut eo firmius teneri queat, in fiſtulæ manubrio, annulo inſtructa. Fiſtula etiam in ſumma parte ſulcum in longum ductum habet. 3) Scalpellus longus, acutus, anguſtus, non anceps, & in manubrio ad angulum obtuſum fixus. 4) Ductor canaliculatus, qui duabus partibus inter ſe junctis conſtat, ut, ſi opus ſit, plaga ampliari poſſit: 5) alius ſcalpellus falcatus, qui nonnumquam, ad ampliandum vulnus, inter crura forcipis, demitti debet. Hæc ferramenta *Fulbertianæ* propria ſunt *a*.

a Vide horum figuras in FULBERTI *nouvelle methode de tirer la pierre de la veſſie l. c. Tab.* I. Ductor canaliculatus pæne idem eſt, ac dilatatorium, quo PETRUS FRANCO ad feminarum calculoſarum curationem, uſus eſt, & cujus figuram dedit *l. c. p.* 144.

§. 1383.

Ubi ad curationem ipſam perventum eſt, æger plane, ut in *Mariana*, collocatur, & vinctus continetur. Tumque, ut urinam non mittat, coli machinula ante dicta injicienda eſt, qua iter urinæ intercipitur. Ex miniſtris vero, is, qui burſas colligit, pilam, ſiniſtra manu, imo abdomini imponit, quo veſicam deprimat, & ad ſiniſtrum latus urgeat. Inter hæc curans Medicus indicem ſiniſtræ manus, oleo prius unctum, in anum demittit, quem adeo a veſica deducit, & cogit in latus dextrum cedere. Quod eo nomine opus eſt, ne ipſe lædatur, tum etiam, ut cutis tenſa & veſica depreſſa eo certius perforari queant. Deinde pollicem dextræ manus coxæ ſiniſtræ admovet, ut internum marginem tuberis iſchii inveniat. Prope hunc, & pollicem ab ano circiter, non tam atramento, aut molybdoide lapide, quam oculis, punctum deſignatur, ab eoque linea ſur-

ſum ducitur, quæ cum ramis oſſium pubis iſchiique ductum parallelum ſervat, & proxime ſub ſcroto, duas treſve lineas, a perinæi ſutura, terminatur.

§. 1384.

Cum jam locus ſectionis deſignatus eſt, quem tamen ætas, ſtatura, aliaque, variare debent, acum triquetram arripit, ac per punctum, quod prope coxam eſt, alte in ipſam veſicam adigit *a*. Acus ita tenetur, ut in nullam partem inclinet, niſi, quod ſulcus, qui in ſumma fiſtulæ parte eſt, ad ſcrotum converſum eſt. Ubi acum in veſicam perveniſſe judicat, neque tamen urina per ſulcum, fiſtulæ impreſſum, profluit, acus intra fiſtulam recipienda eſt, quo major urinæ profluendi libertas detur. Ubi hoc indicio cognitum eſt, mutatis manuum vicibus, ſcalpellus rectus dextra prehendi debet, ejuſque dorſum ſulco, quem in fiſtula eſſe dixi, ad acutiſſimum angulum imponitur. In veſicam quoque, ſuper hoc ſulco, adigitur, quod ubi factum eſt, lotii major vis effluit. Ut veſica, quantum neceſſe eſt, longa, plaga aperiatur, manubrium ſcalpelli deprimi, & ipſum totum ſurſum movendo, a ſulco removeri oportet *b*; contra, ubi protinus recipitur, attolli, quo cutis etiam ſatis pateat *c*.

a Hoc expreſſum eſt a FULBERTO *loc. cit. Tab.* VI.
b Vide ibidem *Tab.* VII.
c Vide hoc in *Tab.* VIII.

§. 1385.

Protinus igitur ſcalpello recepto, ductor canaliculatus, quo FULBERTUS utitur, media lingula, in ſulcum fiſtulæ conjiciendus eſt, cui acus triquetra inhæret, & ſuper hoc, in veſicam demittendus. Ubi demittitur, ſulcus ductoris debet deorſum converſus eſſe. Quare, cum in veſicam pervenit, cujus rei indicium præbet lingula ductoris, in extremo ſulco hærens, qui clauſus eſt, protinus acum recipi oportet, eodemque pene momento, ſulcum ductoris inverti. Super hoc, Medicus digitum indicem dextræ manus in plagam demittit, potius, ut, num ſatis patefactum ſit, quærat, quam, ut plus patefaciat. Ubi igitur ſatis patere viam deprehendit, forcipem in veſicam compellit, & calculum promit. Sæpius accidit, ut ſe forcipi inferior plagæ angulus opponat. Idque cum a cute eſſe poteſt,

tum a muſculo tranſverſo & parte levatoris ani. Nullam difficultatem habet ſcalpellum falcatum, inter brachia forcipis, demittere & has fibras diducere. Aliæ obſervationes neceſſariæ non ſunt, præter hanc, ut plenior aliqua fiſtula, quæ flexilis ſit, & carpto, aut alio molli linteo, obvoluta, vulneri imponatur. Metus enim eſt, cum quia profunda, tum quia obliqua plaga eſt, qua veſica patet, ne, quod effluit, in vulnere hæreat, & ſordida ulcera faciat, quæ in his partibus purgare difficillimum eſt. Ut hæc averti, fiſtula demiſſa, poſſunt, ſic quoque ſanguis ſupprimi, ſi eum arteria aliqua læſa fundit *a*.

a De his obſervationibus vide, quæ dicta ſunt a FULBERTO *loc. cit. p. 678. ſeqq.*

§. 1386.

Supra (1357. *a*) de nova quadam curatione diximus, quam LE CAT, ante quatuor annos, reperit, & quæ, quantum ad partem veſicæ attinet, quæ aperitur, proxime a *Fulbertiana* abeſt *a*. Non licet eam plenius exponere *b*, contra, ac illam, cujus deſcriptio nuper a LE DRAN data fuit, ad quem etiam auctorem refertur *c*. Quilibet videbit, eam curationem, ex *Mariana*, *Cheſeldenianaque* veluti compoſita eſſe. Cumque, in pauciſſimis, a *Mariana* differat, qualem ſupra deſcripſimus, ſatis habebimus, ea, in quibus vere differt, expoſuiſſe. Ea vero hæc ſunt. Primum, abrogato ligaturarum uſu, quibus vulgo utuntur, & quę ægrum non leviter terrere debent, LE DRAN alias excogitavit, quæ duas anſas habent, quarum uni manus, alteri pes immittitur, quæ duæ partes inter ſe colligari debent *d*. Deinde Chirurgus ipſe burſas colligit, ac miniſtro, utraque manu, quam molliſſime poteſt, continendas dat: ſimulque ejuſdem miniſtri indices extendit, ſic, ut dexter futuræ perinæi, ſiniſter adverſo margini oſſis iſchii ſiniſtri, uſque ad ejus tuber, imponatur. LE DRAN nullibi dixit, quali ſcalpello, ad primam plagam faciendam, utatur. Utebatur autem, ante aliquot annos, rigido, & cujus ſcapus quoque ex chalybe factus *e*. Cutis longiſſima plaga incidenda eſt, quæ ab ea perinæi parte orſa, quæ oſſium pubis iſchiique unionis loco reſpondet, uſque eo producatur, ut finis unum pollicem cum dimidio, inferior eo loco ſit, a quo ſpecillum, quod in itinere urinæ eſt, intus ad veſicam in-

curvatur. Ubi hac plaga, qua, quem dicunt, bulbus inciditur, iter urinæ patefactum eſt, loco ductoris, ſpecillum aliquod rectum, quod, cum ampliore ſulco, in averſa extremitate, lingulam habet *f*, in catheteris ſulcum conjicitur. Eoque in veſicam compulſo, cum in calculum ipſum, tum in ejus magnitudinem, aliaque, curioſius inquirendum erit, ut, qualis forceps demitti debeat, intelligi poſſit. Poſt hæc rectum illud ſpecillum intus itineri urinæ apprimitur, ſic, ut ſulcus illud ſpatium reſpiciat, quod anum & tuber iſchii intercedit. Oportet, in hoc ſulco, alium ſcalpellum intus compellere, quo proſtata, cum oſtio veſicæ findatur. Non anceps ſcalpellus eſt, acies vero, quæ, qua parte longiſſima eſt, ſeptem aut octo, qua latiſſima, ſex lineas æquat, incurva. (*en rondache*) Atque, ubi receptus ſcalpellus eſt, Medicus, ſuper inverſo ſpecilli ſulco, vulgarem ductorem (*Gorgeret*) in veſicam conjicit. Reliqua, ut in *Mariana*, perficiuntur.

a Vid. FULBERTUS *loc. cit. Tab. IV. & V.*

b Deſcriptio curationis, quam LE CAT reperit, in proximo fortaſſis Commentariorum Academiæ Reg. Scient. Pariſ. habebitur, cum qua ipſam communicavit.

c Conf. LE DRAN *in Tr. des Operat. p.* 304. *ſeqq.*

d Figuram hujus ligaturæ dedi in *Obſervat. Chirurg. de Calculo Tab. I. Fig. I.*

e Vide *eaſdem Obſerv. Tab.* I. *Fig.* III.

f Icon *ibidem eſt Fig. V. & apud* LE DRAN *l. c. p.* 272. *Fig. I.*

§. 1387.

Sunt tamen & aliæ quædam obſervationes neceſſariæ, quæ potiſſimum calculi apprehenſionem extractionemque ſpectant. Cum, inter ſecandum, urina omnis effluxerit, quod facit, ut veſica in ſe coëat, eaque per morbum ſæpius multum adſtricta ſit, numquam tutum eſt, forcipem incautius intus compellere. Nullum periculum habere debet injicere ſic, ut clavus, quo brachia forcipis inter ſe juncta continentur, uſque ad oram externi vulneris, promoveatur. Ubi calculus non ſatis tenetur, ut etiam intus effugiat, aperta forcipe, ejus utrumque brachium, invicem, huc illuc, ſuper infima veſicæ parte, moveri oportet. Eoque ſæpe fieri dicitur, ut, qui effugerat, calculus, adductis brachiis, ſatis teneatur. Plures animadverſiones ii calculi deſiderant, qui, quod admodum magni ſunt, omnem veſicam implent, aut, qui in aliqua quaſi cellula hærent. Sua-

det LE DRAN, ubi calculus promi debet, forcipem vertere ſic, ut ex annulis, quibus tenetur, alter os pubis ſpectet, alter anum. Finita curatione, plenior illa fiſtula in veſicam demittitur, ſi hæc ex calculo adſtricta eſt, aut calculus intus manſit, quem promere non licuit, vel, ſi, in ipſa curatione, ſanguis ſic effluit, ut terrere poſſit. In hoc caſu fiſtula linteolo obvolvenda eſt, cui colophonii pulvis inſpergatur.

§. 1388.

Supereſt, ut de illa calculoſorum curatione, quam vel *Celſicam*, vel cum parvo apparatu, nominant, aliqua ex CELSO proponamus. Homo prævalens ac peritus in ſedili alto conſidit, ſupinumque puerum & averſum, ſuper genua ſua, coxis ejus collocatis, comprehendit; reductiſque ejus cruribus, ipſum quoque jubet, manibus ad ſuos poplites, vel malleolos datis, eos, quam maxime poſſit, attrahere, ſimulque ipſe ſic eos continet, ut ſuper humeros ejus, ſuo pectore, incumbat. Huic homini etiamnum a lateribus duo valentes objiciuntur, qui circumſtantes labare eum, qui puerum continet, non ſinunt. Puerum tamen ſuper genua hominis collocari, ſemper neceſſe non eſt, atque poteſt etiam fere commodius certiuſque in menſa figurari.

§. 1389.

Medicus deinde, diligenter unguibus circumciſis, ſiniſtræ manus duos digitos, indicem & medium, leniter prius unctos oleo, ſimul in anum ægri demittit, dextræque digitos, ſuper imum abdomen, leniter imponit. Calculus igitur digitis, ano ſubjectis, quæritur, atque, ubi repertus eſt, curioſe ad cervicem deducitur. Cum jam ſuper veſicæ cervicem eſt, juxta anum incidi cutis, longa plaga, uſque ad cervicem veſicæ, debet, & hæc deinde alia tranſverſa aperiri, quo iter urinæ pateat, ſic, ut plaga paulo major, quam calculus, ſit. Nam, qui parum patefaciunt, ægrum in certiſſimum periculum conjiciunt, quod calculus iter, cum vi promitur, facit, niſi accipit. Ex quo, & ſanguinis profuſio, & diſtentio nervorum, inflammationeſque, fieri poſſunt.

§. 1390.

Cum via patefacta eſt, in conſpectum calculus venit. Qui, niſi excidit, lævæ manus digitis ſic ad veſicam datis, ut retrò recedere, aut aliter effugere, non poſſit, dextræ index, ſuper calculum, in veſicam conjicitur, & ipſe protrahitur. Si major calculus eſt, injiciendus ei uncus eſt, inter ferramenta, ad *Marianam* curationem neceſſaria, propoſitus. Hunc numquam adducere tutum eſt, niſi calculum ſatis teneri pateat, ne, ſi hic intus effugiat, is in oram vulneris incidat, eamque convulneret. At, ſi plures calculi ſunt, digitis ſiniſtræ manus, ad ultimam veſicam datis, ad plagam deduci ac protrahi debent. Incidere vero poteſt, ut digitis conquiri non poſſint. Ergo ſpecillum, & ſuper hoc forceps, in veſicam conjicitur, quo calculi certius promi queant. Aliæ varietates hujus curationis non ſunt.

§. 1391.

Ab his curationibus, quæ ſub oſſibus pubis fiunt, traſeundum ad eam eſt, in qua ſumma veſicæ pars, in imo abdomine, aperitur. Præcedere hanc curationem ea fere debent, quæ *Fulbertianam* præcedere diximus. Si æger non ſatis urinæ continere didicit, primum oportet veſicam, in curatione ipſa, aqua, lotioneve alia, tepida implere. Quibus hoc placet, ægrum in menſa, vel, quod præſtare debet, in lecto, collocant ante, quam aqua in veſicam conjiciatur, quod optime fit, ſi fiſtulæ, qua urinam emolimur, ſipho vulgaris accommodatur. In modo autem lotionis, quæ immitti debet, aliqua varietas eſt. Nam, ut immitti debeat, donec ſe veſica ſuper oſſibus, aliquo tumore manifeſtet, tamen & magnopere cavendum eſt, ne, quod nervorum diſtentiones facere ſolet, veſica, nimia vi aquæ ſubito infuſa, diſtendatur. Non exiguam ſpem proſperi ſucceſſus facit veſica ſana & ſpatioſa. Si vitioſa eſt, præcipueque adſtricta, vel alia curandi via eligenda eſt, vel jubendus æger, ut, poſt liberalem potionem, etiam ferratarum aquarum, quam diutiſſime poſſit, urinam contineat. Quo, quia aſperior veſicæ ad calculum attritus avertitur, veſica interdum iterum ampliatur. Cum jam ſatis aquæ immiſſum eſt, neceſſe eſt, fiſtula recepta, colem miniſtro tenendum dare, cum, ut urinæ iter intercludatur, tum, ut, depreſſo cole, cutis tendatur, quæ in imo abdomine incidi debet.

§. 1392.

Dixi, ægrum, ſive in menſa, ſive in lecto, collocandum eſſe, præſtat vero in lecto. Eſt autem, tum in lecto, tum in menſa, aliter figurandus, quam in alia curatione quacumque. Coxæ elatiores ſint, pectore & capite. Si in lecto collocatur, crura, quæ ſupra ſpondam inferiorem propendent, fulcris alliganda ſunt, manus vero ab utrimque adſtantibus miniſtris firmandæ. Neque hæc res varietatem aliquam habet, ſi æger in menſa collocatus fuit, præter hanc, quod genua, vinctura quadam, ad fulcimenta menſæ, adſtringi debent.

§. 1393.

Veniam ad ipſam curationem, quæ hoc modo ordinatur. Chirurgus a dextris ægri ſtat, &, dum alter ex miniſtris, qui prope ſtant, manu proxime ſub umbilico impoſita, cutem ſurſum tendit, cutem imi abdominis, tam longa plaga recta, incidit, ut ad radicem colis pertinens, quatuor latos digitos impleat. Utitur Chirurgus vulgari ſcalpello, cumque indice ſiniſtræ manus ſequitur. Deinde, eodem ſcalpello, linea alba, aliquantum breviore plaga, incidenda eſt, ne peritonæum aperiatur, donec veſica ſeſe oſtendat. Quæ, indice lævæ manus, in angulo plagæ ſuperiore, poſito, alio falcato & rigido ſcalpello, pubem verſus, aperienda eſt. Statim ac tantum patefactum eſt, ut digitus immitti poſſit, index ejuſdem manus in veſicam conjicitur, quam, ipſo quaſi in uncum flexo, ſuſpendi oportet, ut ad duorum digitorum latitudinem, commode aperiri poſſit. Superior angulus hujus plagæ digitum circiter, infra urachi exortum, eſſe debet, inferior alte poſt oſſa pubis deſcendere. Patefacta veſica, vel digiti, vel forceps, aut etiam uncus, immittitur, & calculus promitur.

§. 1394.

Commodiſſimum eſt, ſtatim ac æger calculo liberatus fuit, vulnus ſic obligare. Linteolum molle ac purum injicitur, quodque multò latius plaga ſit. Super hoc tantum lintei carpti ponitur, ut totam plagam impleat. Idque ſpleniis aliquot, ſenſim majoribus, contegi oportet, abdomini vero mantile circumdari, quod faſcia, aliquoties circumducta, firmandum eſt. Cum ſic vulneri proſpectum eſt, æger in alium lectum collocatur, qui ſic paratus ſit, ut alibi dixi. (1374.) Urina vero, quæ

profluit, quoniam lintea injecta humectat, ſæpius nova imponenda ſunt. Ac, interpoſitis aliquot diebus, ellychnia & plumaceoli quoque ſuperhaberi debent, qui filo firmati ſint, & unguentum exceperint, quod pus movet. Vulnus, quo veſica patet, multo citius glutinatur, ſi poſt certum tempus, fiſtula brevior, per urinæ iter, in veſicam conjicitur, ut ibi maneat.

§. 1395.

Omnes fere Chirurgi hanc a FRANCONE repertam, & a DOUGLASSO inſtauratam curationem, jam inde a ſedecim pæne annis neglexerunt. Fuit tamen, ante tres annos circiter, a LE CAT quaſi reſtituta. Qui etiam multa, præcipue in ferramentis, mutavit. Eaque hæc ſunt. 1) Scalpellus fortis rigidus, illi ſimilis, quem HEISTERUS *a* habet, præter hoc, quod in dorſo obtuſam eminentiam habet. 2) Ferramentum, unco non abſimile, ex chalybe totum paratum (*Suſpenſeur*). 3) duo alia, uncis ſimilia (*Dilatato ſuſpenſeurs*) quorum dorſum, proxime ab incurva parte, quæ lata, paululum excavata eſt. 4) Cochlear ex chalybe factum, quod in altera extrema parte poteſt uncum referre.

a In Inſt. Chir. Tab. XXX. *Fig.* 8.

§. 1396.

Sequitur ipſa curatio, quam LE CAT hoc modo ordinat: Æger in lecto collocatur, plane, ut ſupra (1392.) dictum eſt, præter hoc, quod caput, ſubjecto pulvinari, tantillum excitatur. Neque cutis imi abdominis alia ratione a Chirurgo inciditur, qui ad ægri dextram eſt. Ubi via ad veſicam ſatis patet, ſcalpellus inverti debet, & poſt oſſa pubis, in veſicam adigi. Quæ, cum umbilicum verſus aperiatur, periculoſus alias collapſus hujus viſceris avertitur, qui debet in vulgari curatione contingere, profluente lotione, quæ injecta fuit. Cum veſica ſatis patefacta eſt, ſcalpellus protinus ſic convertitur, ut, quæ pars in dorſo eminet, veſicam ſuſtineat. Tumque ſcalpello ſiniſtræ tradito, dextra uncus ſuſpenſorii, a latere ſcalpelli, in veſicam demittitur, quæ, illo recepto, ſuſpenſa tenenda eſt, & ad plagam externam apprimenda. Sub hoc ferramento reliqua duo, unum poſt alterum, in veſicam conjiciuntur, ſic, ut vulnus, veſica utrimque, ad extremam plagam adducta, amplie-

tur. Hôrum ferramentorum ſiniſtrum, ab adſtante miniſtro, tenendum eſt, ut Chirurgus dextra poſſit, vel cochleare, vel forcipe, aut digitis quoque ipſis, in veſicam conjectis, calculum, inter hæc ferramenta, protrahere. Quod hanc vim habet, ut veſica, ab aſperiore nonnumquam calculo, lædi non poſſit.

§. 1397.

In quo ægro LE CAT prima hujus curationis experimenta fecit, cum, cum ante curationem, adverſa admodum valetudine conflictaretur, febris prehendit, in qua LE CAT, propter frigus, non audebat venam ſæpius ſecare. Quare balneum aliquoties adhibuit, ut aqua per vulnus in veſicam intraret, & plagam elueret. Juſſit quoque ægrum in ventrem decumbere, quibus effectum eſt, ut, lotio naturale iter ingrediente, plaga citius coiret.

§. 1398.

Ab aliquo tempore diſputatum fuit, quæ, ex his omnibus, optima calculoſorum curatio ſit; Videtur etiam eorum, a quibus ipſæ repertæ ſunt, is animus fuiſſe, ut excogitarent aliquam, quæ ceteris præſtaret. Quod potiſſimum CHESELDENI exemplo clarum eſt, qui, cum plurimos eorum reſtitueret, quibus, veſica ſuper pube inciſa, calculum exemit, tamen, nova curandi ratione inventa, illam neglexit. Et hanc, de aliqua optima calculoſis medendi ratione, opinionem exiſtimo plures ad mortem deduxiſſe. Nempe nulla eſt ex iis curationibus, quas ſupra propoſui, quæ non aliquando debeat reliquis præferri. Quo tamen negare nolo, *Cheſeldenianam*, aut, quæ lateralis in univerſum appellatur, pleriſque calculoſis convenire. Sæpius tamen præſtat, eam, in qua veſica, in imo abdomine, aperitur, ceteris anteferri. Quod eorum potiſſimum exemplo poteſt clarum reddi, qui eximiæ magnitudinis calculo laborant, vel, quibus tam ſpatioſa veſica eſt, ut, pauxillo urinæ retento, oſſa pubis ſuperemineat. De ceteris ſupra quædam propoſita ſunt. (1363.)

§. 1399.

Sæpius fit, ut calculus, ſi urina magnis nixibus redditur, in iter urinæ prolabatur, in quo inhæreſcit. In qua re plures varietates ſunt. Si æger recens calculoſus eſt, & calculus parvus,

in omni parte itineris urinæ hærere poteſt, ſæpius tamen non longe ab exitu, ubi amplior fiſtula urinalis eſt, foſſam naviculárem nominant, vel in membranea etiam itineris urinæ parte, cui extus perinæum reſpondet. Quibus olim calculus, per *Marianam* præcipue curationem, exemtus fuit, cum cervix veſicæ & illa membranea itineris urinæ pars vehementer diſtenta ſit, parvi calculi, qui iterum naſcuntur, urina poſtea promovente, ſolent in his potiſſimum partibus inhæreſcere. Quod etiam in eo caſu fit, in quo exiguus calculus, vel arenoſi ac mollis quædam reliquiæ, intus manſerunt. Sunt etiam calculi, qui, cum nimis magni ſint, prolabi in iter urinæ non poſſunt, qua parte tamen, ad modum coni, anguſti ſunt, cervicem veſicæ ſubeunt. Hi calculi deberent omne iter urinæ intercludere, niſi utplurimum aliquo canali pertuſi eſſent, aut a latere quaſi inciſi, ut lotio aliqua via pateret.

§. 1400.

Hæc omnia curationem permultum variant. Parvus calculus, in quacumque parte itineris urinæ hæreat, non protinus ferro res agenda eſt, ſed colis lacte calido diligenter fovendus, in quo mollientes herbæ, radices ac ſemina, decocta ſint. Poſſunt quoque panni, ex ejuſmodi lacte expreſſi, coli ac pubi ſuperhaberi, &, ſi calculus, non longe a cervice veſicæ, hæret, ſpongia ſubjici, quæ ſimilem decoctionem exceperit. Juvat etiam balneum, ſive ex aqua fluviatili, ſive ex ea, cui mollientes herbæ incoctæ ſint. Lotiones, quæ in alvum immittuntur, non raro calculum promovent, idque etiam olea tepida præſtant, ſi ex mollientium genere ſunt, & in iter urinæ immittuntur.

a Commodum erit, hoc loco, aliqua de iis curationibus ſubjicere, quæ inde ab antiquiſſimis temporibus, calculo in itinere urinæ inhæreſcenti, adhibitæ fuerunt. CELSUS duas curandi rationes propoſuit, alteram, ut, calculus ſpecillo oriculario evellatur, alteram, ut cole, a latere inciſo, eximatur. Deſiderat autem, ut, antequam plaga fiat, cutis extrema attrahatur, quo, ubi calculus protractus fuerit, integra pars cutis plagam contegat. *Lib. VII. Cap. XXVI.* Sequuti ſunt CELSUM PAULUS *Lib. VI. Cap. LX.* ALBUCASIS *Lib. II. Cap. LX.* GUIDO DE CAULIACO *loc. cit.* FRANCO *loc. cit. p.* 116. GOURMELENUS *loc. cit. p.* 183. PAREUS *Lib. XVI. Cap. XL.* DE LEAUSON *l. c. Cap. VII.* HILDANUS *l. c. Cap. XXVI.* GROENEVELTUS *l. c. p.* 57. TOLETUS *l. c. p.* 99. *ſeqq.* DIONIS *loc. cit. p.* 234. SHARPIUS *loc. cit. Cap. XXII.* LE DRAN *Operat. p.* 351. *ſeqq.* ac recentiores pene omnes. Plures tamen ex his ſpecilli oricularii, vel uncinuli uſum non commendarunt,

niſi, ubi calculus, non longe ab exitu, inhæreſcit. Si id fieri non potuerit, exitum fiſtulæ ſive forfice, ſive ſcalpello diduci debere, & calculum promi. Vid. inprimis TULPIUS *L. III. Obſ. C. VIII.* Figuras variorum ſpecillorum vel uncinulorum dederunt PAREUS *l. c.* HILDANUS *l. c.* MARINI *l. c. Fig. I.* Sunt etiam varietates quædam in ea curatione, quæ cum ſectione fit. Maxima eſt, quam THIBALTUS fecit. Is enim iter urinæ a cole ſeparat, quo loco calculus intus hæret, ut ea parte aperiri fiſtula poſſit, qua coli ſubjicitur. Vid. GARENGEOT *Operat. Tom. II. p.* 289. Neque non in vulneris curatione variant. Cum enim plerique, calculo exemto, nihil in fiſtulam demittant, alii ſpecillum, ex plumbo aliave materia paratum, injiciunt. Sunt & aliæ curationes ab auctoribus propoſitæ. ALBUCASIS *l. c.* terebram proponit, qua in fiſtulam demiſſa, calculus perforari ac frangi debeat. Ad hanc terebram tuto demittendam, fiſtulam reperit FRANCO *l. c. p.* 114. Vid. etiam PAREUS *l. c. Cap.* XXXIX. & HILDANUS *l. c.* quæ curandi ratio hodie nemini probatur. PAREUS *l. c.* experiri ante medicamenta & manum jubet, ſcilicet, ut oleo amygdalarum dulcium e. g. infuſo, calculus digitis ad exitum propellatur, idque a recentioribus quoque multis propoſitum eſt. Quia vero calculus, niſi graviter læſa fiſtula, expelli hac ratione ſæpe non poteſt, plures Medici non ſine cauſſa exiſtimarunt, modo dilatetur fiſtula, eam curationem ſuccedere debere. Operoſius hoc Ægyptii recentiores & Arabes fecerunt, de qua re expoſitum eſt apud ALPINUM *in Lib. de Medic. Ægypt. Lib. III. Cap. XIV.* qui refert, voluiſſe ipſos ex veſica etiam, flatu immiſſo, calculos protrahere. Qui hoc ex noſtris Medicis & Chirurgis imitati ſunt, inter quos eſt HILDANUS *l. c. p.* 187. VAN HORNE *Microtechn. p.* 457. PURMANNUS *in Chirurg. Part. II. Cap.* 14. calculo ſive ligatura ſive compreſſione firmato, ne recedere poſſet, per fiſtulam aliquam, flatum lente in iter urinæ immiſerunt, idque, ne exire aer poſſet, caute conſtrinxerunt. Cum ſatis dilatatum erat, calculum ſenſim verſus exitum propellebant. Commodum eſſe videtur, antequam infletur fiſtula, oleum tepidum immittere. Ubi prope exitum inhæreſcit, FRANCONI aliiſque viſum eſt, poſſe ſugendo extrahi, quod tamen rejectum fuit ab HILDANO. *l. c.* SOLINGENIUS, ut dilataret fiſtulam, turundas, ex charta pergamena confectas, adhibuit ſenſim majores, ne nimius dolor moveretur. *l. c.*

§. 1401.

Alia medendi ratio eſt, ſi calculus, non longe ab exitu, inhæreſcit. Sunt, qui exiguam forcipem immittunt, & calculum extrahere tentant, quod magnos dolores movere debet. Quare præſtat, antequam forceps in iter urinę compellatur, oleum tepidum immittere, &, dum extrahitur, colem poſt calculum conſtringere, ne recedere poſſit. Aliquando & illos ſequi licet, qui flatu immiſſo ampliare iter urinę jubent, & tunc extrahere. Quę ſi nihil proficiunt, optimum eſt, oſtium fiſtulę urinalis ſectione tantillum diducere, & calculum, ſpecillo aliquo demiſſo, ejicere.

§. 1402.

Qui calculi in his partibus ſubſiſtunt, quia, cum urina, re-

cens ad has partes promoti ſunt, iter urinę utplurimum parum lædunt. Contra cum iis eſt, qui inter bulbum ac cervicem veſicæ hærent. Sæpius enim incidere ſolet, ut arenulę, quæ cum urina promoventur, ſive nimis anguſtus ille locus ſit, ſive nimis amplus, qualis in iis eſt, quibus olim calculus, per iter urinæ, exſectus fuit, in membranea ejus parte hæreant. Nihil attinet dicere, debere eas quotidie nova incrementa capere, quod efficit, ut, dum iter urinę dilatatur, perinæum intumeſcat; Calculus vero, qui ſibi hoc modo viam parat, ulcus ſimul facit, quod ſe utplurimum in plures ſinus diducit, & in fiſtulam degenerat.

§. 1403.

Contra hunc morbum, a ſolo ferro, præſidium petendum eſt. Eſt autem eadem curatio neceſſaria, ac, quę *Celſica* nominata fuit. Tamen non oportet digitos in anum demittere, & antrorſum ad calculum dare. Prima plaga, quæ longior eſſe debet, cutis tantum inciditur, altera ipſum iter urinę. In eaque cavendum eſt, ne, inciſo, ſuper aliqua eminentia, itinere, qua cavum ſubeſt, relinquatur, quod, dum calculus promitur, vi adhibita, rumpi neceſſe ſit. Quare prętat, itinere urinę aliquantum patefacto, ſpecillum immittere, & ſuper hoc tantum aperire, ut calculus poſſit, levi preſſione, eximi. Interdum etiam ſponte excidit. Ubi calculus protractus fuit, præcipue fiſtulæ ratio habenda eſt. Ad eamque curandam neceſſe eſt, quidquid induruit, per ea, quæ pus movent, tollere, de qua re alibi dictum eſt.

§. 1404.

Neque alia ratione curandi illi calculi ſunt, qui, cum parvi erant, magnam partem in cervicem veſicę prolapſi ſunt, & in hac, a continuo profluente urina, multum increverunt. Oportet tamen totam cervicem, ac veſicam ipſam a latere aperire, quo promi talis calculus, ſine graviore veſicæ læſione, poſſit. Poſſent tales calculi incuneati appellari, magis tamen illi, qui cervici ad coni modum inhærent; Atque hi alia quoque ratione curantur. Si recens malum eſt, tentare licet, an calculus, per fiſtulam demiſſam, repelli queat. Sæpius vero non poteſt. Tumque a *Franconiana* curatione prędidium petendum eſt. Ubi evulſus fuit, etiam cervicem veſicę negligere haud licet. Quę cum

a calculo indurverit, adhibenda ſunt, quę molliunt, ac pus movent.

§. 1405.

Supereſt, ut de ea curatione dicam, quę calculo adhiberi debet, qui, cum brevi ante, ad medium urinę iter deſcenderit, iis, quæ ſupra (1399.) propoſita ſunt, ejici non potuit. Medium urinæ iter appello, quod extus a bulbo, uſque ad frenulum pertinet. Ante omnia cutis colis, quantum maxime poteſt, attrahitur, atque condita glande, lino vincitur, vel, ſi hoc non licet, glande nudata, faſciola poſt calculum injicitur, quæ cutem retractam firmet. Tum colis ſiniſtræ manus digitis continetur, ſic, ut citra calculum pollex, ultra index ſit, & cute ad latus ducta, iter urinæ, qua parte coli ſubjectum eſt, a latere, recta plaga, ſuper calculo, inciditur. Iſque vel ſponte excidit, vel parvo aliquo unco eximitur. Ubi exemtus eſt, integra pars cutis remittitur, quæ, quia plagam contegit, glutinationem vulneris multum accelerat. Obligandum vero eſt plumaceolo, ac faſcia, quę colem in orbem ambit. Tumque raro opus eſt fiſtulam, ex plumbo paratam, in urinę iter conjicere, ne lotium per vulnus profluat.

§. 1406.

Feminis etiam, ſed rarius, calculus cum in renibus, tum in veſica concreſcit. Nam renum fiſtulæ, per quas urina deſtillat, ampliores, quam in viris ſunt. Neque feminarum corpora tanto utplurimum motu exercentur, ut magna vis terrearum particularum, a corpore detrita, ad renes cum ſanguine promoveri poſſit. Raro quoque evenit, ut calculus, qui ex renibus in veſicam deſcendit, ad inſignem aliquam magnitudinem perveniat, quod videtur ab itineris urinæ amplitudine ac brevitate provenire. Efficiunt enim, ut parvi calculi facile cum urina promoveantur.

§. 1407.

Quæ efficiunt, ut calculus raro ad aliquam magnitudinem in feminis excreſcat, per ea etiam fit, ut ſæpius ſine ſectione promi poſſit. Olim multi fuerunt, quibus hæc curandi ratio placebat *a*: videtur tamen præcipue a LE DRAN ita propoſita eſſe, ut calculus, cum majori ſecuritate, protrahi poſſet. Curatio autem hæc eſt. Femina reſupina ſuper menſam, aut lectum collocanda

eſt, diductiſque cruribus, & calcibus ad nates datis, a duobus miniſtris continenda. Medicus deinde, partibus naturalibus diductis, oſtium itineris urinę quærit, per quod fiſtula, quali in feminis urinam emolimur, & quam ſulcatam eſſe oportet, in veſicam conjicienda eſt. Super hac fiſtula ductor canaliculatus (*Gorgeret*) in veſicam compellitur, quo jam incipit iter urinæ dilatari *b*. Tum fiſtula recepta, forceps immitti debet, quali ad calculum, in tenellis pueris, protrahendum, utimur. Hæc duo ferramenta paululum diduci oportet, ut iter urinæ amplietur. Hæc ſufficere poſſunt, ſi calculus parvus eſt. Si major, quam ut ſine metu ruptionis cervicis veſicæ educi poſſit, prima forcipe recepta, neceſſe eſt, aliam majorem injicere, immo, ſi iter urinæ parum cedit, plures ſenſim majores, donec & via ſatis aperta, & forceps in veſica ſit, qua calculus commode promi poſſit. Si plures calculi ſunt, ſinguli eodem modo protrahendi ſunt.

a Placet heic aliqua de variis calculi curationibus ſubjicere, quæ feminis adhibentur. CELSUS voluit, ſi calculus in itinere urinæ inhæreat, unco educendum, ſi major, ad ſcalpellum deveniendum eſſe ſic, ut veſica alio loco aperiatur, ſi ægra virgo ſit, alia, ſi mulier. Mulieri enim, digitis per naturalia ſubjectis, inter urinæ iter & os pubis, ſuper calculo, incidendum eſſe, virgini ſub ima ſiniſteriore ora, digitis, tamquam maſculo, in anum demiſſis. Utroque tamen loco plagam faciendam eſſe, quæ tranſverſa ſit. *In Lib. VII. Cap. XXVI.* Sequitur CELSUM ALBUCASIS in hoc, quod digitos demittendi rationem attinet. Quod vero locum attinet, de virgine non dicit, ubi incidendum ſit, contra in muliere jubet calculum, ad radicem coxæ, deducere, ac ſuper eo incidere. Addit etiam animadverſiones quaſdam de ſanguinis profuſione, quam in tam profundo vulnere magnam eſſe oportet. *In Lib. II. Cap. LXI.* Vix tribus verbis hanc curationem attingit GUIDO DE CAULIACO *loc. cit.* PETRUS FRANCO eamdem proponit ſic, ut digitorum quidem, prout mulier vel virgo eſt, modo per anum, modo per naturalia ſubjiciendorum, aliquam varietatem eſſe ponat, nullam vero loci, qui extus incidi debet. *loc. cit. Cap.* XXXIV. Ad hæc monet, cavendum eſſe, ne uteri vagina incidatur; Hanc curationem recentiores Chirurgi ſolis virginibus adhibendam eſſe dixerunt, nominaruntque cum parvo apparatu. Videtur eam SHARPIUS commendare, ſi calculus inſignis magnitudinis ſit. *l. c. Cap.* XXIII. Aliam curationem mulieribus convenire dicunt, quam cum magno apparatu vocant. Fit autem, ſi calculus parvus eſt, ſine ſcalpello, ſi magnus, iter urinæ ſectione ampliandum eſt. Oportet illam curandi rationem jam FRANCONIS ætate cognitam fuiſſe, qui eam rejicit *loc. cit.* Neque vero fuit ab omnibus eodem modo adhibita. HILDANUS jubet primo ſpecillum parum incurvum, & ſulco inſtructum, in iter urinæ conjicere, ſuper hoc autem ductorem, eoque medio forcipem. Vult tamen, ut calculus eo certius prehendi poſſit, duos ſiniſtræ manus digitos in vaginam demitti debere, & ad veſicam dari. *In Lib. de Lithot. Veſ. Cap.* XXII. Ab eaque curatione parum ea differt, quam TOLETUS deſcripſit, & cum parvo

apparatu nominavit, quem ſcilicet putavit inde nomen habere, quod digiti veſicæ ſubjiciuntur, & calculus unco educitur *loc. cit. Cap. XVII. Vid. etiam* MARINI *loc. cit. Cap. XII. p.* 200. Curatio vero cum magno apparatu TOLETO hæc eſt. Super ſpecillo ductores demittuntur, & inter hoc, ubi diducti fuerunt, & iter urinæ ampliatum, forceps in veſicam conjicitur, qua calculus, ut in maribus, promitur. Hanc curationem propoſitam invenio a THEVENINO *loc. cit. Cap. XLIX.* GROENEVELTO *loc. cit. p.* 53. *ſeq.* DE LAUNAY *loc. cit. Cap. X. p.* 128. *ſeq.* SAVIARD *Obſerv. de Chirurg. LXXII.* DIONIS *loc. cit. p.* 236. ALGHISI *loc. cit. Cap. XVIII. p.* 89. *ſeq.* GARENGEOT *Tr. des Operat. Tom.* II. *p.* 83. Plerique ex his auctoribus ſuadent, ſi calculus major ſit, quam ut videatur, ſine ruptione cervicis, evelli poſſe, vel ipſum in veſica frangere, vel iter urinæ tantillum incidere. Hanc plagam jam olim PAREUS faciendam eſſe duxit, ſi ipſum recte capio *loc. cit. Lib. XVI. Cap. XLVII.* nam obſcura præcipue ea ſunt, quæ de COLOTIS habet. Neque clariora ſunt, quæ apud DE LEAUSON de calculo feminarum invenio *loc. cit. Part. II. Cap. XII.* Alia curatio eſt, quæ feminis adhibetur, & quæ deberet lateralis nominari. Eam propoſitam eſſe invenio a MARIANO, etſi ipſe non videtur exercuiſſe. *loc. cit. Cap.* XXII. Eadem forte fuerit, quam tribus tantum verbis propoſuit GOURMELENUS *loc. cit.* 182. *ſeq.* Vere eam exercuit FRATER JACOBUS, quod per plura a MERYO & NOELLO propoſita exempla clarum eſt. Vid. MERY *loc. cit.* & poſt hunc RAVIUS, qui tamen virginibus tantum convenire exiſtimavit. Vid. HERTIUS *loc. cit. p.* 50. MERYUS autem, hac curatione rejecta, aliam excogitavit, quæ ſic ordinatur. Specillum ſulcatum in veſicam compellitur, ſed aliquanto magis incurvum, quam quo vulgo utuntur. Hoc cervix veſicæ in vaginam deprimitur, ut ſimul cum hac incidi poſſit. *loc. cit. Cap. IV. p.* 30. Hujus curationis utilitatem probare videntur earum mulierum exempla, quibus calculus in fiſtulam delapſus, vagina intus inciſa, extractus fuit ſic, ut etiam lotium continere poſſent. Denique & hoc addendum eſt, HILDANUM aliquando mulierem, quæ calculo laborabat, veſica in imo abdomine aperta, curaſſe. *Vid. Obſ. Chir. Cent.* I. *Obſ.* LXVIII. Eademque curatio, ſi calculus magnus ſit, a JOANNE DOUGLASSO proponitur, *l. c. Sect. X.* Neque dubitare licet, debere tutius, quam in maribus, adhiberi poſſe, quoniam veſica feminarum & ſpatioſior, & altius poſita.

b Videtur nullam controverſiam recipere debere; ſatius eſſe, ut calculus promi poſſit, iter urinæ ampliare, quam ſectione aperire. Nemo enim ignorat, quam facile partes noſtri corporis, ubi vehementer extentæ fuerunt, ſeſe reſtituant. Neque fieri poteſt, ut itinere urinæ patefacto, calculus, qui non admodum parvus eſt, evellatur, quin iter urinæ etiam dilatetur. Habentur quoque multa exempla calculorum, qui, cum tam magni eſſent, ut itinere urinæ, etiam per ſectionem, ampliato, non viderentur, niſi rupta cervice, educi potuiſſe; tamen vel ſponte ſibi viam fecerunt, vel, ſenſim ampliata urinæ via, educti fuerunt ſic, ut urina pro voluntate reddi ac contineri poſſet. Vid. Cl. HEISTERUS *l. c. p.* 1029. *ſeqq.* Eſt tamen magna cura adhibenda, ut iter urinæ lente amplietur. JOANNES DUGLASSUS vult, ſi calculus parvus ſit, turundas, quæ ex ſpongia præparata, vel ex radice gentianæ factæ ſint, in urinæ iter demittendas eſſe ſic, ut ſenſim majores immittantur, donec tantum hæc via pateat, ut forceps per eam immitti queat, & calculus protrahi. Crediderim in ea curatione, quæ a LE DRAN propoſita fuit, ſatius futurum eſſe, ut ſenſim majores forcipes, ſic ductores quoque majores immittere, atque ab illo incipere, quem LE DRAN reperit, ad parvum illum ſcalpellum, ad proſtatam, demittendum, quo in ea calculoſorum curatione utitur, quam ſupra expoſui. (1386.)

§. 1408.

Calculo evulso, nisi ægra aliquo morbo tenetur, nihil attinet, eam multis medicamentis vexare; tamen quietam eam esse, & genua inter se colligata habere, alienum non est, ut spatium detur itineri urinæ, quo possit iterum ad priorem angustiam redire. Quod si metus est, ut id satis cito fiat, sequi LE DRAN consilium oportet, & vaginam intus multa aqua calida fovere, cui aliquot herbæ & radices ex adstringentibus incoctæ sunt. Videtur etiam commodum esse, spongiam per naturalia subjicere, quæ ex ejusmodi lotione, cui & aceti paululum accedere potest, expressa sit.

§. 1409.

Cum vero eo perventum est, ut res scalpello agenda sit, hæc curatio necessaria est. Feminæ non alio modo, quam quo mares in calculi curatione figurantur, super mensam collocandæ sunt. Neque supervacuum est, manus & crura ægræ inter se deligare, & a lateribus duos valentes objicere, qui ipsam contineant. Tumque ductor (*Gorgeret*) in viam urinæ conjiciendus est, qui ante, quam in lingulam terminatur, quasi specillum affixum habet, quod longitudine latum pollicem æquat, & sulco, profunde exsciso, instructum est. Ab initio ductor, non ultra hoc specillum, in urinæ iter demittitur. Eoque ita converso, ut sulcus femen sinistrum respiciat, scalpellus eodem modo, quo id dictum est, a LE DRAN fieri, (1386.) impellendus est, & urinæ iter, plaga a latere facta, patefaciendum. Cum via patefacta est, & scalpellus receptus, digitus dextræ manus index sulco ductoris imponitur, quo iter urinæ lente aperiatur. Tumque via sic patet, ut cum forceps apta facile immitti possit, tum calculus educi.

a Fuit hæc curandi ratio a Cl. LE CAT reperta, qui me eam per literas docuit, ac simul ferramenta misit, quibus perficitur. Scalpellus in multis illi similis est, quem cystitomum vocat, & in ea curatione adhibet, in qua in maribus, cervicem vesicæ aperit. *Vid. Observ. nostræ de Calcul. Cur. Tab. II. Fig. I.* & DIONIS *loc. cit. Tab. II. K.* Differt tamen in his. Totus scalpellus rectus est, & aciem habet, quæ, longitudine duos circiter latos digitos æquat, ubi latissima est, 8. vel 9. lineas implet. Apex acutissimus est, & a latere sulcus in longum ductus, qui quam utilitatem habere debeat, non indicavit.

§. 1410.

Non multum dissimilis est ea curatio, quam LE DRAN feminis

adhibet, ſi calculus major eſt, quam ut poſſit, per ampliatam urinæ viam, educi. Cum enim ſpecillum ſulcatum in veſicam conjectum eſt, & ſulcus ad coxam ſiniſtram converſus, parvus ille ſcalpellus, qui ſupra (1386.) deſcriptus eſt, ſuper ſulco demittitur ſic, ut iter urinæ, uſque ad cervicem veſicæ, incidatur. In qua plaga tamen facienda monet, digitum per naturalia ſubjiciendum eſſe, ne vagina lædatur. Medicus deinde, ubi ſcalpellus receptus eſt, ductorem, & ſuper hoc digitum, forcipemque demittit, & calculum promit.

a LE DRAN, quo loco hanc curationem exponit, peculiarem quoque plagæ factæ medendi modum proponit. Ait enim celluloſum habitum, qui veſicam ambit, facile inflammationem concipere. Fiſtulam igitur pleniorem demittendam eſſe, donec inflammatio ad ſuppurationem ſpectet. Tum enim turundam imponi debere, & cum hac unguentum, quod pus movendi virtutem habeat. Turundæ quoque tenuiorem fiſtulam immitti poſſe, ne urinæ fluxum ſupprimat. *Vid.* LE DRAN *Tr. des Operat. p.* 335. Subjecta ibi obſervatio eſt, quæ LE DRAN movit, ut hanc medendi rationem excogitaret. Ipſam enim tentaſſe non videtur.

§. 1411.

Ante dictum eſt, aliquos voluiſſe, ſi magnus calculus ſit, veſicam, ſuper oſſe pubis, aperiendam eſſe. De qua curatione, in feminis quoque ſimili, proprie hoc unum videtur dicendum eſſe, ubi lotio idonea in veſicam immiſſa fuit, ac fiſtula recepta, aliquem ex miniſtris duos digitos per naturalia ſubjicere debere, quibus itinere urinæ compreſſo, lotioni exitum præcludat. Poſſet etiam peſſus ſupponi, ex ſubere paratus, & cera obductus. Hæc tamen efficiunt, ut in iis, quæ virum nondum paſſæ ſunt, hanc curationem adhibere non liceat. In his ergo videtur utile futurum eſſe, fiſtulam, quæ illi quam LE CAT reperit, ſimilis ſit *b*, per iter urinæ, in veſicam conjicere, & incurvam partem, in qua ſulcus in longum ductus eſt, intus adverſæ veſicæ parti apprimere, quæ hoc modo, etiam vacuata urina, tuto incidi poſſet.

b Vid. in *Medic. Eſſays Vol. V. Tab. VI. Fig.* 4.

DE PARTU SECUNDUM NATURAM ET DE EMBRYULCIA.

§. 1412.

A Chirurgo ſæpe auxilium requirunt parturientes, quibus, ſi opem ferre vult, neceſſe eſt, ut habeat notitiam muliebrium, uteri, qualis eſt in omnibus feminis, maxime autem in gravidis, parturientibus, puerperis. Noſſe debet hujus ligamenta, ejus os, quod internum, vel os tincæ, vocant, & hujus, quæ in uterum gerentibus parturientibuſque vario tempore incidunt, mutationes converſioneſque. Oſſa etiam, ex quibus pelvis componitur, & quæ a virorum oſſibus differunt, conſideranda ſunt, & noſcenda etiam, quæ ad fœtum pertinent, ſecundæ, umbilicus, &, quas hic habet, arterias, venamque, placenta, velamenta, & humor, qui his continetur. Omnium harum, aliarumque, rerum notitia ſe inſtruere poteſt, cui frequens occaſio eſt gravidarum parturientiumque & puerperarum corpora poſt obitum incidendi.

§. 1413.

Sed, quamvis hæc omnia ſcientia comprehenderit chirurgus, vix opitulari poterit feminis, niſi uſu etiam exercitus ſit. Oportet igitur eum prius adeſſe parturientibus, quæ facili naturalique partu prolem edunt, & tandem etiam aliis, quibus, ſeu vivus, ſeu mortuus, infans manu atque ferramentis excutiendus eſt.

§. 1414.

Graviditatis plures notæ ſunt, quas omnes conferri oportet, cum ſingulæ fallaces ſint, & decipere poſſint. Nam & in his fere nihil perpetuum eſt. Femina itaque partum alvo continet, cui catamenia non reſpondent, mammæ turgent, & glandulę in areolis mammarum, quas ſebaceas vocant, magis inflantur, cui ſolitus cibus faſtidium creat, vomitumque movet, quæ inſueta appetit, atque in ea inſuperabili deſiderio, quod picam appellant, fertur. Gravidæ etiam frequentius dentium dolore fatigantur. Tertio circiter menſe inflatur venter, qui, durior, digito magis renititur, prominente aliquantum umbilico. Hoc vero minus in primiparis, magis in aliis, quæ ſæpius peperérunt, de-

prehenditur. Tandem, quarto, quintove, circiter menſe, percipitur, tum a matre in ipſo utero, tum, ſi extrinſecus manus ventri imponitur, motio vivi, & quaſi geſticulantis, infantis. Hæc fœtus agitatio ab aliis motibus diſcernenda eſt, qui a ſpiritu, ad inferiora devoluto, & inteſtinum inflante, nec non a ſpaſmis, quibus inteſtina interdum quaſi vertuntur, proficiſcuntur.

§. 1415.

Certiorem vero notam habere poteſt obſtetrix, ſi illa digitos, indicem mediumque, oleo illitos, in pudenda mulieris demittit, & os uteri internum attrectatu explorat. Hoc enim, quod uterum non gerentibus pudendis obverſum, tangenti digito, prominentiori ora vel quaſi corona cinctum conſtrictumque, obvium eſt, intumeſcente utero, inferiora anumque verſus inclinatur, ut etiam ultimis menſibus, difficilius digito explorari queat. Illud vero iſtis temporibus paulatim ampliatur, prominentior ejus ora depreſſior fit, tandemque & hęc & ille ſinus quaſi complanantur. Cui obſtetriciam artem exercere animus eſt, eum oportet hęc diſcrimina, quæ variis, tum geſtationis, tum partus, temporibus in hoc interno uteri ore incidunt, in pluribus feminis, ſtudioſius indagare.

§. 1416.

Gravidis nihil nocentius eſt, quam, ſi vario genere medicamentorum abutuntur, &, in ſecunda valetudine, adverſę prędia conſumunt. Caveant ſibi, ne vehementioribus corporis exercitationibus, cujus inſuetę ſunt, animique repentinis commotionibus, partum nondum maturum elidant. Hoc etiam fieri poteſt, ſi, thoracibus, aliiſque adſtrictioribus veſtibus, amictę, ventrem comprimunt, vel eum, projectiorem, altiuſculis calceamentis uſæ, rectorum muſculorum intentione urgent. Ultimis menſibus plus eſſe convenit, inde vero ingens male interpretantibus natus eſt error, gravidam ſe nullis obligare debere legibus, ſed omni ciborum genere, etiam valentiſſimo, uti poſſe. Ex cibo enim, qui in ſtomacho non concoquitur, cruditas, & ex hac plures, & feminæ, & partui, perniciofiſſimi morbi naſcuntur. Confert, ſæpius cibum, ſed exiguum aliquid, aſſumere, & dilutius bibere; corpus vero, citra defatigationem, pro ejus natura, & pro ipſa conſuetudine, diligenter exercere. Qui-

bus ſanguis abundat, & quibus eum mittendi jam conſuetudo facta eſt, iis, viceſima circiter hebdomade, & iterum expletis menſibus, mox ante partum, aliquid ejus detrahi poteſt. Æſtimandæ vero ſunt vires, ut, poſt ſanguinis detractionem, ſuperſit, quo, in una muliere, duo corpora ſimul ſuſtineri queant. Optime etiam gravidis ſuccurritur, præcipue iis, quæ, pleniori cibo uſæ, corporis exercitationem negligunt, ſi illis ſæpius, interpoſito tamen tempore, alvus ducitur, & noxia materia in inferiora depellitur. Subſtante tamen cruditate, hoc alienum eſt, quæ abſtinentia & modico victu tollitur. Intus medicamenta lenia danda ſunt, inter quæ, rheum ceteris omnibus præferendum eſſe, uſus docuit. Nec, ubi alvus non reſpondet, alienæ ſunt lotiones, quæ in illam immittuntur, modo nec acres ſint, nec nimis calidæ. Plures ſe ultimis diebus in calidam demittunt, balneoque utuntur, ut iis muliebria relaxentur, quæ res utilis eſſe poteſt iis, quæ adſtricto corpore ſunt, & quibus primus partus inſtat, non æque aliis, in quibus id magis ſupervacuum, quam neceſſarium eſt.

§. 1417.

Sunt, qui negant, infantem in utero ſecundum naturam certa ratione collocatum eſſe *a*, id quod primis menſibus a vero propius videtur. Sed tamen, plerumque ultimis menſibus, infans ita compoſitus eſt, ut quaſi erecto corpore ſedeat, & faciem abdominis muſculis gravidæ obverſam habeat *b*. Ultimis diebus inclinatur caput, ad os uteri deſcendit, idque urget. Hoc dum incidit, in imo ventre, etiam extrinſecus mutatio percipitur, quippe qui altius deſcendit, & in iis, quæ numeroſum partum ediderunt, propendet. Hic infantis poſitus, ſi naturalis non eſt, eſt tamen frequentiſſimus. Explicandæ etiam ſunt notæ, quæ oſtendunt, partum inſtare, de quibus illud, quod de graviditatis ſignis retulimus, repetendum eſt. Femina, ut modo diximus, plerumque, ventrem deorſum verſum devolvi, ſentit, illi crebra urinæ cupiditas eſt, quæ aliquando vix, & non ſine difficultate, redditur. Ex naturalibus fertur humor mucoſus, cui interdum ſanguinolenta admixta ſunt. Tandem in lumbis dolor exoritur, qui per intervalla increſcit. Sub finem illi dolores ad femora pedeſque deſcendunt, qui etiam, ubi illi magis intenduntur, contremiſcunt. Differt igitur hic dolor a

ventris torminibus, & inteſtini coli morbo, in quibus dolor vagus eſt, vehemenſque, non per intervalla ſe remittit, nec ad inferiora tendit, &, ſæpe admotis calidis fomentis, & devoluto ad inferiora ventris ſonitu, diſcutitur. Certiſſimum vero indicium eſt, ſi, inſerto in muliebria unctæ manus digito, circumciſiſque unguibus, obſtetrix cognoſcit, urgentibus illis doloribus, os uteri adaperiri, & in illo tunicam, humore diſtentam, digito obniti. Hujus velamenti æqualis rotunduſque tumor plerumque, caput proximum, atque naturalem partum futurum eſſe, ſignificat.

a Vid. LA MOTTE *Traité des Accouchem. L. I. Cap.* XXI. *p.* 119.
b Vid. MAURICEAU *L.* II. *Cap.* III. *p.* 215. *r. fig.*

§. 1418.

Ubi tandem os uteri ſatis adapertum eſt, oportet, mulierem recte, &, vel in ſedili ad id aptato, vel reſupinam, tranſverſo lecto, ſic collocari, ut ejus feminibus ilia comprimantur. A lateribus aliæ feminæ debent aſſiſtere, quæ parturientis femora inter ſe diducunt, &, ſi illa in lectulo ſupina jacet, cum pedibus continent. Quæ in ſedili pariunt, illarum pedes ſubjectis fulcimentis innituntur, & ob id valentioribus nixibus partum juvare poſſunt. Num femina in ſedili, num in lectulo, collocanda ſit, ſæpe diſputari ſolet. Si, nec fœtus, nec uterus, aliter, quam naturaliter eſſe ſolent, compoſitus eſt, fere magis opportunum videtur ſedile, in quo mulier illa fultura ſuſtinetur, ut, collectis magis viribus, partum elidere poſſit. In aliis caſibus præferri lectulus debet, de quibus infra dicam. Nihil vero magis alienum ac peſtiferum eſt, quam, ſi ab obſtetricibus femina compellitur, ut laborioſis nixibus partum feſtinet, antequam os uteri ſatis patet, & antequam certo conſtat, infantem recte compoſitum eſſe. His enim intempeſtivis laboribus franguntur vires, & non raro, ſi infans tranſverſus eſt, & aliter compoſitus, brachium, aliæque partes, per os uteri altius deſcendunt, ut poſt illa membra nec poſſint replicari, nec infans queat dirigi, nec facile manibus extrahi. Sub illis nixibus os uteri magis adaperitur, quod oleo, aliove blando pingui perfundendum eſt, ut partus facilius exire poſſit.

§. 1419.

Dum vero ſic dolores magis & magis intenduntur, tandem

rumpuntur velamenta, effluit humor, qui iis continetur, quo etiam partes illæ lubricæ redduntur, caput infantis descendit, atque magis os uteri urget, quo tandem id comprehenditur. Tunc mulier non mediocriter sibi opitulatur, si illa viribus ad fœtum excludendum connititur, cui plerumque, ubi humeri ad os uteri compelluntur, nova mora impedimentumque injicitur, auctis nixibus doloribusque superandum. Eo ipso tempore obstetrix manibus comprehendit infantem, eumque educit.

§. 1420.

Quoties autem infans protractus est, umbilicus ad alterum transversum digitum a ventre lino constringitur paulo pleniori, & præciditur, ligata etiam illa umblici parte, quæ a secundis dependet. Sequuntur plerumque secundæ, quæ vero, si utero nimium inhærent, extrahendæ sunt. Ob id obstetrix præcisi umblici finem sinistra prehendit, & hujus digitis circumdat, dextra autem umblicum ad secundas usque sequitur, atque eum leniter trahit, concutitque, donec tandem secundæ excidant. Si majori vi adducitur umblicus, nonnumquam fit, ut is rumpatur, & periculosa sanguinis profusio concitetur, vel, ut, cum secundis, ipse uterus invertatur, provolvaturque. Interea, dum obstetrix hoc molitur, imperandum est mulieri, ut animam comprimat, tussiatque, quod, pressis a diaphragmate abdominis visceribus, secundæ melius eliduntur. Nec alienum est, interea alicujus feminæ manu parturientis ventrem, multa tamen adhibita moderatione, premi atque fricari.

§. 1421.

Ubi autem, id quod crebrius incidit, secundæ non sequuntur, sed penitus ad uterum adhæresunt, ea dissensio inter medentes est, quod alii necessarium esse contendunt secundas protinus, demissis in uterum unctæ manus digitis, diduci atque protrahi, alii vero hoc naturæ committunt, qui asseverant, illas ab utero se contrahente, nulla alia vi adhibita, expelli, ut spote excidant. Pro utraque sententia experimenta adferuntur, quibus id probatur. Igitur hi, qui, festinandum esse, volunt, necessarium esse proponunt, ut obstetrix, protracto infante, manum protinus in uterum, hiante adhuc ejus ore, demittat, & digitos inter uterum & secundas, harum videlicet extremam oram, ita inserat, ut molles digitorum apices utero, duri un-

gues ſecundis, obverſi ſint, utque has ſic glubendo quaſi ab utero diducat, & cum coacto ſanguine, aliiſque, quæ intus ſunt, eximat. Addunt eo tempore ſine moleſtia totam manum intus eſſe poſſe, contracto autem utero, ejus os ita rurſus arctari, ut manus in eum inſeri nequeat. Jubent etiam, ſi ſecundæ, vel omnes, vel earum diſruptarum partes, a minus perita obſtetrice in utero relictæ fuerint, unctæ manus digito indice os uteri iterum adaperire, rurſuſque alterum demittere, & per has eaſdem occaſiones alios, donec tota eſſe intus manus poſſit, atque ſic omnia, quæ utero inhærent, educere. Probant enim, ex diſruptis, & in utero relictis, ſecundis, ſæpe ſanguinem cum periculo ruere, & hunc vix conquieſcere, niſi utero contracto, nec vero uterum contrahi poſſe, niſi ille vacuus fuerit. Addunt, ſi nullum ex ſanguinis curſu oriatur periculum, illa, quę utero inhæreſcunt, tandem corrumpi, ita, ut vitium etiam ad uterum, & ab hoc ad totius corporis humida tranſeat, vel ea in carnes informes, quas molas vocant, verti, non raro cum muliere ſeneſcentes. Has vero non prohibere tantum, quo minus femina iterum concipere poſſit, ſed etiam alia graviſſimorum morborum genera parere *a*. Alii vero, qui, contrariam viam ingrediendam eſſe, volunt, probant, hanc ſecundas avellendi rationem valde periculoſam eſſe, violari enim uterum, & in hanc inflammationem concitari, relinqui non raro exulcerationes, ac varii generis tumores, immo carcinomata. Minus periculi eſſe, ſi, contrahente ſeſe utero, ſponte ſecedant ſecundæ, hoc vix non ſemper fieri, cum ipſe uterus in ima internaque ſua parte muſculum habeat fibraſque in orbem ductas, quarum actione illæ excutiantur *b*.

a Vid. Jo: VARANDÆUS *de Affectibus Mulierum Lib. II. Cap.* XI. Inter alios plures LA MOTTE *Traité des Accouchemens L. V. Cap. I. p.* 725. & Doctiſſimi Viri mihique amiciſſimi Dn. D. Jo: VALENT. HARTTRANFFT *Diſſ. de non differenda Secundinarum adhærentium extractione. Lipſ. MDCCXXXV.*

b Inter hos princeps eſt FRID. RUYSCHIUS *Adverſ. Decad. II. Obſ.* X. *p.* 30. & *in Tract. Anatom. de Muſculo in fundo uteri obſervato. Amſtelod. Anno MDCCXXVI.*

§. 1422.

Si vero de his, quæ per magnæ contentionis diſputationes a medicis tractata fuerunt, atque tractantur, dicendum, quæ proxima vero videntur, res non ſine periculo eſt, ſi ſecundæ non

protrahuntur, vel omnes vel earum partes, in utero relinquuntur. Dum etiam manus in uterum demittitur, cum ſecundis excuti poſſunt alia, quæ ſæpe intus ſunt, coactus ſanguis, molæ, quæ niſi eximantur novis doloribus, poſt partum ſævientibus, exturbantur. Sed vero multa etiam genera & tempora periculi ſunt, ſi ſecundæ valde inhæreſcentes vi adhibita diducuntur. Quare magis tutum omnino videtur, ſi, protracto infante, ſine mora educi poſſunt ſecundæ. Sed vero, cum id ſæpe non, niſi ægerrime, fiat, nec ad eas eximendas adeo properandum eſſe, plures in arte exercitati viri præcipiunt, qui jubent, ut, niſi aliud quid, veluti gravior ſanguinis profuſio, id exigat, feminæ temporis parum detur, quo a laboribus reſpirare poſſit, vireſque colligere. Eam quoque, ſi in ſedili partum ediderit, reſupinam in lectulo collocandam eſſe, cum ſic non tam facile ipſe uterus ſecundas manu tractas ſequatur. Sæpe enim fieri, ut, contracto paulatim utero, ſecundæ quæ ab initio non, niſi vi adhibita, diduci potuiſſent, ſine negotio, tracto concuſſoque paululum umbilico, excidant *a*.

a Hanc ſententiam propoſuit præ ceteris ALEX. MONRO *in the Medical Eſſays Vol. II. Obſ. XI. p. 220.*

§. 1423.

Edito infante, eductiſque ſecundis, mulieris pudenda panno tepefacto operienda ſunt, ne aër uterum, tunc apertum, offendat. Femina in lectulo collocanda eſt, &, illi ſi jam numeroſum partum edidit, faſcia, qua venter paululum adſtringitur, injicienda. Hæc ſupervacanea plerumque eſſe ſolet in femina, quæ primum partum enixa eſt, cum illa tantum infirmitatem relaxati uteri, peritonæi, atque muſculorum abdominis, ſi qua eſt, adjuvare poſſit. Ea vero, ſi arctius circumdatur, & nimium, præcipue uterum, premit, omnibus valde nocitura eſt.

§. 1424.

Gemellorum quilibet habet ſuum velamentum, ſuumque umbilicum. Illa vero ſecundarum pars, quam recentiores placentam vocant, interdum diviſa, interdum autem ita concreta eſt, ut dirimi ſine laceratione non poſſit. Si, poſt editum partum, deligatumque umbilicum, mulieri venter non detumeſcit, ſed durus manet, atque impoſitæ manui renititur, obſtetrix debet, antequam ſecundas diducit, umbilicum ſequi, & manu in uterum

demiſſa, num alius infans intus ſit, experiri. Si infans in utero eſt, is doloribus parturientiſque nixibus etiam ad inferiora compellitur, &, ſi recte compoſitus eſt, excluditur. Præſtat vero, ſi, talem intus eſſe, certo conſtat, ipſum partum accelerare, & ob id etiam velamenta, ſi adhuc integra ſunt, digitis rumpere, & infantem extrahere. Si gemelli in utero, & eorum velamenta rupta, ſunt, illi commode, prehenſis pedibus, extrahuntur, ea vero ſedulitas neceſſaria eſt, & cautio, ne chirurgus utrumque infantem, correpto uno, utriuſque pede, ſimul adducat. Ex ſecundis gemellorum, illas, quæ ad priorem partum pertinent, prius extrahi oportet.

§. 1425.

Jam vero ad eos caſus veniendum, ubi partus, qui per ſe excidere haud poteſt, manu chirurgi dirigendus, eximenduſque, vel etiam ferramentis excutiendus eſt, cujus rei plures cauſæ atque occaſiones ſunt, quæ ſummam prudentiam moderationemque deſiderant. Ante omnia vero hoc exploratum eſſe debet, num partus vivus ſit, num jam in utero materno extinctus, cujus rei plura habemus indicia: quæ vero etiam, cum, ut ſupra, occaſione graviditatis, retulimus, omnes fallere poſſint, ſedulo conferre, & certo judicio ponderare debet Chirurgus.

§. 1426.

Partum itaque emortuum eſſe, interdum ex evidentibus cauſis cognoſcitur. Si mulieris venter, ictu illato, caſu ab alto, facto, vel alia ratione, vehementer commotus, violatuſque fuit, vel, ſi aliud quid incidit, veluti, ſi mulier ſubito terrore, metuve injecto, commota fuit, ſi illa poſt aliquot dierum languorem inhorruit, nullo inſequente calore, ſi crebrius animo linquitur, ſi faciei color novo pallore mutatus eſt, ac luridus, ſi oculos habet graves, liventes labenteſque, ſi os olet, mammæ emacuerunt, venter deſidit, & in eo non moti infantis, ſed gravitatis aliquis ſenſus eſt. Certiores notæ ſunt, poſtquam ſub ipſis doloribus uteri os apertum eſt, & corpori mortuo injecta manus frigus, nullos vero arteriarum ictus, ſentit, &, ſi ab illo epidermis ſecedit, ſi fœdi humoris ſanies, & cum illo humido, quod naturaliter amnio continetur, etiam ſtercus, vel, ut vocant, meconium, profluit. Incidere tamen poteſt, ut, vivo etiam infante, nullos arteriarum ictus percipiamus in membro, quod ab

uteri ore interno valenter comprimitur, a quo membro etiam, ſi illud gangræna affectum eſt, epidermis ſeparari poteſt. Si infantis etiam vivi, clunes, obverſi ſint coſque, & infantis ventrem, dum hic replicatus deſcendit, os uteri comprehendit atque urget, meconium etiam ex vivo partu exprimitur, & cum illo humore effertur.

§. 1427.

Partus vero emortuus, ſi recte compoſitus eſt, eadem via, qua vivus, excidere ſolet. Interdum, ſi is tranſverſus, vel aliter collocatus eſt, is optime in pedes convertitur, & manu chirurgi extrahitur, de qua partum dirigendi ratione mox dicendum. Si vero caput ad os uteri hæret, & per illud, vel propter magnitudinem, vel membrorum conformationem, vel etiam propter muliebrium anguſtias efferri nequit, res ferramentis agenda eſt. Jam vero ab aliquot annis inventæ fuerunt majores ampliorefque forcipes, quæ ita adaptantur, ut illarum laminæ caput infantis comprehendant, quibus non ſolum emortui, ſed vivi etiam, partus extrahuntur. His enim ferramentis non ſolum infans prehendi, ſed os uteri etiam ampliari, aliquantum poteſt *a*. Alii genere quodam laquei utuntur, quem certis accommodatiſque ferramentis ſuper infantis caput injiciunt, & ſic illaqueatum adducunt, totumque corpus extrahunt. Etiam, vivos ſic eximi poſſe infantes, ſcribunt *b*. Frequentiſſimum vero eſt, in his caſibus, ſi certo conſtat, partum emortuum eſſe, cum unco excuti.

a Figuram hujus forcipis, vel, ut vocant, *Extractoris*, vide in WILLIAN. GIFFARD'S *Caſes in Midvvifry*, quem hoc ferramento crebrius uſum fuiſſe illæ ejus obſervationes docent. Aliam figuram dedit ALEXANDER BUTTER, Chirurgus Edinburgenſis, *in the Medical Eſſays Vol. III. Obſ. XX. p.* 320. Confer. EDMUND CHAPMAN'S *Eſſay on the improrement of Midvvifery Cap. I. p.* 13.

b Hujus laquei (*Fillet*) mentionem facit CHAPMANN *l. c. p.* 12.

§. 1428.

Hoc vero recenti re fieri oportet, ne aliquam, quæ per ſe moritura erat, occidiſſe videamur. Manus enim admoveri non debet mulieri, quæ plurium dierum laboribus vigiliiſque exhauſta confectaque eſt, quæ febricitat, cujus arteriæ æquis intervallis non moventur, ſed ſubeunt, atque interdum quieſcunt, quæ ſomno ultra debitum urgetur, cujus venter atque genitalia, quod inflammationem acceperunt, intumuerunt.

§. 1429.

Si vero partum ferramentis evellere ſtatutum eſt, ante omnia mulier urinam reddat, vel hæc, ſi aliquid, eam reddi naturaliter, prohibet, demiſſa in urinæ iter (1339.) argentea fiſtula evocetur. Oportet vero reſupinam mulierem tranſverſo lectulo ſubjecto inter corpus & lectum ſcorteo pulvino, ita collocari, ut imus venter in conſpectu ſit, & ut mulieris feminibus ilia comprimantur. Ad latus duo valentes aſſidere oportet, qui femora cruraque continent, & alius miniſter a tergo toti corpori incumbit, atque prohibet, quo minus id, dum partus adducitur, ſequatur. Tum chirurgus diligenter, unguibus circumciſis, digitos, leniter oleo unctos, in pudendum demittit, ut emortui partus habitum, poſitumque, ſentiat, & inveniat, ubi uncus demitti poſſit. Antequam vero hoc fit, ſi caput proximum eſt, ſed vero majus, verticem aperiri, & cerebrum eximi, oportet. Foratur membrana, quæ in puerorum ſummo capite eſt, fontanellam vocant, vel forfice, vel alio ferramento, cujus varii modi ſunt *a*. Tandem vero cerebrum, vel nudis digitis, vel alio ferramento, cochlearis inſtar formato, evellitur. Cavendum vero ſedulo, ne calvariæ oſſa mulieris genitalia aſperitudine ſua lædant. Tandem uncus, undique lævis, & acuminis brevis, demittitur, &, vel oculo, vel auri, vel ori, vel occipiti, vel majori etiam in calvaria foramini, per quod ſpinalis medulla deſcendit, injicitur. Optime autem uncus pone aurem, ubi in adultis apophyſis maſtoidea eſt, defigitur. Cura enim habenda eſt, dum uncus adducitur, ne ejus acumen in os uteri, vel in muliebria, delabatur, ex qua re ingens mortis periculum oriri poteſt. Unci manubrium notam habet, quæ oſtendit, cui parti ejus acumen obverſum ſit.

a Varia ad id excogitata ſunt ferramenta a MAURICEAU, a Celeberr. FRIEDIO, *Argentoratenſi*, aliiſque in quibus ſcalpelli acumen, vagina incluſum, elatere, vel cochlea, vel alia ratione, movetur.

§. 1431.

Defixo ſic unco, is a chirurgo, mediante dextra, leniter adducendus eſt, ſiniſtra intus poſita, quæ infantem ſimul, quantum fieri poteſt, dirigit. Sed vero hoc, quod in omnibus his curationibus perpetuum eſt, ſedulo teneri debet, ubi manum, vel ferramenta, in uterum demittere, aliquid in eo moliri chi-

rurgum oportet, is ut, compreſſo per dolores utero, quieſcat, hiante vero utero, deſinenteque dolore, procedat, & id, quod propoſitum eſt, efficiat, neceſſe eſt. Qui enim, urgentibus doloribus, manus intus dare, vel fœtum dirigere, aut aliquod membrum replicare, audent, iis evenire poteſt, ut uterus rumpatur, mulierque ſubita morte rapiatur, cujus partus poſt obitum in ventre reperiri ſolet *a*. Ubi vero partus unco protractus fuit, cetera agenda ſunt, ut jam ſuperius expoſui *b*.

a Vid. HILDANUS *Cent. I. Obſ.* 64. *Cent. IV. Obſ.* 57. *Ephem. Nat. Cur. Cent.* IX. *Obſ.* 19. *p.* 21. & *Obſ.* HEISTERI *in Act. Nat. Cur. Vol. I. Obſ.* 186. *p.* 397. & EJUSD. *Diſſert. de Fœtu ex utero materno exſcindendo & de ruptura uteri. Altd.* MDCCXX.

b Partum alii aliis ferramentis excutere voluerunt. Machina a FRANCISCO MAURICEAU inventa (*le Tire-tête de* MAURICEAU) artificioſius effecta eſt, qua vero partus vix tuto prehendi poteſt. Vid. MAURICEAU *loc. cit. Lib. II. Cap. XXXII. p.* 367. JO: PALFINUS, Gandavenſis Chirurgus, propoſuit duas laminas, ſatis amplas, recurvas, quibus infantis caput utrimque prehendere & educere voluit. Vid. Cel. HEISTERI *Inſtitut. Chirurg. P.* II. *Sect.* V. *Cap.* 152. *p.* 1046. & *Tab.* XXXIII. *Fig.* 16. Hæc PALFINI ferramenta eo lubentius adduco, quod mihi perſuaſum eſt, illa inveniendis illis forcipibus, quarum ſuperius mentio facta eſt, occaſionem dediſſe. Aliud inventum eſt Celeberrimi Viri, apud Argentoratenſes Obſtetricii, Dn. D. JO: JAC. FRIEDII, qui aliud κεφαλέλκειν, vel *Tire-tête*, reperit. Vid. *Acta Erud. Anno* MDCCXXIX. *Menſ. Aug. p.* 347. *Tab.* IV. *fig.* 1. Alibi (§. 12.) dictum eſt, paucioribus ferramentis uti debere chirurgum, id quod vel maxime obſtetricium decet, qui, ubi rem manibus agere poteſt, merito negligit ferramenta.

§. 1431.

Si partus emortuus in tranſverſum jacet, medentis propoſitum eſſe debet, ut, conquiſitis adductiſque pedibus, eum protrahat. Incidere vero poteſt, ut, attracto ſic infante, avulſum caput in utero maneat. Hoc ſine mora auferendum eſt, vel digito in os inſerto, vel forcipe, vel illis, modo deſcriptis, ferramentis, ex quibus forceps, & id, quo Cel. D. FRIEDIUS utitur, aptiora ceteris videntur. PETRUS AMANDUS, Chirurgus Gallus, reticulum invenit, quo caput, ſic avulſum, extrahere inſtituit *c*.

c Vid. *Les nouvelles obſervations ſur la Pratique des Accouchemens, Obſerv.* LXXIII. *p.* 235.

§. 1432.

Quoties autem partus emortuus tranſverſus, ejus vero manus, vel alia pars, in propinquo eſt, & per os uteri prominet; infans autem, id quod interdum incidere ſolet, dirigi, ac in

pedes converti non poteſt, quod, quia os uteri inflatum inflammatumque eſt, manus intus dari nequit, & quod ipſe partus, ejuſque pars, quæ proxima eſt, intumuit, ac replicari nequit: tum hæ difficultates faciunt, ut is, qui ſolidus non exit, conciſus eximi debeat. Conciditur autem infans alio unco, qui in interiore parte per totam aciem exacuitur. Hoc unco, vel, id quod magis tutum videtur, ſcalpello incurvo, falcato, cujus mucro glebulam habet, præciduntur carnes prominentis humeri prope articulum cum omoplata, & humerus rotando magis, quam trahendo, ex ſinu ſuo evellitur. Jam vero chirurgo enitendum eſt, ut manum inſerat, & pedes conquirat. Si vero nec tunc os uteri manum admittit, corpuſculum illo unco forandum, effuſo humore exemptiſque viſceribus, extenuandum, atque ſic, vel manu, vel alio unco, etiam duplex acumen habente, extrahendum eſt *a*. Magna diligentia adhiberi debet, ne uncus, putri corpuſculo injectus, elabatur, in quo, quid periculi ſit, ſupra poſitum fuit. Non temere ad hanc horrificam medendi rationem feſtinandum eſt, quæ ſæpe vitari poteſt, ſi chirurgus opportuno tempore accerſitur, & ſi is, rerum ſuarum peritus, partum non recte compoſitum in pedes dirigere, & per hos eum protrahere poteſt.

a Aliud ferramenti, vel ſcalpelli, genus, quod annulum habet, quo id digito indici aptatur, delineatum vid. *in the Medical Eſſays Vol. V. Obſerv.* XXXIX. *p.* 445.

§. 1433.

Atque vero hoc non de emortuis tantum infantibus, ſed etiam de vivis, intelligi debet. Partum vero, quamvis adhuc velamentis ſuis incluſus ſit, modo adapertum os uteri fuerit, transverſum eſſe, ſciri poteſt, ſi, urgentibus doloribus, illud velamentum non globoſum, quale ab inſequente capite redditur, digito obnititur, ſed fere æquale eſt & flaccidum. Ruptis vero his tunicis, habitum infantis digito ſentire poteſt chirurgus, cui infantis pollices indicio ſunt, cujus lateris manus, vel pes, in propinquo ſit. Partus vero, qui ſic compoſiti ſunt, niſi convertantur, edi nequeunt; id quod, ut ex hactenus dictis intelligi poteſt, mox ab initio fieri debet, quo tempore mulier nondum adeo oppreſſa doloribus eſt. Quare, ſi ex velamentorum habitu ſentit chirurgus, partum recte compoſitum non eſſe, expedit

ea ſine mora digito forare, atque rumpere, infantem vero dirigere atque extrahere. Infans dirigitur, ſi chirurgus, ut ſupra retuli, unctam manum in uterum inſerit, id quod, ſe remittentibus doloribus, fieri oportet, cum, iis ſubſtantibus, ut jam retulimus, quieſcendum ſit. Ubi tota manus, per has occaſiones demiſſa, intus eſt, debet digitis pedes conquirere, &, his apprehenſis, infantem educere. Sic enim non difficulter protrahitur, modo is, ubi ad nates uſque eductus eſt, injecto prius tepefacto linteo, duabus manibus prehendatur, & ita convertatur, ut ejus vultus perinæo mulieris obverſus ſit. Brachia, ſi obnituntur, digitis adduci poſſunt. Si non uterque pes inveniri poteſt, adducendus eſt unus, qui proximus, quem alter ſequitur. Omnes igitur in pedes convertuntur, & vivi protrahuntur, quorum cervix, facies, auris, pectus, tergum, abdomen, in propinquo eſt, nec minus illi, qui, in pedes converſi, Agrippparum more, deſcendunt, quos convertere non opus eſt. Nec oportet, ſi manus in uterum inſeri, & pedes inveniri poſſunt, membrum quod proximum eſt, & jam in uteri ore hæret, replicari, cum illud adductis pedibus, ſponte ſequatur.

§. 1434.

Non raro infantes obverſis clunibus utero emergunt. Hoc ſi tempeſtive deprehendit chirurgus, cum oportet nates paululum retro repellere, atque ſic corpus rectius reddere, pòſt pedes conquirere, & his partum educere. Sed vero, ubi retropelli clunes commode nequeunt, chirurgus inguinibus infantis utriuſque manus digitum indicem injicere, & ſic eum complicatum protrahere poteſt, ad quam rem magnitudo genitalium plurimum facit.

§. 1435.

Solet etiam evenire, ut umbilicus, dum infans adhuc in utero eſt, foris ſit, & ex eo propendeat, quæ res ſummum, mortiſque periculum infanti afferre poteſt. Ante omnia, digitis umbilico admotis, experiendum eſt, num arteriæ in eo moveantur, ex quo intelligitur, vitam nondum deſeruiſſe infantem. Huic autem ſine mora ſuccurrendum, iſque, conquiſitis pedibus, celerius protrahendus eſt. Nam, ſi maternis, lentiſque, nixibus elliditur, comprimitur umbilicus, ſiſtitur in ejus arteriis venaque ſanguis, & infans, quaſi ſtrangulatus, antequam lucem aſpicere poteſt, vitam amittit.

§. 1436.

Nec ignorari oportet, difficultates, quibus parturientes affliguntur, non ſemper a partu male compoſito oriri, ſed etiam ab utero, ſi is aliter collocatus eſt, quam naturaliter eſſe debet, & in obliquum flexus. Nonnumquam, præcipue in feminis obeſis, quibus venter, & ipſe uterus, cum ſuis ligamentis, frequenti partu jam relaxatus eſt, is ſuper pectinis oſſa anteriora verſus inclinatus propendet. Hoc ſi incidit, infans ita devolvitur, ut ſuo capite oſſi ſacro mulieris innitatur. Ex qua re ſequitur, ut eidem & coccygis oſſi etiam os uteri obverſum ſit. Hoc igitur difficilius digito poteſt explorari, cujus ſuperior ſaltem ora ſentitur. Hæc omnia ſub primis doloribus optime cognoſcuntur, & tunc confert, mulierem non in ſedili, ſed in lectulo, reſupinam, coxis etiam elatioribus, collocari. Chirurgum oportet, altera manu mulieris ſic jacentis ventrem paulatim, & multa adhibita moderatione, deprimere, alterius manus digito, ſub ipſis etiam doloribus, quantum fieri poteſt, ori uteri inſerto, hujus cervicem paululum levare, ut ſic uterus rectior fiat. Aliquid conferre poteſt, ſi coccygis os in junioribus aliquantum deprimitur.

§. 1437.

Vitium huic contrarium eſt, ſi uteri ima pars, fundum vocant, nimium reſupinata, tergo mulieris quaſi affixa eſt. Nec in hoc caſu os uteri loco ſuo, & digito tangenti obſtetricis obvium eſſe poteſt, quod ſub oſſibus pectinis urinæ itineri proximum latere ſolet. Infans autem, ſi is ceteroquin recte compoſitus eſt, dum exitum molitur, ab obliquo utero ſe contrahente ad oſſa pectinis propellitur, quibus, capite innixus excludi nequit. Ad hanc rem aliquid conferre videtur, ſi mulieri pelvis anguſtior eſt, & ſi illa tempore, quo uterum gerit, frequentius ſupina cubat. Fruſtra autem ſunt omnes mulieris labores, nixuſque, niſi prius, & uterus, & ipſe infans, recte compoſitus ſit. Antequam in hoc caſu hoc molitur chirurgus, mulier urinam reddat, & tum ille digito unctæ manus, ſub pectinis oſſibus, os uteri, inſerto in hoc, quantum fieri poteſt, digito, explicare, illud, ſub ipſis etiam doloribus, paulatim deorſum, & perinæum verſum, premere, alteram autem manum ventri ſuper pectinis oſſibus imponere, & hunc, ſumma adhibita moderatio-

ne, aliquantum deprimere debet. Interea, ubi digitus in os uteri inſeri potuit, caput, quod oſſibus pectinis innititur, etiam expediendum & deorſum verſum ducendum eſt. Omnia hæc modice molliterque tractanda eſſe, nemo non intelligit. Sub his expedit, mulierem non ſupinam cubare, ſed erecto corpore, & capite in priora magis inclinato, eſſe, genubuſque inniti. Ubi, tum uterus, tum partus, recte compoſitus eſt, mulier doloribus jungat ſuos etiam nixus, quibus infans exturbatur. Si tamen manus in uterum inſeri potuit, fere & heic commodius eſt, partum, prehenſis pedibus, extrahi.

§. 1438.

Etiam in latus inclinatur uterus, id quod interdum in puſillis feminis fit, in quibus uterus, quod eum, pleniorem, pelvis ſatis comprehendere nequit, ſupra illam aſſurgit, qui facile in latus detorquetur. Longe frequentius hoc fit, ſi inteſtina, in latere dextro cœcum, in latere ſiniſtro colon, quod ibi replicatum eſt, flatibus, vel ſtercore plenum vicinum uterum urgent, & in contrariam partem propellunt. Plurimum confert, ſi mulier tempore graviditatis frequentius in unum latus cubare ſolita eſt. Hoc vitium cognoſcitur, ſi venter non æqualis eſt, ſed in uno latere magis, quam in altero, tumet. Os uteri in oppoſita parte, plerumque ſub oſſe iſchio, vel etiam ſub altero oſſe pectinis, deliteſcit, quod ultimum incidit, ſi uterus ita obliquatus eſt, ut ejus fundus non ſolum in unum latus, ſed etiam in partem poſteriorem, inclinatus ſit. Si vero uterus in latus, v. g. dextrum, deflexus eſt, atque ſimul propendet, os uteri, quod, ut ſupra retuli, inteſtino recto incumbit, in ſiniſtro latere reperitur. Etiam in his caſibus recte collocari femina debet, & os uteri, quantum fieri poteſt, dirigi. Sæpe ante cetera neceſſarium eſt, alvum lotionibus ducere, ſi, ante partum venter ſuppreſſus, parum reddidit. Plerumque etiam heic optime res geritur, ſi, adaperto ore interno, partus, conquiſitis prehenſiſque pedibus, protrahitur. Nam, in omnibus his caſibus priora tempora opportuniſſima curationibus eſſe, hiſque intermiſſis, ſæpe, & mulierem, & partum, mortis periculo ſubjici, uſus docuit.

§. 1439.

Minime diſtantem curationem etiam requirit ſanguinis profu-

ſio, quæ, antequam partus excluſus eſt, interdum incidere ſolet. Nam de ea, quæ abortus periculum facit, heic agendum non eſt. Si parum fluit ſanguis, imperanda eſt quies, aliaque adhibenda auxilia ſunt, quæ alibi (418. 419.) exſecutus ſum. Si vero cum impetu ruit ſanguis, intelligitur, ſecundarum aliquam partem ab utero avulſam eſſe, & ex hujus vaſorum hiantibus oſculis ſanguinem ferri. Hoc ipſum comprobatur, ſi evidens cauſa fuit, & uterus ictu, extrinſecus illato, caſu, ſaltuve, aliaque corporis exercitatione, vel animi perturbatione, commotus. Interdum etiam partus, umbilico ſuo irretitus, & quaſi illaqueatus, eſt, quem, dum exitum molitur, trahit, & ſecundas ab utero diducit. Reperiuntur etiam feminæ, quibus ſecundæ, & id, quod placentam vocamus, ipſi ori uteri inhæreſcunt, quæ, dum illud os doloribus ampliatur, diducuntur, ut ex patentioribus arteriarum oſculis, vel iis etiam diſruptis, ſanguis cum periculo profundatur. Unicum præſidium adverſus hoc ſanguinis profluvium eſt, infantem protinus, & feſtinanter, etiam aliqua vi adhibita, protrahere. Digitus, oleo unctus, inſeri debet in os uteri, quamvis hoc etiam parum dehiſcat, qui, ſi in eo continetur, alius digitus debet demitti, & per has occaſiones alius. Dum vero ſic digitis adaperitur os uteri, dolores concitantur, quibus infans propellitur. Data intus manu, ipſæ, ſi eas appoſitas ſentit, ſecundæ digitis forandæ ſunt, & rumpenda velamenta, atque infans, conquiſitis pedibus, ſine mora protrahendus eſt. Invenio tamen recentiorem ſcriptorem, qui, aliam curandi viam ingreſſus, jubet, excitatis doloribus, naturalem partum celeriorem facere. Dolores movet, dum, inſerto in os uteri digito, illud paulatim dilatat. Oſtendit enim, irritato ſic ad ſui contractionem utero, ora vaſorum ſanguinem fundentium adſtringi, & ſanguinem ſupprimi, ipſumque partum expelli. Ob id, ut uterus ſe melius poſſit in anguſtum adducere, ampliato uteri ore, rumpenda eſſe velamenta, ut humor affundatur. Sic enim, id quod experimentis probat, minori periculo mulieres, etiam jam ſanguine fere exhauſtas, partum edere potuiſſe, & omnem profuſionem conquieviſſe *a*. Experiendum erit, quæ medendi ratio miſeris feminis majorem ſecuritatem præſtare poſſit.

a Vid. *Comment. de Hæmorrhagia uteri gravidarum in Acad. Chirurg. Vol. I. p. 358. Edit. in 4.*

§. 1440.

Gravis & miſerabilis caſus eſt, ſi per naturales vias partus excludi nequit, id quod ex variis cauſis incidere ſolet. Interdum verendorum, oſſiumque, conformatio & figura, nimiaque anguſtia, id prohibet *a*. Nonnumquam oræ naturalium inter ſe a nativitate glutinatæ ſunt, aliquando vero, exulceratione facta, per malam curationem ſaneſcendo junctæ. Quomodo, his inciſis atque diductis, iis, quæ inter ſe cohærent, ſuccurrendum ſit, protinus, ubi de atretis dicetur, (1444.) exponam. Infans ſi humore diſtenditur, id quod fieri interdum ſolet, & ſi chirurgus certus eſt, eum emortuum eſſe, oportet ejus corpus digito indice forari, ut, effuſo humore, extenuatum, manibus, vel etiam unco, poſſit extrahi. Nam vix ſperari poteſt, ſuperſtitem futuram eſſe parturientem, ſi ſcalpello os uteri incidatur, amplieturque, id quod Clarum Profeſſorem auſum eſſe legimus *b*. Si naturalibus, quorum nimia anguſtia eſt, fruſtra admota fuerunt fomenta, aliaque, quæ maxime ad emolliendum poſſunt, ſupereſt auxilium, quod, quamvis incertum temerariumque ſit, adhiberi oportet, cum ſit unicum. Sectionem Cæſaream vocant hanc chirurgiam, qua, inciſo parturientis ventre, uteroque partus protrahitur. Numquam hoc negligi, ſed protinus, & ſine mora, fieri debet, ſi puerpera, antequam partum enixa eſt, morte occubuit, &, vel exploratum, vel probabile eſt, infanti vitam ſuppetere *c*. Multa tamen prudentia adhiberi oportet, ne feminam, quæ, ſanguine exhauſta, viribus defecta, vel gravitate morbi, doloriſque acerbitate, oppreſſa, animo linquitur, atque quaſi exanimis jacet, ſuperſtite vita, nulla adhibita moderatione, incidamus *d*. Jam vero plurium obſervatione compertum, & ita comprobatum eſt, ut nulla dubitatio relicta ſit, non raro feliciter cedere hanc medendi rationem, ſi illa etiam vivis feminis adhibeatur, & ex earum inciſo utero partus, vel vivus, vel mortuus, eximatur *e*. Immo, fuiſſe dicuntur feminæ, quibus hæc anceps & periculoſa curatio iterum, & aliquoties, adhibita fuit *f*.

a Vide Caſum in *Comment. Acad. Chirurg. p. 646.*

b THOMAS SIMSONIUS, Clarus Profeſſor Scotus. Vid. *the Medical Eſſays Vol. III. Obſ. XIX. p.* 315. os uteri calloſum incidit, femina poſt viginti & quatuor horas obiit, quamvis ex illis plagis nulla ſecuta fuerit ſanguinis profuſio.

c Vide HEISTERI *Diſſert.* ſupra ad §. 1430. *a* citata.

d Senatus Venetus legem tulit, qua cavit, ne puerperæ mortuæ, quarum partus adhuc vivus educendus eſt, decuſſata ſectione incidantur, ſed ſimpli-

ci, qua alias utuntur chirurgi, qui vivæ matri hanc chirurgiam adhibere ſolent. Hoc me docuit Celeberr. WINSLOVIUS in *Quæſt. med. Chirurg. An ad ſervandam præ fœtu matrem obſtetricum hamatile minus, anceps & æque inſons, quam ad ſervandum cum matre fœtum Sectio Cæſaria? Lutetiæ, Anno MDCCXLIV. propoſita.*

e Omnia fere, quæ ad Sectionem Cæſaream attinent, congeſſit Chirurgus Gallus SIMONIUS *in Comm. Acad. Chir. Vol. I. p.* 623. Jam veteribus a cæſo utero Cæſones dicti fuerunt. Vide PLINIUM *Hiſt. Nat. L. VII. C. IX. T. I. Edit.* HARDUINI *p.* 378. vel Cæſares *v. eumdem c. l.* De Origine tamen hujus denominationis multis diſputat ÆLIUS SPARTIANUS in Vita Ælii Veri in *Hiſt. Auguſtæ Scriptor. T. I. p.* 224. conf. SEXTUS POMPEJUS FESTUS *de Verb. Signif. Lib. III. p.* 61. qui Cæſares a cæſarie appellatos fuiſſe prodidit. Qui inter recentiores primus hanc curandi viam ingreſſus eſſe videtur, fuit ὀψιχότοκος Helvetus, qui anno circiter MD. propriam uxorem curavit tam feliciter, ut ea pòſt gemellos, & quatuor adhuc infantes, enixa fuerit. Vid. BAUHINUS in *Append. ad* ROSSETUM *p.* 162. Hanc vero chirurgiam pòſt ſingulari ſtudio expoſuit, & medentibus commendavit FRANCISCUS ROSSETUS in *Traité nouveau de l' Hyſterotomotokie ou Enfantement Ceſarien, à Paris, MDLXXXI.* quem libellum modo laudatus CASPARUS BAUHINUS in latinum ſermonem vertit, eique alias obſervationes addidit. Latine eum edidit & multum adauxit ipſe ROSSETUS *Anno MDXC.* cui titulus: *Τυεροτομοτοκίας, i. e. Cæſarei Partus Aſſertio hiſtoriologica, & eodem anno* Carmen ſcripſit, cui Titulus: *Dialogus Apologeticus pro Cæſareo Partu in malevoli cujuſdam Pſeudoprotei dicteria.* Plures enim habuit adverſarios, de quibus vide modo dictam Commentationem. PAREUS, cujus magnum illo tempore nomen fuit, de hac medendi ratione & ejus ſucceſſu dubitavit *in Lib.* XXIII. *Cap.* XXXI. *p.* 702. Variæ in illis Commentariis hujus curationis feliciter peractæ leguntur hiſtoriæ, partim ex Auctoribus exſcriptæ, partim quæ haud ita pridem Lutetiæ animadverſione diligenti plurium Chirurgorum notatæ fuerant, quibus addimus Obſervationes *in the Medical Eſſays Vol. V. P. I. Obſ.* XXXVII. *p.* 439. & XXXVIII. *p.* 444. Non vero hac Chirurgia tantum partus in utero hærentes protrahuntur, ſed etiam aliis, qui forte, tubæ Fallopianæ, vel alii viſceri, adhærentes, extra uterum, ſolo abdomine concluſi, aliquando per plures annos circumferuntur. Talis fuit, ut alias obſervationes jam mittamus, fœtus Muſſipontanus a LAURENTIO STRAUSSIO ſingulari ſtudio deſcriptus *in Reſolutione Caſus Muſſipontani, Darmſtadii, Anno MDCLXII.* Confer THOMAM BARTHOLINUM *de Inſolitis Partus Viis Cap.* XI. *p.* 74. nec non ille fœtus a RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO deſcriptus & delineatus in *Diſſ. de Fœtu* XLVI. *annorum, Tubingæ, MDCCXX.* Alii caſus plures in hac Diſſertatione allegantur. Nonnumquam hi partus, in abdomine ſeneſcentes, ſibi viam, per peritonæum & abdominis muſculos, concitata magna ſuppuratione, aperiunt. V. BARTHOLINUS *l. c. Cap. V.* ex ROSSETO & aliis Auctoribus. Conferatur *Iſtoria d'un feto eſtratto felicemente intorno dalle parti deretane ſcritta da* GIOVAN DOMENICO SANTORINI, *in Venezia,* MDCCXXVII. §. XXX. ubi etiam plura exempla ab Auctoribus propoſita leguntur. Oſſa corruptorum fœtuum per inteſtinum rectum extracta fuerunt a LITTRIO, Academico Gallo, Vid. *Comm. Acad. Reg. Sc. Anno* MDCCII. *p.* 313. & ex muliere alia, præſente Celeberr. SANTORINO, a Chirurgo NICOLAO PATUNA, qui eumdem caſum, de quo SANTORINUS in mox citato Tractatu egit, libello quodam deſcripſit, edito *Venetiis,* MDCCXXVII. In alia muliere alter infans per ulcus umbilici extractus fuit, alterius oſſa per alvum exturbata. Vid. *the Medical Eſſays l. c. Obſ.* XXXVIII. *p.* 441. Partum vero talem, inciſo abdomine, extraxit ABRAHAMUS CYPRIANUS Profeſſor Franequeranus qui

edidit *de hoc caſu Epiſtolam*, *Lugd. Bat.* MDCC. Mulier, poſtquam hanc curationem ſuſtinuerat, iterum filium, & pòſt etiam gemellos, peperit *l. c. p.* 14. Confer de Sectione Cæſarea, præter ROSSETUM, *Traité de l'Operation Ceſarienne par* JEAN RULEAU, *à Paris*, MDCCIV. *& Voorſtelling van de Noodſaakelikheid der Keiſerlyke Snee door* DIONISIUS VAN DER STERREN, *tot Leyden*, *Anno* MDCLXXXII.

f Vid. *Comment. Acad. Chirurg. l. c. p.* 637.

§. 1441.

At enim, ſi, ubi aliter ſuccurri non poteſt, hanc ſectionem experiri vult chirurgus, oportet, mulierem ſupinam jacere, ita tamen, ut illud latus, quod ſecari debet, ſuperius ſit. Incidantur, juxta lineam albam, plaga majori, quæ ab umbilico ad oſſa pubis fere deſcendit, tum abdominis muſculi, tum peritonæum, ubi tamen vitandum, ne violetur arteria epigaſtrica. Hac plaga facta, uterus conſpicitur, qui alia plaga, magis in cervice, quam ejus ima parte, vel fundo, aperiendus eſt, quod imo utero ſecundæ adhærent, quas vulnerari periculoſum eſt. Arteriis, ſi ex iis ſanguis profunditur, vinciendo proſpiciendum eſt. Educuntur per plagam, & infans, atque etiam ſecundæ, quæ ab utero diducendæ ſunt. His peractis, plerumque vulnus futura adducitur, & imponuntur medicamenta, quæ putredinem avertunt. Nam plagæ tandem cicatrix inducitur, cui pannum objici, vel ſuper eam aliud quid deligari oportet, quo illa reprimatur. Nam ex hac curatione frequentius hernia relinquitur *a*.

a Vide MICHAELIS DOERINGII *Epiſtolam ad* GUILIELMUM FABRICIUM, HILDANUM, *de Hernia uterina*, *Witteb.* MDCXII. proſtat etiam in HILDANI *Operibus p.* 893.

§. 1442.

Pudenda mulieris, poſt difficilem partum nimium vexata, ſæpe intumeſcunt, quibus admoveri debent fomenta tepida ex emollientibus herbis, quæ, vel ex aqua, vel lacte, coquuntur. Si perinæum ruptum fuit, vulnus colluendum eſt vino calido, & mulier extentis compreſſiſque in unum feminibus cubare debet, quæ, ne ſub ſomno diducantur, faſcia deligari queunt. Sunt, qui, plagam in perinæo ſuendam eſſe, volunt *b*.

b Vid. *Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. Obſ.* 44. *p.* 90.

ἌΑΤΡΗΤΟΙ.

§. 1443.

Ἄτρητοι *a*, Atretæ, dicuntur feminæ, quarum naturalia præcluſa ſunt, ut concubitum non admittant. Vel membrana pudendo oppoſita eſt, vel ejus oræ inter ſe glutinatæ ſunt, id quod, vel ex utero materno eſſe ſolet, vel incidit, dum, exulceratione in his partibus facta, illæ oræ atque tunicæ per malam curationem ſaneſcendo junguntur. Si in puellis, quibus catamenia inſtant, ſanguis in hæc loca confluit, & ei nullus exitus datur, eas non raro nervorum diſtentio, febris, cum inflammatione, aliaque graviſſimorum atque pernicialium morborum genera male habent. Membrana, ſi oppoſita eſt, ſine negotio inciditur, ſi vero caro pudendum replevit, idque protinus in utero matris evenit, malum ſæpe nullam curationem recipit. Nec minorem difficultatem illud habet, ſi tunicæ, poſt exulcerationem ſaneſcendo, in unum junctæ, coiverunt.

a Ἄτρητοι κατὰ τὰ γεννητικὰ μόρια. PAULUS *L.* VI. *C.* LXXXI. *p.* 92. *Edit. Aldi.*

§. 1444.

Femina reſupina, eo modo, quo in partu difficili figuratur, ſuper lectum ita collocatur, ut verenda in conſpectu ſint. Membrana, ſi adeſt, ſcalpello inciditur, & exitus datur ſanguini, aliique humori, qui retentus fuerat. Si vero per cicatricem oræ inter ſe junctæ ſunt, ſuſpenſa manu illæ incidi, & inter ſe diduci, debent, diligentia adhibita, ne urinæ iter violetur. Aperto igitur pudendo, demittenda eſt turunda major, pleniorque, etiam aliquo medicamento, ad ſanguinem ſiſtendum, vel cicatricem inducendam, idoneo reſperſa, vel madefacta. Sunt, qui ad id utuntur ampliori fiſtula, ex ebore facta, & crebrioribus majoribuſque foraminibus pertuſa, ut effluere poſſit omnis humor. Turunda, vel fiſtula, non prius recipi debet, quam, donec, perſanatis omnibus, cicatrix ſit.

UTERI PROCIDENTIA.

§. 1445.

Et ipſe uterus, & illa pudendi pars, quam vaginam appellant, procidere ſolet *a*. Uterus, aperto poſt partum ore interno, quandoque inverſus procidit, maxime, ſi valenter inhæreſcunt ſecundæ, & umbilicus multum trahitur, vel, ſi obſtetrix manu non

ſecundas, ſed uterum, prehendit, & adducit. Raro ſic uterus per dolores, qui vehementer poſt partum feminam excruciare ſolent, ita devolvitur. Hoc vitii genus cognoſcitur ex ipſo tumoris habitu, & ſi is globoſus propendet *b*. In hujus mali curatione properandum, & protinus uterus manu recondendus eſt. Femina quietem ſervare, & non aliter cubare, debet, quam extentis cruribus, & compreſſis in unum, etiam faſcia deligatis, feminibus. Ubi devolutus uterus non protinus repoſitus fuit, iſque contrahente ſe ore interno, premitur, ſæpe feminæ cita, & fere inopina, morte rapiuntur, vel iis magna inflammatio atque gangræna naſcitur.

a Magna controverſia aliquando fuit, num ipſe uterus procidere poſſit. Vid. DAV. VAN DER BECKE *de Procidentia uteri*.

b Vid. Obſ. & figuram *in* RUYSCHII *Obſ. Anat. chir. Obſ.* X. *p.* 16. *fig.* 12.

§. 1446.

Totus autem uterus cum ore interno deſcendit, & ex naturalibus partibus prolabitur, ſi ejus ſic dicta ligamenta, quibus uterus in ſede ſua continetur, cum ceteris partibus relaxata ſunt *c*, vel, ſi uterus ipſe, ſcirrho ſimilis, induratus eſt, & tumidus, atque ſic ponderoſior, delabitur *d*. Nec hoc malum ſemper tolli poteſt; ubi enim vetuſtas acceſſit, parum ſpei ſupereſt, & ubi in utero ſcirrhus, vel carcinoma eſt, omnia curationibus irritantur. Si relaxata ſunt ligamenta, vitium recenti re tolli poteſt. Reſupina collocanda eſt mulier, & id, quod devolutum eſt, ſuſpenſa manu recondendum. Admoveri poſſunt fomenta ex reprimentibus, etiam ſuffimenta. Hæc vero medicamenta, ſi iis nimis valenter retenta fuerit materia, nocere poſſunt: quare præſtat, peſſis uti, quæ naturalibus condita, uterum, ne rurſus delabi poſſit, prohibent. Fiunt autem ex ſubere, & cera obducuntur. Ut menſtruis, aliiſque humidis, in pudenda confluentibus exitus detur, peſſos perforatos eſſe, convenit, qui etiam magnitudini naturalium aptari debent *e*. Præ ceteris omnibus quies neceſſaria eſt, & ut femina reſupina cubet. Interdum, ſi vitium recens fuit, & femina junior eſt, his peſſis per tempus admotis uterus in ſedem ſuam revertit, & in ea manet. Aliis autem peſſi auxilium per omnem vitam neceſſarium eſt.

c Vid. RUYSH *cit. loc. Obſ.* IX. *fig.* II.

d c. l. Obſ. VII. *fig.* 8. & H. VAN SANDEN *Diſſert. de Prolapſu uteri*, *Regiom.* MDCCXII.

e Peſſos delineatos vide in HEISTERI *Inſt. Tab.* XXXIV. Alius modus deſcribitur a THOMA SIMSON *in the Medical Eſſays Vol.* III. *Obſ.* XVIII. *p.* 311.

§. 1447.

Frequentiſſimum vero inter hæc vitium eſt, ſi pudendi, vel ſic dictæ vaginæ, tunica relaxata procidit, cujus rei varius modus atque varia figura eſt. Interdum ora circum circa reſoluta devolvitur, &, botuli quaſi in modum, ex verendis dependet. Nonnumquam in uno latere id, quod relaxatum eſt, in tumorem excreſcit ingentem, & qui verum atque ingens ſarcoma repræſentat. Id, quod deſcendit non raro inflammationem accipit, quandoque etiam, illud, quoniam veſtimentis affricatur, exaſperatur, induraturque. Malum plerumque naſcitur, ſi a frequenti laborioſoque partu, vel a nimio humorum profluvio, etiam ab admotis extrinſecus emollientibus, tunicæ relaxatæ ſunt.

§. 1448.

Vitio, ſi recens eſt, mederi poteſt Chirurgus, ſi id, quod devolutum eſt, recondit, & fomenta & ſuffitus, quibus reprimendi facultas eſt, admovet. Oportet vero, feminam quietem ſervare, & ſupinam, compreſſis adſtrictiſque femoribus, jacere. Id, quod ſupra de medicamentis, quæ menſtrua ſupprimere poſſunt, dictum fuit, etiam heic ſedulo tenendum eſt; quare confert, illo tempore, quo provenire ſolent, ab omni medicamentorum genere abſtinere. Si inflammatio ſe oſtendit, fomenta adhibenda ſunt, adverſus eam idonea. Ubi autem in illis pudendi tunicis magna imbecillitas eſt, perfecta curatio ſperari nequit; quare, admota faſcia id, quod deſcendit, involvendum eſt, ne injuriis externis exaſperetur. Si autem hoc in magnum tumorem excrevit, & hic ad radicem tenuior eſt, ſcalpello præcidi, vel, id quod magis tutum eſt, vinciendo tolli poteſt *a*.

a Vide figuram in MECKEREN *Obſerv. Cap.* 54. Ante plures annos magnus ejuſmodi tumor, ex naturalibus propendens, ligatura prius injecta, poſt, ſcalpello etiam adhibito, ablatus fuit, & mulier convaluit.

INDEX

Inſtitutionum Chirurgiæ . Numerus §. indicat , litteræ *a b* &c. vero notas .

A

Abdominis vulnera caute explorandа 661. ſeq. quæ intus penetrant 672. quibus internæ partes læſæ ſunt 656. ſeq. & 662. eorum curatio varia 681. ſeq. & 701. ſeq. nova ſectione quomodo amplianda 690. eorum futura vel γαστροραφιὰ 660. 703. eorum poſt hanc curatio 706. ex iis ſæpe hernia ventris relinquitur 660. 791. 822. linea alba læſa , quæ inde oriatur pericula 658. ſeq.

Abſceſſus differt a phlegmone 73. non facile 96. interdum tamen crudus incidendus 96. 994. aperitur adurentibus 97. ſcalpello 98. Abſceſſus aperti curatio 99. ſeq. raro ſolvitur per urinam 88. vid. *Pus* & *Suppuratio* .

Achlys . 311. *a*

Aduſta , eorum diverſitas ratione cauſarum & ſedis 215. ſeq. curatio varia . 222. ſeq.

Aegilops , nominis etymon 315. *a* vid. *Fiſtula lacrymalis* .

Amauroſis . 1310. 1323. ſeq.

Amputatio quando inſtituenda 229. ſeq. veterum methodus 231. ejus apparatus 237. ſeq. digitorum 232. ſeq. manus 236. brachii 240. ſeq. membrorum truncatorum curatio 246. ſeq. amputatio humeri 249. humeri ex articulo 251. cruris 248. Verduini & Sabourini methodus 252. femoris. 250

Anaſarca 734. ejus curatio. 738

Anchilops . 970

Ancyloblepharum . 331. ſeq.

Ancyloſis . 1215. ſeq.

Aneuryſma , ejus differentia 420. veri deſcriptio ibid. notæ 422. ſeq. cauſæ 425. ſeq. exitus 430. curatio varia 432. ſeq. & 444. ſpurii deſcriptio 421. notæ 424. cauſæ 429. exitus 431. curatio 437. ſeq. cur gleba ex vitriolo vulneratæ arteriæ non objicienda ? 445. poſt aneuryſmatis curationem relicta membri debilitas qua ratione tollenda ? 446

Angina . 138

Ani muſculi & vaſa 990. circa illum abſceſſus , ulcera , fiſtulæ ; harum noxarum cauſæ 991. ſeq. futuri abſceſſus ſigna 993. ejus curatio 994. ſeq. fiſtularum tria genera 998. ſeq. illæ quomodo explorandæ 1002. illarum prognoſis 1003. curatio 1004. Ani procidentia 1023. ſeq. Anus præcluſus . 1027. ſeq.

Anthrax vid. *Carbunculus* .

Aphthæ . 924

Ἄνθεχμα vid. *Calvaria* .

Ἀποστεωματισμός vid. *Calvaria* .

Argemon . 311

Arteria , ejus vulneratæ majoris pericula 353. ſigna & curatio 447. inciſæ aliqua parte quæ ſuperveniunt 354. quomodo vincienda 242. ſeq. ad cruralem arteriam comprimendam machina 244. *a* arteriæ intercoſtalis præciſæ ſigna 629. curatio 644. quomodo hæc comprimenda . 1264

Arteriotome . 1295. ſeqq.

Articulorum varia genera 1093. axungia 1100. ſeqq. eorum vulneribus , quæ accidant ? 357. 486. ſeq.

Aſcitis 734. ejus cauſæ & curatio . 756. ſeqq.

Atheroma . 760.

Atretæ . 1443

Aurium vulnera . 597

B

Bothrion . 311. *a*

Brachii amputatio vid. *Amputatio* . fractura . 1269. ſeq.

Bronchotomia 614. ſeq. aquis ſubmerſis & præfocatis an adhibenda ? 619

Bubo , ejus & bubonoceles ſigna 123. venereus 124. ſeq. peſtilens 127. ex

lymphæ redundantia vulgo *Bachsbeulen*. 128
Bubonocele. vid. *Hernia*.

C

Cæcitas ex vulneribus ſuperciliorum. 1328.
Calculi ſub lingua 609. renum an educi poſſint 1357. Nephrotomiæ hiſtoria 1357. *b* calculorum veſicæ cauſæ 1359. notæ 1360. illi ſectione eximendi 1357. Lithotomiæ hiſtoria 1357. *a* ea eſt periculoſa 1358. 1361. ad eam æger quomodo præparandus 1362. diverſa ratione debet fieri in variis ægris 1363. & 1398. ejus quæ magno apparatu fit methodus 1364. ſeq. ſectio lateralis ſecundum Ravium 1376. ſeq. Cheſeldenum 1378. ſeqq. Fulbertum 1381. ſeq. le Dran 1386. Sectio Celſica, vel cum parvo apparatu 1388. ſeq. Sectio quæ fit alto apparatu, vel hypogaſtrica 1391. ſeq. Calculorum in urinæ itinere inhæreſcentium curatio 1399. ſeqq. Calculo feminæ rarius laborant 1406. in his extrahitur ſæpe ſine ſectione 1407. is quomodo ſectione tollendus. 1409. ſeq.
Callus in fiſtula quid ſit, & quomodo tolli poſſit. 944. 950. ſeq. 956
Calvariæ perioſtio ſuo nudatæ quæ applicanda auxilia? 525. ſeq. ea percuſſa tribus modis violatur 528. hujus læſionis varia genera: ἕδρα, ἐκκοπή, διακοπή, ἀποσκεπαρνισμός 529. Calvariæ depreſſio, θλάσις 530. ejus curatio 557. ἔσφλασις vel ἔνθλασις 530. 558. ſeq. ἐκπίεσμα 530. ἐγγίσωμα & κλασμάτωσις 530. Calvariæ fiſſuræ ſeu ῥάγμα 531. ῥωγμὴ ibid. τριχισμὸς 531. 549. ἐκτόμα, contrafiſſura vel reſonitus 531. *c* hujus varii modi 532. non facile curatur 549. ſub calvaria humor extra vaſa miſſus, quæ habeat pericula 536. hic quomodo educendus 562. ſeq. Calvariæ modiolo exciſæ curatio 574. ejus futuræ percuſſæ periculum adferunt 546. fracta vel fiſſa calvaria non ſemper modiolum requirit 553. Calvaria extrinſecus, & ad diploen, percuſſa modiolo excidenda. 554
Camaroſis vid. *Calvaria*.
Cancer, ejus hiſtoria 265. cancer mammarum & ejus curatio 270. labrorum 271. cancri curatio palliativa. 272. ſeq.
Caput obſtipum 1125. capitis contuſio ſine vulnere 522. ſeq. ad capitis vulnera quæ referantur? 510. ſeq. quæ periculoſa? 542. ſeq. ab initio leviora, aliquando mortifera fiunt 513. eorum prognoſis incerta 514. capitis externæ partes ſæpe non ſine periculo læduntur 515. vulneris ſimplicis in capite curatio 516. ſeq. vulneris colliſi curatio 519. illi ſæpe ſupervenit Emphyſema 520. & inflammatio & eryſipelas 521. capitis cum cervice articulus 1121. ſi hic excidit, quæ ſequantur? 1124
Carbunculus. 107. ſeq.
Caries oſſium 1033. ejus ſigna 1041. & 1047. ſeq. cauſæ 524. & 1041. & 1050 prognoſis 1051. ſeq. curatio. 1053. ſeq.
Caruncula in urethra. 1336
Cataracta vid. *ſuffuſio*.
Catheteres, eorum varia genera 1339. ſeq. eos demittendi in veſicam ratio. 1342. ſeq.
Cauteria 927. eorum uſus. 936
Cerebri commotio 512. *a* fungus 572. ſeq. ulcus. 571
Cervicis vulnera. 610
Chalazion. 771
Chemoſis. 276
Chirurgia 1. ejus uſus, 2. diviſio in medicam & manualem 3. ſeq., ejus cum medicina nexus 6., quomodo diſcenda 8., ejus ſcriptores optimi. 28
Chirurgus qualis eſſe debeat 11., ejus ſuppellex. 12. ſeq.
Cicatrix 352. quomodo inducenda 397. eam deformem quæ faciunt 398. quomodo hæc poſſit averti. 399
Cirſocele vid. *Hernia*.
Clavus. 891. ſeq.
Coccyx, ejus cum oſſe ſacro commiſſura & hujus emotio. 1152. ſeq.
Collum, ejus vulnera. 611. ſeq.
Collyria aquoſa ſæpe nocent. 313. *a*
Condylomata in inteſtino recto. 1020. ſeq.
Contrafiſſura vid. *Calvaria*.
Cornea humore turgida & opaca 316. ejus cicatrices 317, harum recentium cu-

ratio 318. craſſæ & ſplendentes num tolli queant 319. Ulcera. vid. *Ulcus*.
Cortex peruvianus laudatur ad gangrænam ex imbecillitate ortam. 205
Coſtæ, harum cum vertebris articuli 1134. ſeq. luxantur 1150. earum repoſitio 1151. fractura 627. & 1261 ſeq.
Crotaphites muſculus, ejus læſio. 545
Crus ejus amputatio. vid. *Amputatio*, ejus fractura 1276. crurum ulcera. 913
Cubitus, ejus articulus cum humero & radio 1178. ſeq. luxatur 1180. reponitur 1181. & 1183. faſcia huic articulo luxato idonea 1184. cubiti fractura. 1270
Cyſtocele vid. *Hernia*.

D

Dentes, eorum hiſtoria 1075. ſeq. Dentitionis dolores quomodo mitigandi 1078. ſeq. Dentes quæ lædunt 1080. ſeq. quæ eos tuentur 1082. dentium dolor 1083. caries 1084. evulſio. 1085. ſeq.
Diacope vid. *Calvaria*.
Diaphragmatis vulnerati ſymptomata 663. pericula. 673
Dolor 48. acutus a læſo nervo 449. ſeq. Dentium vid. *Dentes*; gravis in vulneribus periculum ſignificat 451. ejus cauſæ 448. adverſus eum auxilia. 452. ſeq.
Ductus ſalivalis Stenonis vulneratus & ejus curatio. 595 ſeq.
Dura mater quando incidenda? 568 ſeq. patefactæ alienatæque curatio. 570

E

Ecchymoſis 713. ejus curatio. 724 ſeq.
Eccope vid. *Calvaria*.
Ecpieſma vid. *Calvaria*.
Ectropium. 583 ſeq.
Emollientia ſunt duplicis generis. 91
Emphyſema capitis vulneri 520. pectoris vulneri ſuperveniens 622. *c* ejus curatio. 645
Emplaſtra. 23
Empyema. 311 *a*
Engiſoma vid. *Calvaria*.
Enterocele vid. *Hernia*.
Enteroraphe. 694 ſeq.
Enthlaſis vid. *Calvaria*.
Epicauma. 311 *a*
Epiplocele vid. *Hernia*.
Epulis. 1090
Eryſipelas 156. ejus notæ 157. differt a phlegmone 73. & ab herpete 920. illius cauſæ 157. & 159. ſeq. tria genera 158. ſedes 157. & 160. prognoſis & curatio per remedia interna 162. & externa 163. ſeq. & quæ fugienda 167. poſt illud remanens tumor durus atque ulcus quomodo tractandum 168. illud aliquando capitis vulneri ſupervenit. 521
Eſphlaſis vid. *Calvaria*.
Exfoliatio. 1036
Exomphalos vid. *Hernia*.
Exoſtoſis 1033. benignæ cauſæ 1042. ſeq. malignæ cauſæ, indicia & curatio. 1044 ſeq.

F

Faciei vulnera. 577
Faſciæ. 14 ſeq.
Faucium ardor, ejus curatio 137. inflammatio, ejus curatio. 138
Febris vulneraria vel ſymptomatica. 49 ſeq.
Femur, ejus cum coxa articulus 1192. cum crure & patella 1203. ſeq. ejus fractura 1272. raro luxatur, ſæpius frangitur 1193. qua occaſione illud luxetur? 1194. ſeq. ſigna, illud luxatum eſſe vel fractum 1196. ſeq. quibus modis illud laxari poſſit 1198. ſeq. luxati femoris ſymptomata 1200. ne ex articulo excidat interdum poteſt averti 1202. reponitur 1201. femoris amputatio vid. *Amputatio*.
Fibulæ cum tibia & talo commiſſura 1207. illa luxatur 1208. frangitur. 1276.
Fiſtula 943. fiſtularum ſedes & varia genera 945. eas explorandi ratio & illarum ſigna 946. ſeq. cauſæ, prognoſis, curatio, 948. ſeq. Ani fiſtula vid. *Anus*. Lacrymalis fiſtula, vid. *Lacrymæ*.
Fonticulus 927. varii eum excitandi modi 929. ſeq. quænam ſedes fonticulo opportunæ ſint 928. in ſummo capite 931. in nucha 932. in brachio,

femore, crure 933. eum conſervandi ratio 934. ejus uſus. 935
Fracta, eorum cauſæ 1220. ſeq. ſigna 1223. ſeq. prognoſis 1226. ſeq. ad horum curationem quarum rerum cognitio neceſſaria 1222. ipſa curatio 1228. ſeq. aliquando luxatum os etiam fractum eſt 1120. ſingulorum oſſium fracturas vide ſuo loco.
Frigus, ejus effectus in corpus 207. eo rigentium membrorum curatio. 208. ſeq.
Fungus cerebri vid. *Cerebrum*.
Furunculus. 102 ſeq.

G

Ganglion. 773. ſeq.
Gangræna 169. ejus ſedes frequentiſſima 56. & 170. cauſæ 55. varia diſcrimina ratione cauſarum, quæ etiam variæ ſunt 178. ſeq. ſigna 171. ſeq. prognoſis 189. curatio varia & cautelæ in ea obſervandæ. 191. ſeq.
Gaſtroraphia vid. *Abdominis vulnera*.
Gemellorum partus. 1424
Genitalium ulcera venerea. 918. ſeq.
Gibber, ejus varia genera 1143. cauſæ 1144. curatio. 1147
Glandulæ, earum tumoribus non ſunt imponenda reprimentia, ſed emollientia 113. Vulneribus quæ ſuperveniant? 356. glandulæ lacrymalis induratæ curatio 303. glandularum Meibomii exulceratarum cura. 307
Glaucoma. 1310. ſeq.
Gonorrhœa ſuppreſſa, interdum revocanda 124. ex ea repente cohibita ophthalmia venerea. 283. *a*
Gravidarum regimen. 1416
Graviditatis notæ. 1414. ſeq.

H

Hæmatocele vid. *Hernia*.
Hæmorrhagia vid. *Sanguinis profuſio*.
Hæmorrhoides cæcæ earumque cauſæ & curatio 1016. earum fluxus nimius. 1015
Hedra vid. *Calvaria*.
Hepatis vulnerati ſymptomata 666. prognoſis. 676
Hernia vera, ejus deſcriptio 796. 789. a bubone differt 123. ejus varia genera 790. ſeq. in ea peritonæum raro rumpitur, ſed tantum diducitur 795. ἐξομφαλος vel ομφαλοκήλη 790. 802. ſeq. Hernia ventralis 791. 822. ſeq. βυβωνοκήλη 792. 825. ſeq. ὀχεοκήλη hernia ſcrotalis 792. 843. ſeq. ἐντεροκήλη, ἐπίπλοκήλη 792. μηροκήλη hernia femoralis vel cruralis 793. 849. ſeq. κυστοκήλη hernia veſicæ 794. 851. Herniæ ſpuriæ 853. ὑδρομφαλος 797. 853. σαρκομφαλος 797. 854. πνευματομφαλος 797. ὑδροκήλη 798. 862. ſeq. σαρκοκήλη 799. 855. ſeq. κιρσοκήλη 800. 876. ſeq.
Herpes 166. ejus varia genera & ab eryſipelate differentia 920. curatio. 921. ſeq.
Hirudines. 1018
Humerus, ejus amputatio vid. *Amputatio*: ejus articulus cum ſcapula 1163. cum radio & cubito 1178. ſeq. luxatur 1164. ſeq. reponitur varia ratione 1166. ſeq. fractura. 1268
Hydrocele vid. *Hernia*.
Hydrocephalum 734. ejus duo genera 745. ſigna 746. ſeq. cauſæ 749. curatio. 750. ſeq.
Hydromphalos vid. *Hernia*.
Hydrophobia. 501. ſeq.
Hydrophthalmia 734. ejus cauſa & curatio. 755
Hydrops ſcroti, ejus differentia ab hydrocele 864. & 734. curatio. 874. ſeq.
Hyperoſtoſis. 1033
Hypopion. 320. *a*
Hypopyon 320. *a* ejus ſigna, cauſæ & curatio. 321. ſeq.

I

Inflammatio 29. ſeq. ejus notitia neceſſaria 38. vera & ſpuria 33. ſedes 34. ſeq. cauſæ 35. 37. ſeq. notæ 48. prognoſis 60. exitus varius 52. curatio 53. 61. ſeq. illius diligentior obſervatio in vulneribus neceſſaria. 391
Inſtrumentorum chirurgicorum apparatus neceſſarius. 12. ſeq.
Inteſtina, horum vulnera 665. periculoſa 674. ſuuntur 694. ſeq. eorum vulneratorum curatio 699. per ab-

dominis vulnus prolapſa reponenda ſunt 687. ſeq. inteſtini recti vaſa & muſculi. 990
Jugulum, ejus cum ſcapula & ſterno articulus 1155. excidit 1156. ſeq. reponitur 1158. ſeq. fractura. 1256. ſeq.

L

Labrorum vulnera 598. labrum leporium. 599. ſeq.
Lac reprimentia. 115
Lacrymalis glandulæ induratæ curatio 303. lacrymarum viæ ex oculo ad nares 959. ſæpius anguſtantur occludunturque 960. & inflammatione intumeſcunt 961. idque a variis cauſis accidit 962. ejus rei notæ 963. ſeq. recentis & ſimplicis obſtructionis curatio 965. ſeq. lacrymalis ſacci tumor, hernia, hydrops 970. ſeq. caruncula repleti curatio 973. ulceris exploratio 974. fiſtulæ veræ lacrymalis curatio 975. ſeq. lacrymalia puncta præcluſa. 988
Lagophthalmus. 581. ſeq.
Leucoma. 319
Leucophlegmatia. 734
Linamenta carpta. 19
Lingua, ejus calculi 609. reſolutio 608. ulcera 916. vulnera. 607
Linteola varie figurata. 22
Lippitudo 275. vid. *Ophthalmia*.
Lithotomia vid. *Calculus*.
Luxata & quæ ad eorum cognitionem neceſſaria 1091. ſeq. & 1102. in pueris rariora 1103. luxatorum diſcrimina varia 1104. cauſæ 1105. ſigna 1106. ſeq. quæ ex iis oriuntur pericula 1110. eorum repoſitio 1111. ſeq. reliqua curatio 1115. ſeq. ſingulos articulos luxatos vid. ſuis locis.

M

Malarum vulnera. 595
Mamma, ejus extirpatio 270. inflammatio 114. & 117. quomodo hæc avertenda 115. quæ in ea fugienda 116. curatio. 117. ſeq.
Manus luxatur. 1187. ſeq.
Maxilla inferior, ejus articulus 1126. excidit 1127. ſeq. Maxillæ fractura. 1252. ſeq.
Medici in caſibus chirurgicis officium. 7
Medulla oſſium varia. 1032
Melicera Celſi. 357. & 487.
Meliceris tumor. 760. ſeq.
Meſenterii vulnus. 668. & 677
Merocele vid. *Hernia*.
Moxa. 937
Mydriaſis. 1310. & 1323

N

Nares, earum polypus, vid. *Polypus*, ſcarifatio 1300. vulnera 593. curtarum narium curatio 594. oſſium naſi fractura. 1248. ſeq.
Natura, quid per eam intelligat auctor. 32. *a*
Nephelion. 311. *a*
Nephrotomia vid. *Calculus*.
Nervorum diſtentio vulneribus ſuperveniens. 355. & 456

O

Obſtructio, ejus cauſæ 37. ſeq. cur ea data augeantur motus vitales, & excitetur febris? 32. eſt inflammationis cauſa. 35
Occipitis vulnera periculoſa. 548
Oculi variis humidis lubricantur 958. igne læſi quomodo curandi? 228. tunicæ externæ 275. *a* cuſtodiuntur in variolis, ſi palpebræ inter ſe glutinatæ ſunt 285. *a* oculorum vulnera 587. phlebotomia 299. in illos quomodo unguenta conjicienda. 313. *a*
Oedema 728. ſeq. præputii. 882
Omentum, illud vinciendi ratio 685. ex vulnere prolapſi corruptique curatio. 684. ſeq.
Onyx. 320
Ophthalmia 275. ſeq. ejus cauſæ 284. ſeq. in ea nocent quæ refrigerant, reprimunt, & ſpirituoſa 286. ejus prognoſis 287. ſeq. in illa quæ obſervanda 290. ſingulorum ejus generum curatio 291. ſeq. acutæ & longæ diſcrimen 282. arida vid. *Xyrophthalmia*. epidemica 283. humida 277. hujus curatio 295. ſeq. periodica & ſcorbutica 283. venerea ibid. ejus curatio. 308
Oſcheocele vid. *Hernia*.

Oſſa, eorum articuli & commiſſuræ 1093. ſeq. cartilagines 1099. ligamenta 1097. ſeq. medulla 1032. membrana ſeu perioſtium externum 1030. internum 1031. eorum ſtructura 1029. morbi 1033. ſeq. morborum horum comparatio cum quibuſdam morbis molliorum partium 1035. ſeq. ſuper illis naſcuntur ſæpe varia tumorum genera 1037. horum curatio 1038. ſeq. Fracturæ vid. *Fractæ*, Luxata, vid. *Luxata*.

P

Pædarthrocace 1033. ejus cauſæ 1066. 1072. ejus hiſtoria 1067. curatio. 1074
Palati ulcera. 917
Palpebræ ſuperioris caſus 578. ſeq. ſutura 586. ſcarifatio vid. *Scarifatio*.
Panaritium vid. *Paronychia*.
Panni ex linteo. 24
Panniculus in oculo. 325 ſeq.
Paracenteſis abdominis 756. ſeq. veſicæ vid. *Veſica*.
Paraphimoſis. 883 ſeq.
Paralampſis. 319
Paronychia vel *Panaritium* 141. ſeq. quatuor ejus genera & horum curatio. 144. ſeq.
Parotidum tumor & inflammatio. 119. ſeq.
Parturientium ſitus. 1418
Partus, ejus, ſi inſtat, indicia 1417. ejus hiſtoria 1418. ſeq. poſt eum feminæ venter faſcia vinciendus 1423. difficilis ſi ab obliquo uteri ſitu 1436. ſeq. gemellorum 1424. qui obverſis clunibus utero emergit 1434. transverſus vivus quomodo extrahendus 1433. cur per naturales vias aliquando excludi nequeat 1420. mortui indicia 1426. hic quomodo extrahendus 1427. ſeq. poſt partum pudendis vexatis & perinæo rupto quomodo ſuccurrendum. 1442
Parulis. 1088 ſeq.
Patella, ejus cum femore & tibia nexus 1204. luxatur 1205. ſeq. ſæpius frangitur. 1273
Pectoris vulnera, eorum exploratio 621. ſeq. externorum curatio 623. ſeq. his inhærens plumbea glans quomodo extrahenda 646. eorum quæ in cavum penetrant indicia 628. ſeq. prognoſis 635. curatio. 636 ſeq.
Pes inferior, ejus articulus cum talo 1209. luxatur. 1211 ſeq.
Penicilli. 21
Perinæi abſceſſus 1350. ſectio 1351. ſeq. ulcera 1353. fiſtula 1356. ruptura in partu difficili. 1442
Perioſtium externum 1030. internum 1031. quibus efficitur ut illud renaſcatur. 525 ſeq.
Perizomata. 808. 834
Perniones. 209 ſeq.
Phimoſis. 878 ſeq.
Phlaſis vid. *Calvaria*.
Phlegmone 72. differt ab eryſipelate & abſceſſu 73. ejus cauſæ 74. pericula 75. curatio 76. ſeq. phlegmone oculi 281. hujus curatio. 305
Phlyctenæ. 310
Pilæ ſeu *glomi*. 21
Pladarotis. 772
Pollex, ejus articulus cum oſſe trapezio luxatur. 1191
Polypus narium. 777 ſeq.
Proptoſis. 281
Pſorophthalmia 280. ejus curatio. 304
Pterygium. 320. *a* & 324. ſeq.
Pulmonis vulnerati ſigna 628. ſeq. 632. 634. curatio. 642 ſeq.
Pulvillorum varia genera. 19 ſeq.
Pus 54. quæ movent medicamenta 385. ſeq. ejus in vulnere differentia 348. 351. mutatur ab aſſumtis 100. *a* vid. *Abſceſſus*, *Suppuratio*.
Putredinis ratio, & quæ eam in noſtro corpore faciunt. 169 *b*

R

Rabiei animantium cauſæ. 502
Radii articulus cum humero 1178. cum cubito 1179. cum carpo 1186. fractura. 1270
Renum calculus vid. *Calculus*, vulnera. 667. 679
Reprimentium noxa 77. inprimis in glandularum inflammatione. 113
Reſolutio inflammationis. 53
Reſonitus vid. *Calvaria*.
Rhachitis. 1068 ſeq.
Rima vid. *Calvaria*.
Rhyas. 329

S

Sanguis; cauſæ quibus is per vaſa propellitur 31. ejus profuſio ubi toleranda, ubi ſupprimenda? 404. ſiſtitur variis modis 238. *d* 242. ſeq. 405. ſeq. ubi timetur, quale regimen ſervandum, & quæ remedia adhibenda? 418. poſt eam quomodo vires reficiendæ? 419. ex utero ante partum 1439. ſanguinis extra vaſa miſſi & in pectore hærentis concretique ſigna 631. quando ac quomodo hic evocari queat. 636 ſeq.
Sarcocele vid. *Hernia*.
Sarcomphalos vid. *Hernia*.
Scapula, ejus articulus cum humero 1163. & jugulo 1155. ejus fractura. 1258. ſeq.
Scarifatio cutis 1298. ſeq. malleolorum 1301. narium 1300. palpebrarum. 298
Scirrhus 58. 254. ejus ſedes 254. cauſæ 59. 255. ſeq. prognoſis 259. ſeq. ſcirrhi duo genera 262. benigni curatio 267. ſeq. malignus oritur ſæpe ex benigno 263. maligni notæ 264. exſtirpatio. 269
Sclerophthalmia 279 ejus curatio. 302
Scorpionis virus. 491
Scroti hernia vid. *Hernia*, hydrops vid. *Hydrops*. ejus inflammatio. 134
Sectio cæſarea. 1440 ſeq.
Secundarum extractio 1420. de ea controverſia. 1421 ſeq.
Sedes vid. *Calvaria*.
Setaceum 940. ſeq. laudatur ad ophthalmiam chronicam. 306
Siphones. 25
Sphacelus 57. 169. ejus ſigna 175. ſeq. pericula 190. curatio 214. conf. *Gangræna*.
Spina bifida 748. ventoſa vid. *Pædarthrocace*.
Staphyloma. 588 ſeq.
Steatoma. 760 ſeq.
Sterni fractura 1267. trepanatio. 655
Stomachi vulnera. 620
Strabiſmus. 1329
Suffuſio 1302. hujus hiſtoria & de vera ejus ſede controverſia ibid. *a* ejus indicia 1303. varia genera 1305. ſeq. 1309. 1322. cauſæ 1307. ſeq. prognoſis 1311. curatio per victum & medicamenta 1312. chirurgia. 1313. ſeq.
Suppuratio 54. eam quæ juvant & faciunt 89. ſeq. futuræ notæ 84. præſentis indicia 85. ſeq. ex ea noxæ 87. ſæpe cohibetur in vulnerum curatione, & unde 392. hujus rei ſigna, eventus &c. 393 ſeq.
Synovia vid. *Melicera*.

T

Taraxis 276. ejus curatio. 291
Temporum vulnera periculoſa. 544
Tendo, ejus præciſi ſutura 457. ſeq. & quæ eam ſequitur reliqua curatio 460. leviter vulnerati ſymptomata & adverſus hæc auxilia 462. Tendinis Achillis rupti, ſuti, curatique exempla. 461
Teſticulorum inflammatio. 129 ſeq.
Thlaſis vid. *Calvaria*.
Tibiæ articulus cum femore & patella 1203. ſeq. cum fibula 1207. & talo 1209. luxatur 1205. ſeq. Tibiæ fractura. 1276
Tonſillæ, earum inflammatio 135. ſeq. ſuppuratio 139. exulceratio. 915
Torcular. 237. 240
Trepanatio ubi inſtituenda 565. ad eam inſtrumentorum apparatus 563. ſeq. eam perficiendi ratio 566. ſeq. ſterni. 655
Tumor cryſtallinus 882. Tumores cyſtici, qui ſua tunica includuntur. 759. ſeq.
Turundæ 20. nocent in pectoris vulneribus. 640 *a*

V

Vari. 105 ſeq.
Venæ ſectio aliquando periculum adfert 1277. inſtrumenta quibus perficitur 1278. ſeq. quomodo inſtituenda 1281. ſeq. triplicem in finem celebratur 1283. ſeq. in variis corporis ſedibus fit. 1287 ſeq.
Ventriculi vulnera 664. quæ periculoſa 674. eorum ſanatorum exempla 674. curandi ratio. 700
Verruca. 887 ſeq.
Vertebræ primæ colli cum occipite ar-

ticulus 1121. hujus cum ſecunda vertebra commiſſura 1122. ſeq. vertebrarum omnium cervicis, dorſi & lumborum articuli 1132. & ligamenta 1133. Vertebræ luxantur 1136. hujus rei indicia 1138. Vertebras emotas reponendi modus a veteribus traditus 1139. vera curatio 1140. ligamentorum nimis diſtentorum cauſæ 1141. & curatio 1142. vertebrarum fractura. 1265. ſeq.

Veſica, ejus calculus, vid. *Calculus*, hernia vid. *Hernia*. paracenteſis 1346. ſeq. vulnus 670. hoc non ſemper lethale. 680

Veſicatoria. 938. ſeq.

Vexata. 707. ſeq.

Viperæ venenum 490. morſus, hujus ſymptomata & curatio. 493. ſeq.

Ulcus 893. differt a vulnere 337. ejus ſedes 894. cauſæ 895. ſeq. genera varia 897. varius ex iis effertur humor 898. notæ 899. prognoſis 900. curatio varia 901. ſeq. ulcus cerebri vid. *Cerebrum*. ulcerum corneæ varia genera 311. eorum cauſæ 309. ſeq. & curatio 313. ſeq. Ulcerum venereorum in genitalibus curatio 918. ſeq. eorum quæ arte fiunt hiſtoria. 927. ſeq.

Umbilicus in partu ligandus 1420. ſi ex utero propendet quid faciendum 1435. Umbilici hernia vid. *Hernia*.

Unguis vid. *Onyx*.

Volvulus. 815

Urinæ reddendæ difficultas 1330. hujus curatio. 1331. ſeq.

Uterus, ejus procidentia 1445. ſeq. ejus vaginæ procidentia 1447. ſeq. Uterus oblique ſitus, partus difficilis cauſa 1436. ſeq. uteri vulnus 669. periculoſum 678. vid. *Sectio Cæſarea*.

Vuæ inflammatio. 135. ſeq.

Vulnus 335. differt ab ulcere 336. ejus ſedes, cauſæ, ſigna 337. ſeq. vulnerum varia genera 341. vulnera partium internarum ex quibus ſignis cognoſcenda 361. vulnerum lethalitas 362. ſeq. vulnera explorandi ratio 358. ſeq. ad eorum curationem quæ chirurgus confert 372. vulnus debet ab inhærentibus purgari 373. & quomodo? 373. vulneris purgati ſigna 396. vulnus carnibus implendum 396. eique cicatrix inducenda 397. in omni vulnere fere neceſſaria febris & inflammatio 349. ſeq. in ejus curatione victus & medicamentorum ore ſumendorum ratio 400. ſeq. etiam aeris & animi pathematum veneriſque ratio habenda 403. vulnera aliquando ſui debent 377. & quomodo 378. ſeq. contineri multum poſſunt impoſito emplaſtro glutinante 381. Vulneris ſimplicis recentis hiſtoria 346. ſeq. curatio 376. 382. 384. vulnus colliſum 710. moto pure purgandum 375. ejus curatio 385. ſeq. raro, ſed aliquando hoc ſui oportet 383. Vulnera ſclopeto illata 462. ſeq. Vulnera quæ virus habent, periculoſa ſunt 489. quæ venenatorum & rabidorum animalium morſu inferuntur, aliquando ſine noxa ſunt 495. eorum prognoſis 494. curatio 496. ſeq. 506. ſingularum partium vulnera. vid. ſuis locis.

X

Xyrophthalmia 278. ejus curatio. 301

Z

Zona vid. *Herpes*.

Zoſter vid. *Herpes*.

JOANNIS ZACHARIÆ PLATNERI

DISSERTATIO

De Chirurgia artis Medicæ Parente.

CHirurgia eadem cum Philoſophia fata obtinuiſſe videtur, quod utraque a ſuis filiabus temporum ſucceſſu neglecta, & a matris dignitate ad ſervile munus ablegata fuit. Hanc omni enim ſcientiarum & liberalium artium generi ortum pariter & incrementa dediſſe, inter omnes conſtat, quemadmodum & primum in Academia Pariſienſi ex tenebris in lucem revocata & culta fuit: Chirurgia vero, ſi vetuſtiſſima hiſtoriarum monumenta evolvimus, arti medicæ ſua præbuit initia, & inter ceteras, quas medici hodie tractant, diſciplinas, prima omnium inventa, atque ab iis, qui ἰατρῶν nomine vocabantur, vel ſola, vel tamen inprimis exculta fuit. Utraque autem a filiabus, quas quaſi enixa fuerat, contemta, & male habita eſt; ut nunc philoſophia & ordine ſit poſterior, & ancilla reliquarum diſciplinarum vulgo appelletur; chirurgia autem a medicis clinicis nunc deſpiciatur, & miniſtris quandoque minus rerum peritis relinquatur. Ut tamen relicta philoſophia, medicinam ex chirurgia prognatam, eo clarius ob oculos ponam; teſtatur ſane de hujus antiquitate ipſa natura humana, quæ ab initio, ut cum Seneca (*a*) loquar, *firmis adhuc & ſolidis corporibus, & facili cibo non per artem voluptatemque corrupto*, reliquis artis noſtræ partibus, quæ luxu & intemperantia potiſſimum nutriuntur, non tam opus habuit, quam chirurgia, quæ quaſcumque læſiones externas, ex labore, itinere, & reliquis, quæ accidunt hominibus, vix evitandas, ſanare aggreſſa eſt. Quid? quod ira, invidia, rerumque aviditas, vitia, quæ rixis, litibus & bellis occaſionem dederunt, animos hominum longe prius infeciſſe videntur, quam mollities, luxuria & libidinis immoderata cupido. Criticis relinquimus excutiendum, quo jure nonnulli vocabulum ἰατὴρ vel ἰατρὸς ἀπὸ τῦ ἰᾶ, quod

(*a*) Seneca Epiſtol. V.

telum ſignificat, derivant; (*a*) opinionem tamen firmare poſſet liber Hippocratis titulo ἰητρεῖὸν, ſive de *medici officina* inſignis, in quo nihil, niſi quod ad chirurgiam pertinet, conſpicitur, ut ſic ἰατρικὴ origine vocis, magis medendi artem, quæ manibus, quam quæ diæta & remediis pharmaceuticis, perficitur, deſignare videatur. Vetuſtiſſima ætas varios artis medicæ auctores recenſet, qui tamen præter herbas, quas, ut vulneribus mederentur, applicare poterant, nihil fere in reliquis ejuſdem partibus præſtiterunt. Ut taceamus CHIRONEM CENTAURUM, qui, cum ſemetipſum ſagitta Herculis vulneraſſet, herba, quæ ideo ſequenti tempore centaurea & chironia vocata fuit, vulnus curaſſe dicitur, (*b*) quemadmodum & ulcera chironia, quæ alias ancipitis curationis exiſtunt, quod illa peculiari dexteritate primus perſanaverit, ab eo nomen acceperunt. (*c*) Inter reliquos vero, qui medicinæ prima poſuerunt fundamenta, AESCULAPIUS celebratur, qui & eam ob cauſam in numerum Deorum relatus eſt. (*d*) Cicero tres ejuſdem nominis fuiſſe tradit Aeſculapios, quorum primus, Apollinis filius, ſpecillum inveniſſe, atque vulnera obligaſſe; ſecundus a Jove fulmine percuſſus & Cynoſuris humatus; tertius vero dentes evulſiſſe dicitur. (*e*) Patris Aeſculapii veſtigia preſſerunt filii PODALIRIUS & MACHAON, qui in bello Trojano magnam ſibi nominis famam & artis peritia & bellandi gloria comparaverunt, teſtantur id verba Homeri: (*f*)

(*a*) Sextus Empiricus adverſus Mathematicos: Καὶ ὃν τρόπον ἰατρικὴ εὑρηται μὲν τὸ παλαιὸν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως, ἐπικατηγορεῖται καὶ νῦν καὶ τῆς τῶν ἄλλων παθῶν κατασκευῆς, πολλῷ τεχνικωτέρας ὕσης. Equidem Hervetus ἰατρικὴν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως a ſuccis venenoſis eximendis deducit, ſed recte ex Ægidii Menagii Amœnitatibus Juris Civilis cap. 35. Hervetum emendavit Fabricius, ut ἐξαίρεσις ἰῶν per telorum evulſionem interpretanda ſit. Vid. Edit. Genev. adverſus Mathematicos p. 10. & Editionem Lipſienſem Fabricii L. I. cap. 2. p. 225.

(*b*) Vid. Plinii Hiſt. natur. L. XXV. Cap. VI.

(*c*) Vid. Paulus Ægineta Lib. IV. Cap. 46. & Meibomii Comment. in jusjurandum Hippocratis Cap. 16. p. 154. de Chironio ulcere Celſus Lib. V. Cap. 28.

(*d*) Celſus L. I. Præfat.

(*e*) Cicero de natura Deorum L. III. p. 22. confer le Clerc Hiſtoire de la Medicine T. I. L. I. Cap. 14. pag. 41.

(*f*) Homerus Iliad. L. IV. v. 217.

Αὐτὰρ ἐπεὶ ἴδεν ἕλκος, ὀϑ' ἔμπεσε πικρὸς ὀϊστὸς
Αἱμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα, οἰδὼς
Πάσσε, τά οἱ ποτὲ πατρὶ φίλα φρονέων πόρε χείρων.

Quo & PATROCLUS referendus eſt, qui cum Medicus Podalirius eſſet vulneratus, Eurypylum ſanavit. (*a*)

Ἐνϑά μιν ἐκλανύσας, ἐκ μηρῶ τάμνε μαχαίρῃ
Ὀξὺ βέλος περιπευκές. ἀπ' αὐτῶ δ' αἷμα κελαινὸν
Νίζ' ὕδατι λιαρῷ. ἐπὶ δέ ῥίζαν βάλε πικρὴν
Χερσὶ διατρίψας, ὀδυνήφατον, ἣ οἱ ἀπάσας
Ἔσχ' ὀδύνας. τὸ μὲν ἕλκος ἐπέρσετο πάυσατο δ' αἷμα.

Præterea etiam Podalirium primum phlebotomiam exercuiſſe quidam tradiderunt, (*b*) ut ſic liquido pateat, & horum cognitionem in chirurgia maximam partem ſubſtitiſſe. Quæ inſecuta ſunt tempora, Plinio teſte, nocte denſiſſima latuerunt, (*c*) quibus tamen & reliquæ artis medicæ partes in lucem vocari, & a ſucceſſoribus Æſculapii in ſcholis, quas variis in locis inſtituerunt, tradi cœpere: (*d*) hinc etiam titulus medici, ἰατρὸς, a chirurgo, quem ab initio deſignabat, in clinicum tranſiiſſe videtur, ut eodem quilibet medelam corpori humano afferens fuerit inſignitus. Omnes tamen, qui hoc eo tempore tentarunt, empirici fuere, ſola experientia contenti, qui ideo etiam nihil litteris conſignarunt, niſi quod philoſophi, & inter eos maxime PYTHAGORAS, EMPEDOCLES ET DEMOCRITUS rationibus & philoſophia conquiſitis, medicinam illuſtrare aggreſſi fuerint; quo ſucceſſu, nunc non diſpiciamus. (*e*) De iis vero, quæ propius ad chirurgiam ſpectant, uſque ad HIPPOCRA-

(*a*) Ibid. L. XI. v. 843.
(*b*) Vid. le Clerc. l. c. L. I. P. I. Cap. 17. p. 50.
(*c*) Hiſt. Nat. L. XXIX. Cap. I.
(*d*) Celebres fuerunt præ aliis Rhodia, Cnidia & Coa. Vid. le Clerc. loc. cit. T. I. P. I. Cap. II. Galenus de methodo medendi L. I. Cap. I. Edit. Charter. T. X.
(*e*) Vid. Celſ. L. I. Præfat. conf. le Clerc. l. c. L. II.

TEM nihil fere memoriæ proditum eſt . Is autem, qui a majoribus relicta artis monumenta ſedulo collegit, & propria obſervatione auxit , ſummam exinde in gloriam venit , ceteroſque omnes longe ſuperavit . Quod vero chirurgiam intactam haud reliquerit, ſed eam potius vario modo illuſtraverit , non ſolum liber de *Medici officina* ſupra memoratus, ſed & reliqui, qui de capitis vulneribus , fracturis , articulis & aliis chirurgiæ partibus agunt , ſatis teſtari poterunt : (*a*) Sunt autem multæ enchyreſes, quæ apud magnum hunc auctorem occultæ latent, uſu ſatis egregiæ , quas temporum ſequentium injuria obliteravit , vel delicatior & mollior ætas neglexit . (*b*) Ipſe quoque plurimas operationes chirurgicas inſtituiſſe videtur , (*c*) ut merito

(*a*) Libros de articulis & fracturis tribuerunt nonnulli Hippocrati Gnoſidici filio & magni Hippocratis Heraclidæ filii avo , teſte Galeno Comment. in L. I. de ratione victus in morbis acutis Text. 17. Tom. XI. Edit. Chart. p. 15. Inſignem errorem commiſit Bernier , qui ex hoc loco male intellecto Gnoſidicum, præter Hippocratem , de articulis & fracturis ſcripſiſſe allegat. Eſſais de Medecine P. I. C. IV. p. 50.

(*b*) Hippocrates in omnibus fere morbis chronicis multum tribuit cauterio actuali . Vid. le Clerc Hiſt. de la Medecine P. I. L. III. cap. 28. Huc referri poteſt uſtio venarum in dorſo , pro gutta ſerena tollenda , etſi verba iſta multa obſcuritate adhuc laborant . Vid. Librum de Viſu T. II. Edit. Lindenian. (nam in Charteriana libellus , qui a nonnullis etiam ſuſpectus habetur , plane omiſſus eſt .) Noſtra ætate Celeberrimus Ophthalmiater de Woolhouſen , quem honoris cauſa nomino , feliciter in ſcenam reduxit ξύσιν oculi & palpebrarum, in eodem libello ab Hippocrate, ſive quocumque alio auctore commendatam , etſi inſtrumentum & methodum aliquo modo correxerit , & immutaverit . Hippocrates uſus eſt ἀτρήκτῳ juxta verba loc. cit. ὅταν δὲ ξύῃς βλέφαρα ὀφθαλμῶ , ξύειν αἰρίῳ μιλησίῳ ἐλῳ καθαρῷ , περὶ ἀτρήκτου περιειλῶν αὐτὸν , &c. Lindenius aliique ſine dubio Foeſium in Oeconomia Hippocratis pag. 106. ſecuti , vocabulum ἄτρακτον communi ſignificatione per fuſum explicuerunt . Woolhouſius vero primus obſervavit , illud & ſpeciem cardui notare, quæ tali operationi inſerviit . Datur ſpecies Cnici ſilveſtris a Mathiolo Atractylis dicta . Vid. Bauhini πίνακα Theatri Botanici L. X. Sect. II. p. 378. Tabernemont. L. II. p. 1066. ex ea olim mulieres fuſum , ſive colum parabant, vid. Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXI. Cap. XV. & Cap. XXXII. Sic & rectius intelligitur locus de Calculo L. V. Epidemiorum Text. XX. Edit. Chart. T. IX. pag. 340. de ancilla , cui ἑτέρη γυνὴ καθῆσα τὴν χεῖρα ἐξέτιεσε λίθε , ὅσον σπόνδυλον ἀτράκτε τριχῆ ubi τὸ σπόνδυλος ἀτράκτε non fuſi verticillum, uti in omnibus verſionibus legitur, ſed caput cardui ſativi , ſive hujus fructum capitatum denotat . Confer , quod omnium manibus teritur , Scapulæ Lexicon , ſub vocabulo σφόνδυλος .

(*c*) e. g. Fiſtulam ani, quam ligatura curabat, Lib. de fiſtulis, Trepano perforabat cranium , Lib. de Capitis vulneribus . Paracenteſi & ex thorace & abdomine pus & aquam evacuavit . Vid. le Clerc. l. c. L. III. Cap. XXVIII. p. 221. lithotomiam vero interdixit diſcipulis in jurejurando : cauſas vide in Meibomio l. c. ut alia taceamus.

dubitandum, utrum majorem laudem morborum accurata deſcriptione, an chirurgiæ exercitio meruerit. Poſt hujus medicorum principis obitum, reliqui, qui aliquam ex arte celebritatem conſecuti ſunt, ſemper quoque chirurgiæ magis ac magis perficiendæ operam dederunt. Vel unum nunc nominaſſe ſufficiat DIOCLEM CARYSTIUM, a Celſo ſæpius laudatum, qui inſtrumentum pro telo extrahendo, Græcis Διοκλέους γραφίσκον appellatum, (*a*) nec non varia deligationum genera invenit. (*b*) Tandem vero nonnulli chirurgiam a reliquo artis corpore avellentes, hanc ſolam artem profeſſi ſunt: id quod in Ægypto primum factum fuiſſe, Celſus teſtatur. (*c*) Primus etiam qui medicinam Romæ exercuit, ARCHAGATUS nomine, chirurgus fuit, qui ideo & latino ſermone *vulnerarius* vocatus eſt; (*d*) quamvis ſi Plinio, acerbiſſimo alias medicorum obtrectatori, fides habenda eſt, *propter urendi ſecandique ſævitiam nomen mox in carnificem tranſierit*. Hoc vero Romanorum molli elatiorique animo, qui nihil quidquam barbaris acceptum ferre voluerant, tribuendum eſſe, admodum probabile eſt; indicaſſe heic ſatis eſt, & Romæ artem medicam a chirurgia ſuas traxiſſe origines. Quamquam vero, uti ex Celſo patet omnibus, medicina in tres maxime partes fuerit diviſa, in diætèticam, pharmaceuticam, & chirurgicam; (*e*) id quod Herophili & Eraſiſtrati temporibus accidiſſe, nonnulli perhibent (*f*): tamen, ut idem Celſus memorat, (*g*) omnes ejus *partes ita connexæ ſunt, ut ex toto ſeparari non poſſint*. Multa quoque quæ hodie chirurgis relinquuntur, olim ad medicos, proprie ſic dictos, pertinuerunt, qualia ſunt ulcerum, vulnerum, tumorum, fiſtularum, & quæ oculos infeſtant, vitiorum curationes, ut ſic chirurgia ſolis operationibus exercendis fuerit contenta. (*h*) Mittimus nunc hunc

(*a*) Vid. ejus Deſcriptionem in Celſo L. VII. Cap. V.

(*b*) Vide Galen. de faſciis Cap. XV. & XIX. Edit. Chart. De aliis ſcriptoribus antiquis chirurgicis vid. Celſus L. VII. Præfat.

(*c*) Præf. L. VII.

(*d*) Vid. Plinii Hiſt. Nat. L. XXIX. Cap. I. Emplaſtrum ab eo compoſitum deſcribit Celſus L. V. Cap. XIX. confer. Reyes in Campo Elyſio jucundarum quæſtion. Quæſt. I.

(*e*) Celſus Præf. L. I.

(*f*) Ibid. Confer. le Clerc. l. c. P. II. L. I. Cap. IX. p. 45.

(*g*) Præfat. L. V.

(*h*) Celſus chirurgiæ tractationem libro ſeptimo incipit, poſtquam libro quinto & ſexto omnes ſupra dictas ſpecies expoſuit. Galenus omnes hos af-

ipſum ſæpius laudatum CELSUM, nec non GALENUM, qui non minus artem chirurgicam variis modis illuſtraverunt; præ reliquis poſterior multa morborum & læſionum genera, hactenus nondum ſatis diſtincta, clarius expoſuit, & nomine peculiari deſignavit; qui & ipſe operationes chirurgicas exercuiſſe traditur. (*a*) Nec fuſius perſequi placet, quæ Arabes, ad quos, ingruente in Europa barbarie, uti reliquarum diſciplinarum, ſic & medicinæ cognitio tranſiit, ad chirurgiam illuſtrandam contulerunt. (*b*) Breviſſimis potius addere licebit, qua ratione exortis publicis academiis, & medicina in illis recepta, ſe illa ars habuerit. Omni prorſus dubio caret, Lutetiæ Pariſiorum primam ſcholam publicam, uti opinio invaluit (*c*), a Carolo M. fuiſſe conſtitutam, in qua tamen ab initio præter artes liberales & theologiam, nihil aliarum rerum doceri conſuevit. Acceſſit autem pòſt Decretalium & Juris doctrina; & tandem Græcorum medicina, quam nonnulli ex ſchola Salernitana & Montpeſſulana Pariſios detulerunt, in nova, ut dicebatur, Univerſitate locum invenit, quartamque facultatem conſtituit: (*d*) Chirurgiæ vero exercitium & tractatio, his novis Doctoribus ideo minus conveniſſe videtur, quod Clerici erant, quos Eccleſia manus ſanguine conſpur-

fectus ad libros de methodo medendi retulit. Vid. L. III. & XIV. Edit. Charter. T. X. & ad Glaucum L. II. Hodie apud Gallos chirurgis etiam curatio interna morbi venerei permittitur, conniventibus magis, ut videtur, quam conſentientibus medicis. Quare & chirurgus quidam, qui ex eo vitam & maximum lucrum quærebat, ſtatuam Caroli VIII. Galliarum Regis, genibus flexis honoraſſe dicitur, quod ejus copiæ, ex expeditione Neapolitana hunc morbum tam fœcundum reportaverint. Vid. Bernier l. c. Tom. III. Cap. III. p. 18.

(*a*) Vid. Vitam Galeni a Charterio compoſitam T. I. p. 73. le Clerc. l. c. P. III. L. III. Cap. I. p. 110.

(*b*) Vid. Goelicke Hiſtoriam Chirurgiæ.

(*c*) Probat hoc Bulæus Hiſtor. Academ. Pariſienſ. T. I. p. 91. ſq. in dubium vocat Paſquier Recherches de la France L. III. p. 261. ſq. & L. IX. Cap. IV. p. 800.

(*d*) Carolus M. obiit anno 814. Bulæus T. I. p. 145. Quarto poſt univerſitatis fundationem ſæculo, anno circiter MCL. quo Gratianus Decretorum collectionem abſolvit. Vid. Thomaſ. Cautelas circa Præcognita Jur. Eccleſ. Cap. XXI. p. 232. & jus canonicum Pariſiis invaluit. Bulæus T. II. p. 580. Paſquier vero probare conatur, anno MCCXV. in litteris publicis nullam mentionem præter Magiſtrorum artium & Theologiæ fieri l. c. p. 812. ut probabile ſit Decreta ſimul a Theologis, ut Medicina a Philoſophis tradita fuiſſe. Anno MCCLXX. Medicina ſuos Magiſtros & peculiare corpus habuit. Vid. Bulæum T. III. p. 396.

care, vetuit. Omne enim eruditionis & ſcientiæ genus ea ætate ſolis Clericis relictum fuiſſe, nemini ignotum eſt: quare & ab initio Medicinæ Profeſſores, & ſic dicti Regentes, vitam cælibem vivere, neceſſe habebant; qui tamen mos deinde peculiari Decreto ſublatus fuit. (*a*) Quod vero chirurgia nihilominus magno ubique in pretio habita fuerit, vel ex fabulis romanenſibus antiquioribus colligere poſſumus, quæ morum & ætatis imagines, nobis feminas principes ante oculos ponunt, vulnera heroum amatorumque deligantes, ſananteſque, ut ſic ex chirurgiæ exercitio magna ipſis gloria tribuatur. Tandem vero ii, qui hanc artem præ aliis exercebant, in corpus peculiare coaluerunt, & hoc pro iſtius temporis more & religione S. Coſmo & Damiano ſacrum eſſe voluerunt; id quod nonnulli Ludovico S. alii vero Philippo Pulchro imperante, factum fuiſſe contendunt. Leges vero & Statuta, quæ hodie ſuperſunt, Anno MCCLXXVIII. ſancire ſibi cœperunt chirurgorum magiſtri; quo circiter tempore medicina, quæ antea a magiſtris artium ad phyſicen relata, aliquo modo exponebatur, facultas ab aliis ſeparata, conſtituta fuit. Chirurgos vero eo tempore medicis nullo modo ſubjectos fuiſſe, eoſque, ſi quid forte imperaverint iis medici, omne recuſaſſe imperium, veriſimile eſt. Ipſorum autem medicorum auſpiciis poſtmodo factum eſt, ut novum genus chirurgorum exſurgeret, caputque deinde altius efferret, inprimis cum illorum imploraret operam, ſeque ab ipſis inſtitui, formarique pateretur. Tonſores enim, alias barbæ & capillorum curam gerentes, forficulæ novaculæque uſum ad chirurgiam transtulerunt, hancque intercedente facultatis auctoritate ubique exercuerunt, qui ideo & nomine chirurgorum tonſorum, vel elegan-

(*a*) Nec Presbyteris nec uxoratis medicinam legere integrum erat, abſque diſpenſatione: & Baccalaurei, antequam ad legendum curſum admittebantur, jurare debebant, ſe non uxoratos eſſe, nec Chirurgicos manualiter operantes. Sed anno MCDIII. facultas diſpenſavit. Vid. Bulæum T. IV. p. 91. & p. 542. Reformatione vero Univerſitatis a Cardinale Tuttavilleo anno MCDLII. inſtituta, vetus hoc ſtatutum, quo conjugati a regentia in facultate Medicinæ prohibebantur, impium & irrationabile reputatum fuit, l. c. p. 568. Uxorati autem Magiſtri in facultate artium privati ſunt adhuc anno MDLXXXVII. omni jure ſuffragii & omni magiſtratu. Nec non Decretalium Doctoribus anno MDLXXXIX. a facultate artium & Theologiæ, ut & Rectore matrimonium interdictum fuit, diſſentientibus tamen medicis. p. 797. & 803. Obiter notamus medicos & heic primos fuiſſe, qui a præconceptis opinionibus & conditione Clericorum defecerunt.

tiæ cauſa, chirurgorum a tonſtrina ſuperbiebant. (*a*) Alii vero chirurgi, qui Anno MDXVI. poſt multas, quas cum ordine medico agitaverant, controverſias, tandem communi & ſolenni omnium conſenſu, horum *diſcipuli & Scholaſtici* declarati, & in *academiæ gremium recepti* fuerant, tandem Anno MDLI. a medicis deficere, & magnam denuo ſibi auctoritatem conciliare ſtuduerunt, quintam in Univerſitate Pariſienſi facultatem formaturi. Res quoque eo pervenit, ut Anno MDLXXXII. litteras a Pontifice Romano Gregorio XIII. exhiberent, quibus hoc ſuum inſtitutum probare & confirmare conabantur. Rectorem quoque aliquoties eorum conventibus, & promotionibus interfuiſſe, certum eſt. Medici ut hos conatus everterent, omnes artes machinaſque adhibuerunt, & quemadmodum de quodam du Four Medico & Rectore Academiæ teſtatur *Bulæus*, *tantum laboris ſumſerunt, quantum ſi de propria ſalute, de vita, de fortuna ageretur.* (*b*) Veritati conſentaneum eſt, hanc cauſam non plane dijudicatam fuiſſe: Chirurgi tamen ad hanc uſque ætatem, chirurgiam & anatomen, non ſolum in theatro ad S. Coſmum, ſed & in noſocomiis., publice docendi libertatem conſervarunt, etſi ut cum medicis, quos omnino magiſtros venerantur, pari paſſu ambularent, & iiſdem in academia juribus fruerentur, impetrare non potuerunt. Ii vero, quibus a tonſtrina nomen erat, nunc cum reliquis, niſi fallor, in eamdem ſocietatem coaluerunt; cum jam anno MDCX. quidam ex illorum numero a chirurgis fuerint recepti. Quod vero hujus artis magiſtri adhuc magno in pretio habeantur, vel exinde colligere poſſumus, quod in nova ſcientiarum Academia a Ludovico XIV. fundata, locum non infimum occupent. Chirurgia itaque, ſi illius antiquitatem, dignitatem, cum reliqua medicina nexum, & quam toti generi humano impertitur, utilitatem, ſpectemus, non contemnenda nec flocci habenda videtur.

(*a*) Vid. Paſquier l. c. L. IX. Cap. XXX. p. 859. ſeq.
(*b*) Vid. Paſquier loc. cit. Bulæus Tom. VI. pag. 70. 447. 752. 757. 767. 803.

JO: ZACHARIÆ PLATNERI

DISSERTATIO

DE FISTULA LACRYMALI.

IO. ZACHARIÆ PLATNERI

DISSERTATIO

DE FISTULA LACRYMALI.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Fig. I. Syrinx Anelliana. (*a*) Orificium minimum. (*b*) Epiſtomium, in hac figura non nihil retractum.

II. Specilla Anelliana, quorum extremitates (*a*) globulis exiguis munitæ ſunt.

III. Inſtrumentum ferreum, quod comprimendo ſacco lacrymali inſervit. (*a*) Nodus qui proxime tumori incumbit. (*b*) Verticillum (*c*). Trochlea, qua nodus (*a*) fortius admovetur. (*d*) Crus ſuperius quod in frontem adſurgit. (*e*) Uncus cum quo ligamentum (*f*) ex corio confectum connectitur, ut ſic inſtrumentum in capite firmetur. (*g*) Faſcia ſerica qua corium circumvolutum eſt.

IV. Scalpellum falcatum.

V. Scalpellum, quo Petitus utitur. (*a*) Scalpellum anceps myrtiforme. (*b*) Scalpellum rotundum & obtuſum, ad removenda integumenta, & dilatandum vulnus. (Gallis Dechauſſoir.)

VI. Inſtrumentum quo os lacrymale pertundi poteſt. (Pouſſoir.)

VII. Specillum ſulcatum, (ſonde creuſe) quo commode os lacrymale perforatur. (*a*) Cuſpis & latera cultellata.

VIII. Cannula argentea, ora (*a*) inſtructa, qua foramen apertum tenetur.

IX. Tubulus plumbeus, qui in naribus relinquitur, & integumentis faciei obtegitur. (*a*) Orificium ſuperius quo lacrymæ ex meatibus lacrymalibus excipiuntur, (*b*) inferius, quo lacrymæ ad nares vehuntur.

X. Lamina argentea, qua oculus munitur, quando os cariofum aduritur. (*a*) medium ejus quod cavum eſt, pro excipiendo bulbo oculi (*b*), foramen quod angulo interno oculi reſpondet, & per quod cauterium adplicatur.

XI. Infundibulum ferreum (entonnoir) quo ferramentum ignitum excipitur.

Fig. XII. Ferramentum , quo ignito os aduritur .

XIII. Scalprum ad rodendam cariem .

XIV. Novum inſtrumentum , a Woolhouſio inventum , quo cornea in chirurgia hypopii commode perforatur . Mentionem ejus facit Celeberr. Heiſterus in Chirurgiæ Edit. Nov. pag. 526. Figura vero deſideratur . (*a*) Cuſpis triangularis & ad ſuperiora paululum reflexa , ne iridi vis inferatur .

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

NUlla forte externarum, quibus corpus noſtrum animale affici ſolet, læſionum, tot & tantis implicita fuiſſe dubiis, & tam multas inter eos, qui rerum harum periti ſunt, lites excitaſſe videtur, quam theoria & curatio fiſtulæ lacrymalis, morbi non adeo infrequentis & valde moleſti, & qui ſæpe refractariæ admodum naturæ eſſe ſolet. Ortum vero ſine dubio traxerunt hæ, quibus laborat, difficultates, præcipue a minus ſufficienti cognitione partium anatomica, harumque ſtructuræ, & uſus, cui in œconomia animali inſerviunt; ad quæ acceſſit, quod varia denominatio morbis natura ſua multum inter ſe diſcrepantibus, impoſita, illa tamen mox confuſa fuerit, ut indiſtincte omnibus ulceribus & læſionibus, quæ interſtitium, quod inter oculos & nares poſitum eſt, occupant, idem nomen vulgo convenire crederetur. Hactenus tamen viri celeberrimi, & inter hos omnium princeps Excellentiſſimus HEISTERUS, Profeſſor olim Altdorfinus, nunc Helmſtadienſis doctiſſimus, in eo deſudarunt, ut ea, quæ ad fiſtulam lacrymalem referuntur, clariora redderent, & diſtinctius explicarent, cui rei novum, quod Anellianum celebratur inventum, occaſionem dediſſe videtur. Et merito Celeberrimo HEISTERO acceptum ferre debemus, quod hanc, quæ elegans admodum eſt & utilis enchyreſis, qua ductus lacrymales ſpecillo explorantur, & liquore conveniente per ſyringam, ad hunc uſum accommodatam, irrorantur, omnium primus apud nos expoſuerit, propriiſque obſervationibus illuſtraverit, id quod tum in Diſſertatione de Nova methodo curandi fiſtulas lacrymales, Alt-

dorfii Noricorum anno MDCCXV. ventilata , tum in Chirurgia, *nunc altera vice edita , quæ in omnium chirurgiæ ſtudioſorum manibus verſatur , ſaltem verſari debet , ab eo factum eſſe conſtat . Cum vero Celeberrimus & Doctiſſimus Ophthalmiater ,* JOH. THOMAS de WOOLHOUSEN, *modum excogitaverit , quo fiſtulæ lacrymales veræ , quæ ab aliis completæ dicuntur , in quibus ductus lacrymales aliæque vicinæ partes omnino eroſæ & deſtructæ ſunt , ita ut Anelliana methodus in curatione minus efficax deprehendatur , perſanari queant ; rem non ingratam fore harum rerum peritis exiſtimo , quando illam , quam a laudato* WOOLHOUSIO *accepi methodum , quæ reliquarum omnium , quæ hactenus in uſu fuerunt curationum , & certiſſima & conſtantiſſima eſt , nunc pace & conſenſu ejus , publici juris facio , & illam chirurgorum ulteriori experientiæ magis ac magis perficiendam commendo . Neceſſe etiam fore videtur , ut ea , quæ ad harum rerum cognitionem ſpectant , paulo altius repetantur , & iis , ad quos non omnia , quæ huc uſque evulgata ſunt ſcripta pervenerunt , diſtinctius exponantur . Illam tamen culpam quam longiſſime a me remotam cupio , qua crambem bis coctam appoſuiſſe videar , aut plagii , quod itidem procul eſſe volo , temere accuſer . Quod ſi vero neceſſitate adductus ab aliis Celeberrimis Viris , quos de reliquo omnino veneror , diſſenſerim , illud certe non contradicendi aut laceſſendi , ſed veritatis ſtudio fieri , omnibus erit perſpicuum , ut ideo & id mihi pollicear , eos pro ſua humanitate meum , quo ab iis ſecedo , diſſenſum eodem animo laturos , quo aliorum , qui eos anteceſſerunt opiniones reliquerunt , cum & ego nihil humani a me alienum exiſtimem . Det Deus omnia feliciter !*

DISSERTATIO

De Fiſtula Lacrymali.

§. I.

CUm itaque de fiſtula lacrymali agere inſtituimus, ſcopus quidem, quem nobis præfiximus omnino poſtulare videtur, ut quid per fiſtulam in genere ſic dictam intelligi debeat, ſtudioſius exponamus. Nomen latinum, græce dicitur σύριγξ, a cavitatibus iſtis oblongis & induratis, quæ in longum magis quam in latum ſerpunt, & aliquo modo cum arundinum, & aliis proprie dictis fiſtulis conveniunt, originem ſuam ſine dubio traxit; unde & nonnulli, quibus Germanica civitate donatum vocabulum *die Fiſteln*, minus placet, illud per *Rohr-Schaden*, explicuerunt. Eſt vero fiſtula ulcus manans & ſordidum, quod ſinu vario & multiplici, profundo, calloque obducto ab aliis diſtinguitur ulceribus. Hoc quidem extra omnem controverſiam poſitum eſt, fiſtulam ad ulcerum genus referri; quæ ulcera, quomodo a vulnere, abſceſſu & aliis partium læſionibus differant, prolixe excutere, hujus loci non eſt. Id ſcire ſufficiat, ulcus eſſe ſolutionem continui, per corruptelam lentam & ſanioſam, qua non ſolum textura partium ſolidarum ſenſim ac ſenſim deſtruitur, & in mucoſum ſqualorem convertitur, ſed & humorum craſis circa confinia, in ſaniem ichoroſam, acrem ut plurimum ac rodentem, mutatur. Oriuntur vero ulcera maxime in partibus, quæ minori ſanguinis crudioris affluxu gaudent, unde membranæ & glandulæ frequentius iiſdem ſubjiciuntur quam muſculi; niſi quod contuſiones, abſceſſus, immo & vulnera negligentius & perverſe tractata, etiam in partibus carnoſis, aliquando ulcera, & ex his ſucceſſu temporis ortas fiſtulas relinquant.

§. II.

Differentia, qua fiſtulæ ab aliis ulceribus diſtinguuntur, non antiquitus ſolum, ſed & his noſtris temporibus, communi con-

ſenſu, vix paucis exceptis, in ſinubus & callo poſita fuit. Per ſinus autem ulcerum cavitates denotamus, quæ in profundum reptant, ut orificium ut plurimum anguſtius, interiora vero ampliora deprehendantur, in quibus humores acres & ichoroſi diutius ſubſiſtere ſolent. Hoc vero ſinu, fiſtularum naturam nondum abſolvi, ſed & callum ad eamdem requiri, nunc propter ea, quæ inferius exinde probare volumus, & quia a nonnullis in dubium vocari videtur, paulo rectius explicabimus. Eſt vero callus, qualis in fiſtulis conſpicitur, concretum quoddam præternaturale, durum, membranaceum, aliquando ad cartilaginis naturam accedens, maximam partem doloris expers, quo ſuperficies ductuum ſinuoſorum in fiſtula induitur, quod vel a colluvie humorum acriorum fibras partium continuo vellicantium, vel a perverſa chirurgorum tractatione oriri ſolet. (*a*)

(*a*) PAULUS ÆGINETA Lib. VI. Cap. 77. pag. 204. Edit. Baſ. 1538. ὁ δὲ τύλος ποτὲ μὲν ἐστι καὶ λευκὴ καὶ ἄνιγμος σὰρξ, διὸ καὶ ἀνώδυνος, μήτε φλεβὸς μήτε νεύρου διικνουμένου εἰς αὐτήν.

§. III.

Callum vero univerſi fere ab omni ætate auctores, qui de re chirurgica ſcripſerunt, fiſtulæ tribuerunt, & eo ipſo illam ab alio ulcere & ſinu ſimplici, quem Græci κόλπον appellarunt, (*a*) diſtinxerunt. HIPPOCRATES in libro de fiſtulis, illud modo fiſtularum genus, quod ad ſedem oritur, & frequentiſſimum eſt, in animo habuit, hoc tamen poſtquam, quomodo ligatura extirpandum ſit, edoctus eſt, æris florem per ſeptem dies, (ἐν ταύτῃσι γὰρ μάλιστα ὁ χιτὼν τῆς σύριγγος σήπεται) ut fiſtulæ tunica, per quam callum deſignare voluit, conſumatur, adplicandum ſuadet. (*b*) CELSUS, qui ſuam in his rebus diligentiam omnibus probavit, hanc fiſtulæ dedit deſcriptionem: *Nonnumquam autem ex ejuſmodi abſceſſibus, & aliis ulcerum generibus, fiſtulæ oriuntur: id nomen eſt ulceri alto anguſto calloſo.* (*c*) Cum eo convenit GALENUS, (*d*) qui præ aliis hoc egiſſe videtur, ut omnia morborum genera diſtincte proponeret & ab aliis ſepararet, nec non qui hunc in plurimis ſecutus eſt, PAULUS ÆGINETA. (*e*) AETIUS accurate ſatis fiſtulas ani ab ulceribus proſerpentibus & depaſcentibus, quæ illas prægrediuntur, & quidem per callum illis proprium, ſeparavit. (*f*) ORIBASIUS ſpondylii radicem ad callos fiſtularum tollendos commendat: (*g*)

ita nullum ex veteribus artis medicæ doctoribus invenire licet, qui callum non pro eſſentiali fiſtulæ proprietate habuerit.

(*a*) GALENUS Comment. II. in Hippocratem περὶ ἰατρείου Text. 27. T. XII. Edit. Charter. pag. 64. ἄχρι μὲν ἂν κυκλούμενον ἢ πρὸς τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν τὸ ὕστερον διακείμενον μόριον, ἀφεστάναι μὲν γὰρ αὐτὸ λέγεται, τὸ δὲ κατ' αὐτὸ πάθος ἀπόστημα καλεῖται. σαπωθέντος δὲ αὐτοῦ κατά τι μέρος, ὡς ἐκκριθῆναι τὸ περιεχόμενον ὑγρὸν, ἐκέτι ἀποστήματος πάθος, ἀλλ' ἤδη κόλπος ὀνομάζεται. Et clarius Libro de Tumoribus præter naturam Cap. IV. Tom. VII. Edit. Chart. pag. 316. Ὅταν, ἀποδείρῃ τὰ σώματα τὸ ῥεῦμα, ἀποσήσῃ τε καὶ διαφύσῃ τῶν ὑποκειμένων τὰ περιέχοντα, κἄπειτα κενωθέντος αὐτοῦ καθ' ὅντινα ἂν τρόπον ἀδυνατήσει τὰ διαφύντα τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβεῖν κατάφασιν, ὀνομάζεται τὸ πάθος κόλπος. & de Methodo medendi, ad GLAUCUM Lib. II. Cap. X. T. X. p. 385. Ὅταν δ' ἐπὶ πλέον ἀκόλλητον ᾖ τὸ δέρμα τοῖς, ὑποκειμένοις σώμασι, κόλπον ὀνομάζεσι τὸ τοιοῦτο πάθος quæ verba GALENI κατὰ πόδα ſequitur ÆGINETA Lib. IV. Cap. 28. p. 151. Ὅτε τὸ παρακείμενον δέρμα τοῖς ἕλκεσιν ἐπὶ πλέον ἀκόλλητον ᾖ τοῖς ὑποκειμένοις σώμασιν κόλπον τὸ τοιοῦτο πάθος ὀνομάζουσι.

(*b*) Τὸ σήπειν Hippocrati non ſaltem putrefactionem, ſed & concoctionem & quamlibet conſumtionem ſignificare annotavit FOESIUS Oeconom. Hippocratis pag. 562.

(*c*) CELSUS Lib. V. Cap. 28.

(*d*) In Definit. Medic. Def. 421. Tom. II. Edit. Chart. pag. 275. σύριγξ ἐστὶν ὑποφορὰ τυλώδης, στενὴ καὶ ἐπιμήκης. ἔσθ' ὅτε καὶ σκολιώμενη ἀνακάμπτων ἔχεται τὸ σῆμειον, δι' ὃ ὑγρὸν κατά τινας καιροὺς ἐκκρίνεται.

(*e*) Lib. IV. Cap. 4. pap. 152. Edit. Baſil. ἡ σύριγξ κόλπος ἐστὶν τετυλωμένος, ἐξ ἀποσημάτων τὰ πολλὰ συνισάμενος ἐκ μεταφορᾶς τῶν καλαμίνων συρίγγων ὀνομασμένος. & Lib. VI. Cap. 77. pag. 204. σύριγξ κόλπος ἐστὶ τετυλωμένος πόσῳ ἀνώδυνος, ἐν τοῖς πλείστοις τῶν μορίων συνισάμενος.

(*f*) AETIUS Tetrabiblo IV. Serm. II. Cap. 10. & 11. pag. 687. Edit. Stephan. Artis Medicæ ſcriptorum Principum.

(*g*) ORIBASIUS Synopſeos L. VII. Cap. XXX. pag. 113. Edit. Steph.

§. IV.

Inter Arabes principem quaſi locum tenet AVINCENNA (*a*) quem unum ideo etiam ex omnibus nominamus. Hic de ulceribus generatim locutus, fiſtulæ mentionem facit his verbis: *Ulcus quod profunditatem habet, non evacuatur, quin aut jam indurata ſit caro circumdans ipſum, & nominatur fiſtula, & eſt ſicut canna penetrans in membrum, aut non induratur aliquid, & nominatur abſconſio & caverna.* Ex iis autem, qui propius noſtra tempora attingunt ſcriptoribus, omnibus notus eſt GUIDO a CAULIACO Montpeſſulanus, (*b*) qui fiſtulam eſſe contendit: *Ulcus profundum, cavernoſum, cum calloſa duritie a parte interiori, a qua procedit ut plurimum ſanies virulenta.* Cum his conveniunt verba BRUNI LONGOBURGENSIS: (*c*) *Fiſtula eſt ulcus profundum, anguſtum cum nodoſitate & duritie carnis ipſam circumdantis, & eſt ſicut canna vel*

penna anſeris penetrans in membrum. Ipſa hæc verba fere retinuerunt FRATER THEODORICUS, (*d*) LANFRANCUS MEDIOLANUS, (*e*) LEONHARDUS HERTAPALIA (*f*) aliique. Adhuc JOH. TAGAULTIUS, (*g*) qui ulcerum differentias & naturam ſtudioſe ſatis perſecutus eſt, audiri debet: *Cavernoſum ulcus appellant, cujus orificium ſtrictum eſt atque anguſtum, profunditas vero latior, & ſenſum effugiens, ſive occulta, multoſque anfractus habet, & cuniculos, ſive vias hinc inde diſcurrentes, citra tamen calloſitatem & duritiem. Atque hoc uno ulcus cavernoſum a fiſtula diſſidet, quamvis promiſcua turba ejuſmodi ulcera omnia cuniculoſa fiſtulas nominent, cum tamen fiſtula proprie ulcus ſit altum, anguſtum & calloſum Galeno, Celſo, Aetio & Paulo: itaque quod profundum & cavernoſum ulcus recentiores chirurgi appellant, id latini appoſite ſinum, græci colpon nominant*. & alibi (*h*): *Calloſitas cum forma fiſtulari eſt diſferentia eſſentialis fiſtulæ;* ut nunc MARIANUM SANCTUM BAROLITANUM, (*i*) JACOBUM GUILLEMÆUM, (*k*) PAREUM, (*l*) THEVENINUM, (*m*) alioſque taceamus. Ex multis recentiorum nominamus ſaltem VERDUCCIUM, *n*) CLERICUM, (*o*) JOSEPHUM de la CHARRIERE, (*p*) & MURALTUM; (*q*) reliquos omnes, ne nimis prolixi ſimus, ſilentio prætermittimus.

(*a*) L. IV. Fen. IV. Tr. III. pag. 875.
(*b*) In Chirurgia, quam Anno 1363. primum evulgavit, olim in Academia Pariſienſi ſola hæc digna judicabatur, quæ Medicinæ & Chirurgiæ ſtudioſis prælegeretur.
(*c*) In Chirurgia Magna L. I. Cap. XV.
(*d*) Epiſcopus Cervienſis Ordinis Prædicatorum in Chirurgiæ Lib. III. Cap. I.
(*e*) In Chirurgia Parva Cap. XII. & in Chirurgia Magna Cap. XII.
(*f*) De ulceribus Cap. X.
(*g*) Inſtitut. Chirurgicar. L. III. Cap. LV.
(*h*) Eod. libro Cap. XVIII.
(*i*) In Libello Quidditativo de modo examinandi Chirurgos.
(*k*) JAQ. GUILLEMEAU Oeuvres de Chirurgie L. VIII. p. 191.
(*l*) Lib. XII. Cap. XXI. in Uffenbachii Theſauro Chirurgiæ pag. 292.
(*m*) Oeuvres de Thevenin pag. 82. & p. 495.
(*n*) Pathologie de Chirurgie T. I. Chap. I. Art. III. p. 20. & Chap. XVII. p. 237.
(*o*) Le Clerc Chirurgie complete Chap. XVIII. p. 267.
(*p*) Traité des Operations de Chirurgie Chap. XX. p. 149.
(*q*) *Anleitung zur Bund-Artzney*, Cap. XXXIV. p. 44. *Handberckungen der Bund-Artzney*, p. 164.

§. V.

Illi itaque, qui callum in fiſtulis requiri negant, has aliis ulcerum generibus commiſcent, cum tamen omnino e re eſſe videatur, ut hæc omnia bene diſcernantur, quia plane aliis remediis in fiſtularum, quæ callo obſitæ ſunt, curatione opus eſt, quam in cujuſvis ulceris ſimplicis, vel ſinuoſi tractatione. Nec illo ſe excuſare poterunt, quod per fiſtulam ani vulgo quodvis ulcus, partes iſtas occupans, deſignari ſoleat; quia non ſolum hæc ulcera raro ſine callo, quo ipſo jam ad fiſtulas referri debent, reperiuntur, tam propter loci naturam, & humorum, ex quibus is facile generatur copioſum adfluxum, quam ægrorum intempeſtivam verecundiam, qua non niſi ſumma neceſſitate coacti, ad auxilia chirurgorum confugiunt. Præterea etiam in rebus hiſce, quæ quoad indolem ſuam adeo differunt, accuratior paulo diſtinctio, & nominum a longo tempore illis impoſitorum uſus, non adeo contemnendus videtur; & mallem ſane cum veteribus artis ſalutaris ſtatoribus, quam cum vulgo loqui. Nec facile paulo exercitatior chirurgus, abſceſſum ſimplicem, vel in ano, vel in quacumque corporis parte ortum, fiſtulæ loco habebit, niſi vel lucro vel famæ inhians, aliis morbi gravitatem perſuadere velit, ut ſic, ſi omnia bene perpendimus, extra omne dubium ſit poſitum, fiſtulæ naturam callo abſolvi, & a reliquis ulceribus diſtingui.

§. VI.

Hoc vero etiam in fiſtulæ lacrymalis theoria, ad quam nunc propius accedimus, obtinebit; neceſſitas vero poſtulare videtur, ut ſuccinctam iſtarum partium, quæ hoc morbo afficiuntur, delineationem præmittamus. Equidem nos hoc labore commode ſuperſedere poſſe, forte aliquis exiſtimaverit, cum illud jam prolixe & ſatis accurate ab aliis factum videamus; (*a*) attamen, quia ante aliquod tempus novæ de his partibus controverſiæ exortæ fuerunt, non adeo incongruum erit, ſi & illas paucis attingimus, & in gratiam eorum, qui his auctoribus deſtituuntur, brevem deſcriptionem præmittimus. Omnibus cognitum eſt, oculos humore aliquo indigere, quo, ut eorum motus facilior ſit, irroretur, ſecernitur hic ex glandula illa, quæ ad orbitæ limbum, in ſuperiori oculi parte, prope angulum externum ſita eſt, & ſub palpebra ſuperiori ductus aliquot excretorios emit-

tit. Aliquid etiam conferre videntur copioſæ iſtæ minores glandulæ, ſebaceæ dictæ, quas HENRICUS MEIBOMIUS primus detexit & deſcripſit, a quo & Meibomianæ ab anatomicis vocari ſolent: (*b*) Palpebrarum extremitatibus adjacent illæ, ut ex iiſdem humor facile exprimatur, qui tamen in cadaveribus ſpiſſior obſervatur quam in vivis, & nuper admodum demortuis. Nonnulli his organis addiderunt tertiam glandulam, quam lacrymalem minorem appellaverunt, propter minorem ejus molem, quæ in majori ſive interno oculi cantho conſpicua eſt. Sed recentiores obſervarunt, eamdem molem potius carnoſam eſſe, & in homine alii, quam ſecretionis negotio inſervire; ut mox oſtendemus. Iſti autem humores, quorum magna portio calore naturali diſſipari videtur, ut rurſus abſorbeantur, natura provida viam ad nares patulam conſtruxit, ſubtilem admodum & artificioſam, quæ propria fiſtulæ lacrymalis ſedes eſt. Conſpiciuntur ad extrema tarſi utriuſque palpebrarum, prope angulum majorem oculi, exilia duo foraminula, quorum principia ſubtili admodum, ad cartilaginis naturam accedente annulo cinguntur; ſunt vero orificia ductuum minorum, qui ex utraque palpebrarum, ad angulum internum oculi, nares verſus, concurrunt, & ibi in unum truncum coëunt. Vocantur vero hi tenues admodum canales vulgo ductus lacrymales, ab aliis, propter figuram, quam referunt, cornua limacum, ab aliis meatus lacrymales, & ab aliis denique canales lacrymales laterales: parum tamen ad rem facere videtur, quo nomine aliquis iſtos inſignire velit. Quando in unum coaluerunt canalem, qui deinde amplior fit, & ſaccum lacrymalem conſtituit, angulum cum ductu naſali deſcribunt, qui acutus magis, in ſitu ſuo naturali, quam rectus deprehenditur. Saccus enim lacrymalis, qui ab ANELLO infundibulum vocatur, ad interiora narium, perpendiculari fere meatu deſcendit, ita tamen, ut ſenſim ac ſenſim anguſtior fiat, donec circa oſſa narium, quæ ab anatomicis turbinata appellantur, inſeritur.

(*a*) V. la Nouvelle Methode de guerir les fiſtules lacrymales par MANEL. à Turin 1713. pag. 27. quem ſecutus eſt Celeb. HEISTERUS in Diſſert. c. Cap. II. pag. 10. MORGAGNI Adverſaria Anatomica I. p. 29. & quæ nuper acceſſit JOH. BAPTISTÆ BIANCHI Diſſertatio Epiſtolaris de ductuum lacrymalium novorum anatome, uſibus, morbis, ac curationibus ad JOSEPHUM LANZONI, Prof. & Medicum Ferrarienſem. Vide hanc in MANGETI Thea-

tro Anatomico T. II. L. IV. Cap. III. pag. 351. & prolixam in hanc BIANCHI Diſſertationem cenſuram in Morgagni Adverſariis Anatom. VI. Animadverſ. XXXIII. p. 40. ſeqq.

(*b*) Vid. HENRICI MEIBOMII Epiſtolam ad Joelem Langelottum de Vaſis Palpebrarum novis, Helmſtadii 1666. editam. Obiter notamus, has glandulas frequentius, in primis poſt variolarum decurſum, refractariis valde exulcerationibus tentari, ut limbi palpebrarum rubeant, doleant non raro, & perpetua ſanie ulceroſa madeant.

§. VII.

Notari adhuc mereretur, humorem huncce, qui, ſi copioſior fit, limites palpebrarum tranſcendit, & per genas lacrymarum nomine delabitur, in motu ſuo per has vias variis adjuvari organis minutiſſimis. In hominibus enim, nam in brutis rem ſe aſiter habere conſtat, iſta caruncula, quæ inter oriſicia ductuum lacrymalium poſita eſt, & quam alii falſo glandulam eſſe crediderunt, nulli alii uſui inſervit, quam ut conica ſua, qua gaudet, figura, fluidum illud ad iſta orificia ſemper hiantia depellat; cui uſui etiam pellicula carnoſa, quæ ſemilunaris figuræ eſt, & ante modo dictam carunculam in albo oculi conſpicitur, deſtinata videtur. Ipſarum etiam palpebrarum, perpetuo nictantium, motus, multum ad hunc fluidi lacrymalis deſcenſum confert. De ſacco lacrymali vero notandum, quod ejus fibræ cum pericranio & tunica adnata arcte cohæreant, ut ab his ortus videatur: quare etiam hæ partes ex mutuo hoc conſenſu facile afficiuntur, ut ſic ex ophthalmiis viæ lacrymales lædantur, quemadmodum & harum inflammationes in oculis exquiſitum doloris ſenſum excitant. Cl. BIANCHI quidem nova quædam ligamenta, quibus ſaccus in ſitu ſuo naturali contineatur, ſibi inveniſſe viſus eſt: Celeberrimus tamen MORGAGNI monet, has non niſi perioſtii propagines eſſe, quæ ideo peculiarem denominationem haud mereantur. Saccus vero, qui harum partium cavarum ampliſſimus eſt, tandem in canalem anguſtiorem deſinit, qui ductus naſalis vocatur, quia liquidum lacrymale ad nares vehit. De hujus vero ſtructura novæ lites inter ſupra laudatos auctores actæ fuerunt. BIANCHI enim vult, hunc canalem in medio ſuo decurſu anguſtari, & denuo juxta ſuam in nares inſertionem ampliari, ut ſinum quemdam & pelvim quaſi conſtituat. Prope ejus extrema valvulam quoque ſemilunarem ſe deprehendiſſe contendit, quæ quidem ductum illum totum non occludat, cum unica ſaltem ſit, & ejus magnitudo cavitati illi ca-

nalis naſalis rurſus dilatati non exacte reſpondeat, qua ex cauſa etiam ſtilum per nares immiſſum facile ad ſuperiora adigi, & reliqua: quæ figuris æneis illuſtrat & lectorum oculis ſiſtit: MORGAGNI vero hæc omnia, haud immerito, in dubium vocat. Illam enim novam, quam BIANCHI canali naſali tribuit, expanſionem, prorſus negat, quare nec facile ſtilus per inferiora, in ſtatu quidem naturali, urgeri queat. De valvula vero monet, ſe illam numquam inveniſſe, quamvis in quibuſdam cadaveribus, prope orificium inferius ductus naſalis, minorem aliquam membranarum, quibus nares veſtiuntur, duplicaturam offenderit, quæ tamen pro vera valvula non ſit habenda: nobis tempus, & frequentior cadaverum diſſectorum copia majorem certitudinem promittit, qui & hæc BIANCHI inventa nos numquam vidiſſe, ingenue fatemur. Quidquid autem horum ſit; ductus naſalis ſe immergit in canalem oſſeum, in quovis cranio facile conſpicuum, qui in animalibus brutis, quibus facies oblonga eſt, & in roſtrum deſinit, etiam in majorem longitudinem porrigitur. Componitur vero ex oſſe unguis, ſive lacrymali dicto, & ex oſſe maxillæ ſuperioris, cui a principio totus inſculptus deprehenditur. Magna tamen ductus naſalis, & quidem inferior ejus portio, ſola interiori narium tunica contegitur, ſuperior vero & exterior, non niſi communibus faciei integumentis, cute & pinguedine, occultantur, quibus fibræ quædam obtingunt, quæ a muſculo orbiculari oculi, qui juxta hunc locum tendinoſus fit, procedunt. Alia, de quibus copioſe ſatis & ſubtiliter inter hos anatomicos diſputatum eſt, nunc, quia noſtro ſcopo, & uſui chirurgico minus inſervire videntur, ſtudio prætermittimus.

§. VIII.

Has vero partes veteribus quidem cognitas, & a pluribus etiam recentiorum deſcriptas fuiſſe, omni prorſus dubio caret, quamvis, quod ſæpius fieri dolemus, cognitio hæc anatomica, per longum tempus inutilis, & chirurgicæ curationi fiſtularum, aliorumque morborum, quibus hæ partes tentantur, parum lucis ante STAHLII & ANELLI inventum attulerit. Locus equidem, quem MORGAGNI (*a*) ex ARISTOTELE allegat, obſcure de cognitione harum viarum teſtatur. Luculentiora ſunt verba GALENI (*b*) & VEGETII (*c*) quos carum ſtructura minime latuit.

FALLOPIUS (*d*) vero longe accuratius earum texturam delineavit, nec non ejus discipulus, JOH. BAPTISTA CARCANUS. (*e*) Alios, quos ab auctoribus hisce passim allegatos legimus, nunc mittimus (*f*) Celeberrimus vero STAHLIUS primus fuisse videtur, qui harum partium structuram meditatus, ex cognitione anatomica viarum lacrymalium morbis præsidium, & novam curandi methodum invenire studuit. (*g*) Chordam enim chelyos, cujus apicem cera imbuerat, per punctum lacrymalem immisit, quamvis, id quod & HEISTERUS & MORGAGNI (*h*) notarunt, illud non ideo egerit, ut infarctum horum ductuum tolleret, sed ut incisionem juxta chordæ decursum dirigeret. Hanc tamen methodum ulterius perfecit DOMINICUS ANELLUS, Chirurgus Gallus, qui & ideo multam laudem meretur. De ejus vero inventis, & novis quibus usus est instrumentis, mox uberior dicendi erit occasio.

(*a*) MORGAGNI Adversar. Anatom. VI. Animadvers. 65. p. 83. allegat Aristotelem de Generat. Animal. L. II. C. V. Fœcundarum mulierum probationem fieri etiam illitu, ut colores oculis impositi salivam colorent oris; nam nisi hæc ita fiant, meatus corporis, per quas excrementum decidit, confusos, obseptos & obcœcatos esse significantur. Verba hæc loco quidem citato haud reperiuntur.

(*b*) GALENUS de usu partium L. X. Cap. XI. T. IV. Edit. Chart. p. 545. καὶ πρὸς τούτοις ἔτι τὰ κατ' αὐτὰ τὰ βλέφαρα λεπτὰ πάνυ τρίμικτα μικρὸν ἐξωτέρω τῆς μεγάλης καρδίας. διήκουσι γὰρ ἄχρι τῆς ῥινὸς καὶ ὑγρότητα λεπτὴν ἐν μέρει δίδωσί τε καὶ λαμβάνει.

(*c*) Vegetius in Mulo Medicina L. II. Cap. XXI. pag. 63. Aliqui Auctores dixerunt: si dexter oculus suffusionem acceperit, vel album incurrerit, dextram partem naris, si sinister, sinistram diligenter inspiciet. In ipsa callositate narium foramina subtilia inveniet, quibus tenuis inserenda est fistula, per quam ille, qui curare debet, os plenum vino insufflet, ut merum per foramen illud penetret, quo facto oculus incipiet lacrymare.

(*d*) FALLOPIUS Observat. Anatom. pag. 426. Anatomici prætermisere duo foramina parva, in angulo interno posita, quorum unum est in palpebra superiori, alterum in inferiori, in viventibus adhuc hominibus, si quis inspicere voluerit apparentia. Quæ foramina habent meatus, qui sub caruncula ἐγκανθίδος vel ἐπικανθίδος dicta uniuntur in quemdam communem sinum, in narium cavitatem desinentem, per canalem proprium in osse squamoso, quod internum angulum occupat, insculptum. Per hos meatus major lacrymarum pars, ut ego in fletibus mulierum observavi, ad oculos emanat, ipsorumque sinus aliquando exulceratur, fitque, collecta sanie, species illa ulceris, quæ fistula lacrymalis dicta est. Hæc sanies, si dum collecta est, exprimatur sinus, ita manifeste excernitur per meatus dictos in internum oculorum angulum, ut nihil manifestius conspici possit. Confer. ejusd. Tract. de Vulneribus peculiaribus Cap. VI. p. 243.

(*e*) Vid. MORGAGNI loc. cit. p. 82. Carcani Opuscula valde rara esse indicat.

(*f*) v. g. BERENGARIUS cujus verba vide in Morgagni Adverſ. I. §. 22. p. 27. Fabricius ab Aquapendente in Oculi Hiſtoria P. II. Cap. XIII. pag. 197. Edit. Lipſ. Ejuſd. Obſervat. Chir. pag. 18. Edit. Patav. de anno 1647. & Edit. Lugdunenſ. nov. p. 434. NICOLAUS STENO in Obſervat. Anatomicis de glandulis oculorum novis p. 91. nec ſilentio prætereundus eſt HENRICUS MEIBOMIUS, qui in Epiſtola ſupra dicta, & in Diſſertat. de fluxu humorum ad oculos naturali ac præternaturali, hujuſque curatione, has partes accurate deſcripſit, & his & aliis auctorum locis illuſtravit.

(*g*) In Programmate de Fiſtula lacrymali, Diſſertationi de Affectibus oculorum annexo & Anno 1702. edito.

(*h*) HEISTERUS in Diſſert. ſ. c. p. 7. & 8. MORGAGNI Adverſ. Anatom. VI. p. 82.

§. IX.

Fiſtula vero lacrymalis, cujus heic ſedes eſt, ita conſiderari debet, ut ab aliis affectibus, quibus ductus lacrymales affliguntur, qui tamen proprie ad fiſtulam nondum referri debent, caute diſtinguatur. Quod vero de fiſtula generatim dicta præmiſimus, nullum ulcus ad fiſtularum genus referri debere, niſi jam callo induratum ſit, & heic de fiſtula lacrymali obtinebit locum. Hactenus quidem, quod negandum non eſt, omnes fere valetudines, quæ meatus lacrymales obſident, promiſcue fiſtulæ fuerunt appellatæ, quas, ut confuſioni aliquam medelam afferrent, in completas & minus completas, aliaſque ſpecies rurſus diviſerunt; naturam vero fiſtulæ lacrymalis in exulceratione horum ductuum, in primis vero ſacci lacrymalis poſuerunt. Nobis vero eſt fiſtula lacrymalis, ulcus manans, ſinuoſum & calloſum, quod canales lacrymales, & ſic dictum ſaccum, una cum partibus, quæ his proxime adjacent, occupat. Sic enim diſtinguitur a ſimplici, quæ utplurimum fiſtulæ principium eſt, obſtructione, & levi exulceratione ſæpius dictarum viarum lacrymalium, quam alii jam fiſtulis adnumerare ſolent; nec non ab anchilope, qui tumorem deſignat quemlibet, inter oculum & nares conſpicuum, qui pro diverſa, quam in ſe continet materia, vel ad melicerides, vel atheromata vel ſteatomata refertur. (*a*) Aliquando hic diutius durat, aliquando vero mox, ſuperveniente inflammatione, rumpitur, & pus evacuatur. Eſt vero & aliud tumoris genus, quod his locis obſervatur, & cum illo, quoad externam figuram, proxime convenit: conſiſtit in expanſione præternaturali ſacci lacrymalis, vel ex humore viſcoſo ſtagnante, vel ex aëre contento; qui, quando tumor comprimitur, ſæpe ex punctis lacrymalibus per ſibilum explo-

ditur . (*b*) Aliquando etiam paralyſis & atonia fibrarum hujus ſacci, quacumque ex cauſa orta, ejuſmodi tumorem & infarctum producere ſolet, qui commode hernia ſacci lacrymalis appellari poteſt, quamquam & hoc tumoris genus a pleriſque ad anchilopes referri ſolet . Ægilops (*c*) eſt anchilops, exteriora verſus apertus, nondum tamen callo obductus : hic vero, ſi vias lacrymales ſimul affligit & deſtruit, commode, ut videtur, exulceratio externa viarum lacrymalium appellari poteſt, quæ proximum veræ fiſtulæ conſtituit principium . Accidere tamen poteſt, ut ſub reliqua ἀποστάσει anchilopis, ſaccus lacrymalis intactus relinquatur, ut ſic talis abſceſſus, ut & anchilops, morbis, qui vias lacrymales obſident, plane non adnumerari debeant . Aliquam etiam convenientiam cum iis habent alii affectus, qui & ideo ab imperitis facile confunduntur . Oculus enim variis ex cauſis lacrymis ſtillat . Nonnumquam nimia moles caruncułæ lacrymalis, orificia ductuum lacrymalium obtegit, & lacrymas ab iis prohibet, quem affectum veteres *Ecanthidem* appellarunt . (*d*) Diminutio vero præter naturam *Rhœas* dicitur . Caruncula vero, ſi ulcere maligno abſumitur, *Peribroſis* morbo nomen eſt . *Epinyctis* totum oculi canthum arrodit, (*e*) & quandoque in abſceſſum, qui *vermicularis*, propter tortuoſam ejus exulcerationem dicitur, abire ſolet ; ut alias læſiones, quibus & palpebræ ſubjiciuntur, nunc non attingamus .

(*a*) AETIUS Tetrabibl. II. Serm. III. Cap. 335. Circa prædictum locum, ubi ægilops ſit, colligitur etiam lentus humor, melleus ac pultaceus, plerumque in tunica contentus, dolorem non inducens paulatimque augeſcens.

(*b*) ANELLUS ex hac obſtructione ſacci lacrymalis novum genus morbi, novamque ex inventione gloriam ſibi finxit . Dedit ejus deſcriptionem in peculiari ſcripto, Pariſiis anno 1716. edito, cui titulus : Diſſertation ſur la nouvelle decouverte de l'hydropiſie du conduit lacrymal, ſur les cauſes qui la produiſent, & ſur les avantages que l'on retirera de cette nouvelle découverte, préſentée à l' Academie Royale des Sciences de Paris le 26. Septembre l'an 1717. Libellum Duci Aurelianenſi Gallias Regenti dicavit . Hic vero hydrops, cum ſpecies obſtructionis ſit, id quod ipſe pag. 16. fateri videtur, quando obſervat in hydrope tali utplurimum ductum naſalem eſſe oppilatum, peculiarem denominationem, quæ præter neceſſitatem multiplicari non debet, vix meretur. Illum vero oculi affectum, quem pag. 9. recenſet, admodum rarum eſſe fatemur . In femina tumor ejuſmodi conſpiciebatur, qui digito compreſſus ſerum limpidum per nares ſtillabat ; tumor

etiam mox prorſus evaneſcebat, brevi tamen tempore ſerum hoc aquoſum rurſus colligebatur, & tumor de novo apparebat. Puncta vero lacrymalia in tarſis palpebrarum nulla plane conſpiciebantur, ut ita mirum ſit, per quas vias humor talis ad ſaccum lacrymalem ferri potuerit, cum de reliquo oculi hujus feminæ nec ploraverint, nec alio vitio afflicti fuerint. Communicavit hiſtoriam morbi cum Celeberr. DU VERNAY, mirum tamen videri poſſet, cur non ipſam ægram hujus ſagaciſſimi viri oculis exhibuerit. Nec ullam, an hic affectus curatus fuerit, mentionem facit Anellus.

(c) Αἰγίλωψ vulgo derivatur ab αἴξ αἰγὸς capra, & ὤψ oculus, quia, ut nonnulli credunt, capræ frequentiorem exulcerationem anguli interni oculorum patiuntur. confer HARDUINI notas ad PLINII Hiſtoriam Naturalem L. XX. Cap. 56. T. II. p. 212. Edit. Noviſs. Alii vero nomen deducunt ab herba quadam, quæ itidem αἰγίλωψ dicitur, & pro præſentiſſimo contra hunc morbum remedio habetur. Vid. DIOSCORIDEM L. IV. Cap. 39. GALENUM de Remediis parabilibus L. II. Cap. IV. Edit. Chart. T. X. p. 610. & PLINII Hiſtor. Natural. L. XXV. Cap. 13. T. II. pag. 382. Hanc vero denominationem variis herbarum generibus convenire, idem PLINIUS teſtatur. Mox enim αἰγίλωπα ad arbores glandiferas, L. XVI. Cap. VI. & VIII. Tom. II. pag. 4. & 7. confer notas HARDUINI; mox ad feſtucas, quæ hordeum enecant, L. XVIII. Cap. XVII. Tom. II. pag. 121. confer. GALENUS de Alimentorum facultatibus L. I. Cap. 37. T. VI. pag. 333. mox vero ad bulborum genera refert, L. XIX. Cap. V. & L. XXI. Cap. 17. confer. de primo & altero genere πίναξ BAUHINI pag. 10. & 420. HESYCHIUS illam deſcribit, quod ſit ποα τις ἐμφερὴς σακχύι herba ſimilis ſpicæ, id quod de feſtuca intelligi debet. Dubium itaque eſt, cui præ reliquis harum herbarum virtus curandi αἰγίλωπας ſit tribuenda, quamquam ex DIOSCORIDE loc. cit. colligere poſſumus, illam feſtucæ propriam eſſe debere. Veritati autem magis conſentaneum videtur, herbam, quæ ſpecificam in curando aliquo morbo virtutem poſſidet, hujus nomine appellari, quam ut morbus a remedio nomen adſciſcat. Melius vero τὸ αἰγίλωψ derivari poſſe videtur a vocabulo αἰγὶς. Hoc enim non ſolum proprie pellem caprinam, nec non rete quoddam contextum, vel ſcutum pelle caprina obductum, vel etiam τὸ ἐγκάρδιον ſive cor & medullæ interiori proximum in arbore (vid. PLINIUM L. XVI. Cap. 39. p. 32. Tom. II. qui hæc ex Theophraſti Hiſtoria Herbarum hauſit) denotat, ſed & nomen eſt peculiaris in oculo morbi. HESYCHIUS in voce αἰγὶς: αἰγὶς ὀξεῖα πνοὴ, καὶ ἣν λίβυσσαι φέρουσι δορὰν, καὶ ἡ ἀπόστιλψις τῶν ὀμμάτων. αἰγὶς eſt acer halitus, & quam Libyæ ferunt pellis, & ſplendor oculorum. HIPPOCRATES Coac. Prænot. No. 219. Tom. VIII. pag. 864. Τὴν αἰγίδα jungit ταῖς λήμαις ſordibus: Καὶ τὸ τὰς ὄψιας πυκνὰ διαῤῥήσσειν, ἢ λήμια μικρὰ περὶ αὐτὰς, ἢ αἰγίδα λεπτὴν ἴσχειν ὑπενερθεν. Et L. II. προῤῥητικῶν Cap. XII. T. VIII. p. 821. αἰγίδας reliquis pupillæ vitiis adnumerat ἀχλύες καὶ νεφέλαι, καὶ αἰγίδες ἐκλελοίνωνται τε, καὶ ἀφανίζονται ἐν μὶ τρῶμάτι ἐπιγένηται ἐν τέτῳ τῷ χωρίῳ, ὃ πρόσθεν τύχη κλὴν ἔχων, ἐν τῷ χωρίῳ τέτῳ ἢ ὑπερύγιον. V. plura in FOESII Oeconomia Hippoc. p. 8. Eſt itaque αἰγὶς humor lentus & albicans, pupillæ ſive corneæ inhærens, qui ex ſordibus in ophthalmiis, oculi ulcerationibus, & aliquando ex collyriis pulverulentis coaleſcit, & corneæ inducitur: unde apud Aetium collyrium quoddam contra hunc affectum dicitur αἰγίδιον. Vid. GORRÆI Defin. Medicas. Forte idem, morbus eſt, quem GALENUS ἀγλὶν nominat, in Explicatione linguarum Hippocratis T. I. p. 81. & ex Hippocrate allegat, de quo vide FOESIUM loc. cit. qui locum GALENI corruptum putat. Sufficit nobis tale concretum pituitoſum, ſeu

τὴν ἀγίδα, quæ quandoque calida ſimplici eluitur, vel calamo acciſo, (*ein Zahnſtocher*) vel quocumque inſtrumento raſorio tollitur, non facilius oriri, quam in oculis eorum, qui fiſtula lacrymali laborant. Tunica cornea enim, quando puncta lacrymalia materiam ſanioſam & purulentam perpetuo fundunt, inprimis ſi hæc acris ſit, facile tegitur, afficitur, & quandoque ejus ſuperficies excoriatur. Unde a veritate non prorſus alienum eſſe videtur, ἀιγίλωπα nomen ab effectu, nempe ἀπὸ τῆς ἀιγίδος duxiſſe, ut ſic ἀιγίλωψ oculus ſit, qui materia viſcoſa ſcatet & obtegitur, id quod in affectibus viarum lacrymalium, & ægilope, latius accepto vocabulo, fieri, nemini eſt ignotum.

(*d*) PAULUS ÆGINETA L. III. Cap. 22. p. 74. Ἡ ἐγκανθὶς ὑπερύξισίς ἐσιν τῆ φισικῆ κατὰ τὸν μέγαν κανθὸν σαρκία. ἡ δὲ ῥυὰς ἄν τέτε μείωσις. GALENUS in Defin. Medic. ἐγκανθίς ἐσιν ὑπεροχὴ σαρκὸς ἐν τῷ μεγάλῳ κανθῷ ῥοιάς ἐσι τῆς ἐγκανθίδος σαρκὸς διακάνισις ἢ τὸ δάκρυον ἀπορρέει.

(*e*) Vid. PLINII Hiſtor. Natur. Lib. XX. Cap. IX. T. II. pag. 200. & paſſim.

§. X.

Quod vero a deſcriptione fiſtulæ lacrymalis hactenus a nonnullis recepta, ſeceſſum fecerimus, multa permoverunt. Non ſolum enim obſtructio & excoriatio ſacci lacrymalis nihil prorſus cum fiſtulæ natura commune habent, cum omnes proprietates, quæ generi competunt, etiam ſpeciebus tribui debere, apud Philoſophos ſit res extra dubium poſita. Nec facile quiſquam infarctum vel exulcerationem aliorum meatuum, qualis œſophagus, tractus inteſtinorum, ureteres, urethra, aliique in corpore animali exiſtunt, fiſtulam nominabit. Veteres autem quando minus accurati in his affectibus diſtinguendis fuerunt, illis ideo condonandum videtur, quod multi eorum ſtructuram viarum lacrymarum ignorarunt, ut ſic in chirurgia ægilops, canales, & ſaccum lacrymalem loco ſinus indurati ipſius fiſtulæ, quam ſibi imaginabantur, habuerint; quamquam etiam plures, & inter hos PAULUS ÆGINETA (*a*), GALENUS (*b*), ejuſdem liber ſuppoſititius de oculis (*c*), JESU HALI (*d*), GUIDO a CAULIACO (*e*) ſimplicem abſceſſum a vera fiſtula lacrymali ſedulo diſtinguant. Diverſam etiam horum affectuum naturam, diverſam medelam poſtulare, mox docebimus, propter quam diſtinctio eorumdem valde neceſſaria eſt.

(*a*) Lib. III. Cap. 22. p. 73. Ὁ μὲν ἀιγίλωψ ἀπόσημά ἐσιν μεταξὺ τῆ μεγάλε κανθῆ καὶ τῆς ῥινὸς, ῥυγυόμενόν τε καὶ εἰ ἀμεληθείη συμυγγάμενον ἕως ὀσέε. πρὶν ἢ δὲ εἰς ἕλκος ἐκπεσῆ τὸ ἀπόσημα, ἀγχίλωψ (falſo legitur ἀιγίλωψ) λέγεται.

(*b*) Eadem verba leguntur in GALENO de remediis parabilibus L. II. T. II. pag. 611.

(*c*) Cap. XX. Tom. X. pag. 513. Ægilops eſt ulcus inter oculos & nares, quod ſi fuerit neglectum, fit ex eo fiſtula putrefaciens.

(*d*) Tractat. de Oculis Cap. XXXII. Garab exit inter lacrymalem majorem, & multoties aperitur a parte verſus oculum, & eſt difficilis curationis, propter ſubtilitatem carnoſitatis, quæ eſt in eo, & multoties aperitur juxta lacrymalem, & forte aperitur verſus de foramine, quod eſt inter eum & oculum, & exit ex eo ſanies fœtida, & forte aperitur ſub cute unius palpebræ, & ambarum, & corrumpit cartilagines earum, & quando imprimitur palpebræ, defluit ſanies, & ſi negligatur, fit fiſtula, & corrumpit os.

(*e*) Tractat. IV. Doctrina II. Cap. II. Fiſtula in lacrymali fit utplurimum ex apoſtemate parvo dicto garab. Et paulo poſt: ſignificatur fiſtula ex apoſtemate quod præceſſit, & ex duritie, & forma calloſa & profunda.

§. XI.

Hi vero affectus, qui, ut ſupra oſtendimus, gradu fere inter ſe differunt, variis ex cauſis oriri ſolent. Homines qui depreſſiori, circa radicem, gaudent naſo, etiam frequentius his incommodis vexantur, quam reliqui. Æſtus ſolaris, ſi facies huic magis exponitur, quod ruricolis, & qui iter faciunt, ſolenne eſt, ſæpius viis lacrymalibus vim intuliſſe, harumque inflammationem excitaſſe, obſervatus eſt. Sic etiam aliæ læſiones externæ, vulnera vel ictus his partibus inflicti, nec non inflammationes eryſipelatodes, quæ totam faciem aliquando occupant, texturam illarum viarum turbare poſſunt, & ſolent, ut vitioſam, quam infantes a natura quandoque ſortiuntur, ſtructuram taceamus. In naribus polypi generantur, ozæna aliaque ulcera hinc inde ſerpentia ductum naſalem rodunt, vel ſanie ulceroſa implent, & ſerum lacrymale exitu prohibent, quod in in his partibus ſtagnans, facile partes arrodit, corrumpit & exulcerationes relinquit, aliquando etiam mucus narium ſpiſſior obſtructionis cauſa eſt. Iis etiam, qui lue venerea vel ſcorbuto ægri ſunt, propter humorum, in univerſo corpore, acrimoniam, facilis via panditur ad horum meatuum ulcera & deſtructionem. Omnium tamen frequentiſſime hæc vitia ab ophthalmia & variolis relinquuntur. Variolæ enim horum meatuum orificia, vel in naſo, vel in palpebris, vel mole ſua aut ſanie claudunt, & ſeri excretionem conſuetam impediunt. Cum oculo vero, ductus lacrymales magnum ſemper habent commercium, quia proxime, non ſolum cum perioſtio, ſed & ipſa tu-

nica adnata cohærent, ut ſic in ophthalmiis, cephalalgiis & hemicraniis, ex conſenſu facile patiantur. Lacrymæ etiam ſæpe in ophthalmia tam acres deprehenduntur, ut genas, per quas defluunt, arrodant; quare nec mirum eſt, ſi viæ lacrymales ex iis ad nares delapſis afficiuntur. Hoc etiam prætermitti non debet, obſtructionem, ut ex jam dictis patet, occaſionem præbere exulcerationi, mox hanc principium eſſe obſtructionis, & impediti lacrymarum decurſus. Sic etiam levior excoriatio tunicæ internæ ſacci lacrymalis, quando ejus parietes comprimuntur & coaleſcunt, lacrymiſque affluentibus tranſitum denegant, veram fiſtulam parere poteſt, quæ ex his affectibus levioribus, quando ii negliguntur, ortum capeſſit. Sanies enim ulceroſa ſtagnans canales hoſce, & præ reliquis ſaccum lacrymalem, & quod proxime ſubjacet perioſtium, erodit & prorſus deſtruit, novos etiam ſinus format, qui ſuccedente tempore callo inveſtiuntur, & hic morbus ſaltem fiſtula appellari meretur. Quandoque hi ſinus longius procedunt, & maxillam ſuperiorem vel ipſam orbitam occupant, variaque nova incommoda, inter quæ abſceſſus orbitæ maximam attentionem meretur, cauſantur. Novum etiam vitium, & nova in cura difficultas, fiſtulæ accedit, quando humores cauſtici oſſa exedunt, id quod, quia quod ſubeſt os unguis valde rarum ac ſpongioſum eſt, & facile corrumpitur, ſubinde accidere ſolet. Nonnumquam hæc ulcera & fiſtulæ carcinomatis naturam induunt, ubi quidem tritum illud proverbium: manum de tabula, obtinere ſolet.

§. XII.

Horum affectuum indoles vero a perito chirurgo facile diſcernitur; hoc autem melius fiet, ſi ſpecillo minimo Anelliano vias lacrymales exploraverit, materiam vero purulentam, quæ ex his, vel oculum verſus, vel nares, exprimitur, accurate inſpexerit. Quando enim ſaccus lacrymalis in angulo interno oculi elevatior conſpicitur, viæ vero utrimque patulæ ſunt, ut ſerum viſcidius, albicans tamen, & nullum ſpirans odorem, facta exterius digito compreſſione, & per nares & per puncta lacrymalia excernatur, lympha peccare creditur, quæ ſpiſſior facta, difficilius per hos meatus, anguſtos valde, movetur. Su-

pra notavimus Anellum peculiari, minus tamen convenienti, hydropis viarum lacrymalium nomine, hunc affectum appellaſſe. Hoc autem vitium, vel a reliqua humorum in corpore δυσκρασίᾳ, vel ab atonia glandulæ lacrymalis, hujuſque ductuum excretoriorum, qui humorem crudum & nondum depuratum ſecernunt, ortum capeſſit. Humor vero lacrymalis, per ſuperna orificia expreſſus, ſi magis purulentus, materiæ coctæ, benignæ tamen, ſimilis eſt, de obſtructione ductus naſalis teſtatur, quod ſerum hoc, ſi diutius in his anguſtiis moratur, tandem in pus quaſi coctum abire ſolet: ſpecillum autem immiſſum, & ab obſtaculo in itinere prohibitum, hanc obſtructionem luculentius probat. Quando viæ lacrymales jam ulceribus tentatæ, vel exeſæ ſunt, materia tenuis & ſeroſa, acris autem & cum ſanie ulceroſa, aliquando & ſanguine permixta eſt. In omnibus tamen his vitiis humores, pro ratione quæ ipſis in his meatibus conceditur moræ, variam indolem, variumque colorem induunt. Illi etiam acriores facti, fibras aliquando ſacci lacrymalis ſtimulant, & moleſto ſenſu afficiunt, quo criſpaturam his inducunt, ut ſic humores ſponte per puncta lacrymalia erumpant. Os vero, quod ſubeſt, denudatum eſſe, docet inæqualis, qui mediante ſpecillo percipitur, ejus contactus; materia etiam copioſior, pro ulceris ambitu, excernitur. De carie vero nos convincit os, quod mediante ſpecillo tangitur, valde ſcabrum, materia purulenta, fœtidi odoris, virideſcens, ac utplurimum nigricans, qualis materiæ indoles & in reliquis, in corpore, ulceribus, quibus oſſa vitiantur, a chirurgis agnoſcitur. Calli autem duritiem vel nuda, vel ſpecillo armata manus ſentit, is etiam in fiſtulis, quæ exteriora verſus apertæ ſunt, in oculos incurrit, materiæ etiam ſanioſæ & ichoroſæ peculiaris indoles, callum & veram fiſtulam indicat. Ulcus vero & fiſtulam in carcinoma abiiſſe, reliquæ περιτάσει, color partium vicinarum luridus, & lividus, contactus durior, quandoque etiam mollior, venarum inflatarum, & turgeſcentium varices, quandoque caro fungoſa luxurians, manifeſtum reddunt; de quibus CELSI (*a*) judicium, tales ἀιγίλωπας curare periculoſum eſſe, quia mortem maturant, triſti experientia comprobatur. Hernia ſacci lacrymalis tumorem facit, qui digito pau-

lo fortius compreſſus, evaneſcit, & humorem quem continet evacuat, mox tamen rurſus apparet, remoto digito, quia fibræ nimis laxæ, & tono naturali deſtitutæ, antiquum rurſus obtinent ſitum, id quod tunc in primis fieri ſolet, quando earum vis a cauſa externa ſoluta fuit. Quandoque etiam ſaccus lacrymalis a ſubjacente perioſtio ſeparatur, & avellitur, quamquam in reliqua ſua ſtructura integer prorſus & ſanus ſit, niſi quod ſuccedente tempore durior & ſcirrhoſus fieri ſolet; vaſa etiam illi vicina non raro diſtenduntur & varicoſa fiunt.

(*a*) Lib. VII. Cap. 7. §. 7.

§. XIII.

Ulcerationes vero viarum lacrymalium, & veræ fiſtulæ, ſi neglectæ fuerint, partibus quæ proxime illis adjacent, multum detrimenti inferre ſolent, ſinus enim fiſtularum nonnumquam longe lateque ſerpunt, & ſub integumentis ac muſculis genarum deſcendunt, aliquando etiam verſus oculi orbitam pergunt, in quam ſi pertigerint, bulbum oculi aggrediuntur, & acerbiſſimos cruciatus, ſæpius etiam affectum graviorem, quo univerſus oculus inflammatur, abſcedit, ac in pus abit, cauſantur. Caries vero, quando incrementum capeſſit, longe lateque gliſcit, & majorem oſſibus labem, ac ruinam infert, in naribus autem oſſibus turbinatis & ſquamoſis inimica valde eſt. Ozænam enim relinquit, id quod tunc eo facilius fit, quando reliquum corpus humoribus corruptis, ſcorbuto vel lue venerea infectis, ſcatet, quæ vix ulla arte perſanatur, ſed radicem naſi, quod venerei non raro experiuntur, deprimit & deſtruit: naribus etiam ſub ipſa chirurgia, quando fiſtulæ ex utroque latere fortius, & non cum debita circumſpectione aduruntur, non raro vis infertur. Sanie ulceroſa oculus etiam valde affligitur; hanc enim acriorem, ſi puncta lacrymalia fundunt, oculi tunicæ externæ punguntur, vellicantur & debilitantur: quare in adnata & palpebrarum cartilaginibus rubores & ſqualores, in cornea vero nebulæ, ſordes & lamellarum externarum excoriationes conſpiciuntur in iis, qui tempeſtivam fiſtulæ & ulceris lacrymalis curam recuſant, aut negligunt.

§. XIV.

De his affectibus vero ita ſtatuendum, ut ex majori vel minori harum partium læſione, etiam judicium & prognoſis formetur. Levis enim ſacci lacrymalis obſtructio & exulceratio facilem admodum medelam admittunt: majoribus difficultatibus implicita deprehenditur cura herniæ ſacci lacrymalis, maxime, ſi hic præter naturam induratus, vel totus a perioſtio avulſus eſt: fibræ enim relaxatæ & ſcirrhoſæ ægre ad priſtinum & debitum tonum reducuntur. Ulceratio vero profundior, & vera fiſtula, ab omnibus medicis & chirurgis, gravis valde, & difficilis curationis habita fuit, cum propter illam, quam poſtulant chirurgiam, & qua ſola, ut ex mox dicendis perſpicuum erit, curatur, & propter exquiſitum partium harum ſenſum, teneram earumdem texturam, quæ novis facile læſionibus, ſub ipſa enchyreſi, obnoxia fit, remediorum vero applicandorum acerbitatem & impetum, lubrica valde & plena periculorum exiſtat. Ægrius vero fiſtulæ perſanantur, quando oſſibus injuria, & vitium illatum eſt, niſi enim totum, quod vitiatum eſt, eradicetur, malum numquam propulſatur. Illa enim quam ANTONIUS MAITRE JEAN (*a*) allegat, experientia, fiſtulas veras, & carie infectas, ſponte curatas fuiſſe, valde ambigua vel inſolens admodum, & ſingularis videtur. Carcinomate laborantibus, nulla ſpes, niſi cruciatuum & mortis, tandem, omnis calamitatum finis, relinquitur.

(*a*) Traité des maladies de l'œil P. III. Chap. V. p. 468.

§. XV.

Therapia tamen fiſtulæ lacrymalis, tam a veteribus artis medicæ ſtatoribus, quam a recentioribus, variis modis tentata, nobiſque relicta & commendata fuit: Quas vero methodos fuſius recenſere, vel ideo inutile exiſtimamus, quod idem ab aliis prolixe factum fuerit. (*a*) Obiter notandum, GALENUM, (*b*) TRALLIANUM (*c*) & alios ex veteribus, magnam utplurimum remediorum farraginem, quæ ætatis illius indoles fuiſſe videtur, congeſſiſſe, quæ tamen, ſi rem paulo curatius examinemus, indiſtincte prorſus commendantur, quæ vel ſaltem diſſipandis & reſolvendis tumoribus, vel purgandis & conſolidan-

dis abſceſſibus, aliquo modo inſervire poſſunt; rem vero minime perficiunt. Ex recentioribus THEVENINUS, (*d*) ut ſibi eorum, qui ignem & ferrum horrent, gratiam conciliaret, cum remediis cauſticis & ſepticis idem tentavit, quod alii a chirurgia exſpectarunt; ejus vero modus agendi multis difficultatibus premitur, quare & chirurgicum ipſe præfert. Omnes vero hactenus medici & chirurgi, qui has viarum lacrymalium læſiones ſanare voluerunt, cum vera viarum lacrymalium ſtructura & uſus, nec non læſionum quibus afficiuntur, indoles & differentia ignorata fuerit, ſæpius curandi methodum atrocem & arduam, leviori malo applicuerunt. Ante aliquod tempus vero factum eſt, ut leviori morbo etiam proclivius, & dolorum acerbitate minus horridum remedium pararetur: id quod a celeberrimo STAHLIO inchoatum, ab ANELLO vero perfectum fuiſſe, ſupra indicavimus.

(*a*) Vid. Celeb. HEISTERUS in Diſſert. ſæpius allegata.

(*b*) GALENUS de remediis parabilibus Lib. II. Cap. IV. p. 610. T. X. Edit. Chart. & L. III. p. 640. & 660. Chirurgiam brevibus expoſuit in Introductione ſive Medico Cap. XIX. p. 394. Tom. II. HIPPOCRATES diſertam quidem fiſtulæ lacrymalis nullam fecit mentionem; probabilitati vero non adeo forte contrarium videtur, ſi locum, qui in Coacis Prænotionibus §. 511. T. VIII. p. 882. legitur, de fiſtula lacrymali interpretemur. Αἱ σύριγγες χαλεπώτατοί εἰσιν, ὅσαι ἐν τοῖσι χονδρώδεσί τε καὶ ἀσάρκοισι τόποισι ἐφύκασι, εἰσί τε κοῖλαι, μολύντικί τε, καὶ ἰχωροῤῥοέουσιν ἀεὶ, σαρκίον τε ἐπὶ τῷ ῥόμματι ἕτερον ἀνατέλλει. Hæc enim deſcriptio non ſolum optime cum fiſtula lacrymali convenit, ſed & mox in antecedenti paragrapho indicaverat, vulnera, quæ ſuperciliis infliguntur, ſæpe amauroſin relinquere, ita ut ex harum partium propinquitate, fiſtula lacrymalis, quam forte obſervaverat, ipſi facile in mentem venerit.

(*c*) Lib. II. Cap. VIII. Edit. STEPHANI Medicæ artis principum T. I. p. 180.

(*d*) THEVENIN Traité des Operations de Chirurgie Chap. 106. p. 126.

§. XVI.

Hoc vero luculentius patebit, ſi methodum Anellianam paulo curatiori examini ſubjiciamus, & ad veritatem revocemus, cum illa ab omnibus fere, qui rebus medicis & chirurgicis ſtudent, laudibus in cælum quaſi fuerit elata. Anellus enim, cum ipſi aliquando tale vitium in viis lacrymalibus obvium eſſet, bene perſpexit, illas, quæ ante eum in uſu fuerunt, methodos, harum læſionum naturæ & indoli minus convenire, &

de novo modo agendi cogitavit . Illi enim , cui , hac noſtra ætate , illarum partium textura multo notior eſſet , quam majoribus , in mentem venit , exulcerationem & obſtructionem ductuum lacrymalium vulgari , quæ nimis atrox eſt , chirurgia ideo opus non habere , cum & aliæ meatuum in corpore oppilationes variis inſtrumentis facile tollantur . Ideo ſpecilla excogitavit minima , quæ exiguis admodum ductuum lacrymalium orificiis quadrarent , ex argento , quod præ reliquis metallis flexibile ſatis eſt , & ab acrioribus humoribus non facile labem contrahit , nec rurſus vulneribus & ulceribus infert , fabrefacta , quibus in puncta lacrymalia immiſſis , materiam tenacem , & ſacco lacrymali inhærentem e loco movere , viaſque rurſus patefacere ſtuduit ; ut vero etiam ulcerationi mederetur , liquore , quo ulcuſcula hæc interna purgarentur & implerentur , ſaccum lacrymalem irrorare allaboravit ; quam ob rem ſubtilem ſyringem diligenter faciendam curavit , quæ huic uſui idonea
Vid. Fig. I. & II. eſſet . In plurimis ægris etiam , in primis in Sereniſs. Regis Sardiniæ matre , quæ haud ita pridem obiit , rem ex ſententia confecit , magnamque nominis famam , hujuſque inventionis primam ſibi gloriam paravit , cum ante eum nemo tale quid tentaverit . (*a*)

(*a*) Quamquam enim STENO in Obſervat. Anatomicis , de Vaſis Oris , Oculorum & Narium pag. 90. & 100. Fig. IV. ſpecillo , & STAHLIUS in Programmate ſ. c. chorda chelyos has vias exploraverint , illud tamen a priori in cadaveribus ſaltem , & ut videtur , brutis , ab altero vero eam ob cauſam factum eſt , ut inciſionis , quam in ſacco lacrymali meditabatur , directionem inveniret ; ut ideo hujus inventi laus ANELLO denegari non debeat . Contra BIANCHI Diſſert. ſ. c. defendit eum MORGAGNUS l. c. Adverſ. VI. Animadv. 64.

§. XVII.

Id , quod vero ſæpius fieri ſolet , ut ii , qui aliquid novi in lucem edunt , non mediocrem de fœtu ſuo ſpem & voluptatem concipiant , idem etiam Anello obtigiſſe videtur . Non ſolum enim magno ſtudio illud egit , ut a viris celeberrimis , propter hanc , qua ſibi placebat , inventionem , litteris & encomiis decoraretur , quæ in unum volumen congeſta , propter magnam earumdem copiam , & propriam , qua ſordere videntur laudem , non poſſunt non cuilibet ad nauſeam uſque moleſtæ eſ-

ſe; ſed etiam mox ſibi & aliis perſuaſit, hac nova enchyreſi, ſi non omnia, plura tamen viarum lacrymalium vitia, quæ communi fiſtulæ nomine minus recte appellavit, ſanari poſſe. Negat quidem ſæpius, callum & cariem, ſi profundiores egerint radices, hac enchyreſi tolli poſſe, quamquam, in quo & celeberrimum HEISTERUM (*a*) conſentientem habuit, de illa ſperet fore, ut hoc remediis magis idoneis, ſuccedente tempore adhuc inveniendis, tandem perficiatur, cum jam levior callus & caries iiſdem reſolvi & auferri queat. (*b*) Hoc tamen experientia indubia comprobatum nondum videtur. Nam, ſi dicendum quod res eſt, illa quam ANELLUS primum in Abbate Fieſchi curavit læſionem, ne quidem ulcus profundum, ne dicam fiſtula vera, fuit, ſed obſtructio ſaltem ſacci lacrymalis, &, quod adhuc valde dubium eſt, levis exulceratio: quare etiam cuidam mirum videri poſſit, cur materia ex punctis lacrymalibus expreſſa, adeo fœtidi fuerit odoris, cum hoc non niſi in profundioribus exulcerationibus, & ipſa carie obſervari ſoleat. Illa vero ſic dicta fiſtula, qua Sereniſs. Regis Sardiniæ mater laboraverat, ſinus fuit minoris ulceris, vel ſacculus quidam, qui ex meatu lacrymali palpebræ inferioris, inter duplicem hujus membranam progreſſus, nihil commercii cum ſacco lacrymali & angulo interno oculi habuit (*c*): quare & hic morbus non commode ad fiſtulas lacrymales referri poſſe videtur. Hæc omnia ergo, ſi quis bene penſitaverit, facile manifeſtum erit, cum jam in ſuperioribus quoque extra dubium poſitum ſit, ad reliquarum, & lacrymalium fiſtularum naturam, callum requiri, vix veram fiſtulam methodo ANELLIANA, cui de reliquo nihil laudis ſuæ derogatum volumus, curari poſſe; ſed ad aliam chirurgiam eſſe recurrendum. Si quis enim, cujus animus ſtudio partium infectus non eſt, paulo attentius conſideraverit, quam acria & violenta iſta ſint remedia, quibus callus & caries vincuntur, facile largietur, tam levem injecti liquoris copiam, in partibus ſenſu exquiſitiſſimo præditis, hoc minime abſolvere poſſe, cum & ipſe oculus, qui, quod vulgo notum eſt, vel rerum minus acerbarum impatientiſſimus eſt, facile his remediis offendatur. Cum præterea hoc nulla hactenus indubia experientia confirmatum fuerit, & celeberr. HEI-

STERUS (*d*) ipſe a ſua ſententia aliquo modo deſtitiſſe videatur, clarum erit methodo ANELLIANA fiſtulas lacrymales ſanari non poſſe.

(*a*) Diſſert. ſ. c. p. 26. leviorem callum, & cariem hac methodo extirpari poſſe aſſerit, quamvis hoc de leviori ſaltem callo dictum velit in Chirurgiæ Edit. noviſs. p. 493.

(*b*) Vid. la Suite de la Nouvelle Methode p. 24.

(*c*) Vid. in ANELLO paſſim, & in HEISTERI Diſſert. ſ. c. p. 63. Eadem confirmavit quondam Pariſiis Dn. VERNE Junior, Chirurgus Regis Sardiniæ, cujus pater in conſilium vocatus fuerat.

(*d*) In Chirurgiæ editione nova l. c.

§. XVIII.

Hæc vero ANELLIANA methodus, quæ elegans de reliquo eſt, & in aperiendis viis lacrymalibus, iiſque a levi excoriatione repurgandis valde utilis, quomodo exerceri debeat, nunc tradendum eſt. Æger in ſella paulo demiſſiore collocatus, ex omni parte luce ſerena irradietur; optime vero id fiet, ſi non obverſus ſoli, ſed paululum ex illo latere, quod oculo affecto reſpondet, ponitur. Diducuntur palpebræ, manus ſiniſtræ pollice & indice, ita tamen, ut altera harum, in cujus punctum ſpecillum vel ſyrinx immitti debet, quodammodo verſus oculi canthum externum retrahatur, & ſimul paululum inflectatur. Dextra vero ſpecillum leviter incurvatum, per puncta & meatus lacrymales immittitur, ita ut ſenſim ac ſenſim, ſuſpenſa manu, & terebrante quaſi motu urgeatur. Facilius hoc ex puncto ſuperiori ſuccedit, quam ex inferiori, quia deſcenſus ad ſaccum lacrymalem minus obliquus exiſtit; quare etiam pus per punctum ſuperius ſæpius, & copioſius exprimitur. Ægrius ſpecillum admittunt nares depreſſæ ac repandæ, quam aduncæ; quare in illis provide agendum, ne ex violentia læſionem patiantur. Specillum etiam, ſi ejus motus cum debita modeſtia, paulo diutius continuatur, viam facile & per materiam ſpiſſiorem tranſitum invenit. Has vero vias reſeratas eſſe, certior fit chirurgus, quando materia cum tantillo ſanguinis mixta, per nares ejicitur. Hanc vero enchyreſin diutius, & per aliquot dies continuari, neceſſe eſt, quod alias ex levi vulnere, aut ulcere, latera viarum facile coaleſcunt: quare & hoc in primis obſervari debet, quando ulcera in ſacco lacrymali carnem ale-

re, & conſolidari incipiunt; cavendum tamen, ne nimis frequenti exploratione partes plus juſto irritentur. Ad ulcerationes vero ſanandas ſyrinx etiam in uſum vocari debet, qua mediante per utrumque orificium liquor conveniens injiciatur. Talem vero quilibet chirurgus facile ſeligere poterit, qui huic ſcopo inſerviat. Tenuis & limpidus eſſe debet, nec nimium acris, quare etiam remedia, quibus alias vulnera glutinantur & quæ digeſtiva appellari ſolent, abeſſe debent. Optime conducit ſolutio ſalis ſic dicti neutrius, vel acidularum, & thermarum, quali etiam ANELLUS uſus eſt, & qualis nobis eſt Sal Ebshamenſis, aut novus Sedlicenſis, cujus unciæ j. cum aquarum deſtillatarum unciis iij. commode miſcentur; liberum etiam erit, ſi quis tantillum myrrhæ aut aloës addere velit. Hac autem chirurgia, quando iteratis vicibus, per aliquod tempus continuatur, oppilationes, & leviores exulcerationes ſacci lacrymalis curantur. Monendum tamen, quando partes hæ vel ab eryſipelate, vel a violentia externa inflammatæ ſunt, ſpecillorum uſum non prius valere, quam inflammatione ſoluta aut remittente. In ophthalmiis etiam acrior humor, & ſeri lacrymalis affluxus, corrigi prius, & derivari debet, niſi hanc ANELLIANAM methodum ineſficacem prorſus experiri velimus.

§. XIX.

Serum lacrymale, ſi vel nimis abundat, vel propter ſuam viſciditatem difficilius per hos arctos valde meatus tranſit, præter jam recenſitam chirurgiam, etiam alia remedia in auxilium vocanda ſunt. His ægris enim alvus hydragogis ſæpius moveri, ac decocta & infuſa reſolventia propinari debent. WOOLHOUSIUS millepedarum ſilveſtrium, quæ triginta duobus pedibus inſtructæ, a domeſticis diſtinguuntur, uſum valde laudat, quarum viginti, vivas adhuc conquaſſatas, cum hauſtulo vini ſumendas ſuadet. Veſicatoria, fonticuli in nucha, vel quod optimum eſt, ſetaceum, hunc nimium humorum affluxum impediunt, quemadmodum etiam ſternutatoria, quibus aliquando levior & recens obſtructio viarum lacrymalium unice tollitur, in hoc morbo multum proficiunt.

§. XX.

Aliis remediis opus eſt in reſtituenda hernia ſacci lacrymalis . Vitium ſi ſaltem in aliqua fibrarum atonia conſiſtit , ita ut exterius nulla vel levior acceſſerit læſio , compreſſione curatur , quæ vel peculiari , ad hunc uſum accommodato inſtrumento ferreo , vel facta deligatione cum faſciis , & ſubjecto multiplici panno , in cujus vicem nonnulli charta bibula maſticata , utuntur , fieri ſolet : ferreum tamen compreſſorium aliis merito præfertur . (*a*) Cavendum tamen , ne juſto fortior compreſſio inflammationem excitet : Via etiam libera & patula ſervanda eſt , quare & hic ſpecillorum , frequentius immittendorum , uſus negligi non debet , liquor moderate adſtringens , mediante ſyringe , injici , & exterius emplaſtrum contra hernias , vel aliud virtute tonica pollens imponi poteſt . Hæc vero methodus , ſi felici eventu deſtituitur , ad inciſionem recurrendum eſt : illa autem antequam ſuſcipitur , ſaccus lacrymalis in ſitu ſuo ad angulum internum , & progreſſu ad nares , mediante ſpecillo explorari debet . Nam ſectio juxta ſpecilli deſcenſum , in longitudinem fiat . Vulnus enim , tranſverſim inflictum & ægrius coaleſcit , & cicatricem relinquit , quæ reliquæ ſtructuræ facile nocet . Ex remediis , huic ulcuſculo imponendis , illa ſeligenda ſunt , quæ ſine prævia digeſtione vulnera cito replent , qualia ſunt balſamica , & ex his optimum balſamum verum de Mecha , cujus guttula una vel altera immiſſa , vulnus cito curat , & ſacco lacrymali priſtinum robur reddit . A vaſis autem varicoſis cavendum , ne illa incidantur , ſanguinis enim profluvium difficilius , & aliquando non niſi aduſtione coërcetur . Si itaque illa majora , & cum reliquis partibus nimium indurata , & ſcirrhoſa fuerint , niſi externis emollientibus & reſolventibus , priſtinæ integritati & tono reſtituantur , nullam aliam , quam ſacci lacrymalis extirpationem , & quam vera fiſtula exigit curationem admittunt .

Vid. Fig. III.

(*a*) Inventio hujus tribuenda videtur HIERONYMO FABRICIO ab AQUAPENDENTE , vid. ejus Chirurgiam P. II. Cap. XXII. & Tabulam B. Vide etiam figuram in HEISTERI Chirurgia Tab. XI. pag. 11. Edit. novæ .

§. XXI.

Ad hanc vero ut eandem accedamus, nolumus varias chirurgorum, quas commendarunt, methodos recenſere. (*a*) Cuncti in eo laborarunt, ut ulcus & fiſtula aperirentur, vel ſi exterius aperta jam fuerint, nova ſectione diducerentur, caries vero, vel raſorio, vel cauſticis, vel ferramento ignito tolleretur, parum de lacrymarum ad nares tranſitu, qui ipſa hac ſectione, & aduſtione impeditur, ſoliciti. Illud enim foramen, quod perfoſſo oſſe unguis., nares verſus aperuerunt, ideo nullius prorſus utilitatis eſſe potuit, quia hoc ſub reliqua ulceris & vulneris curatione, mox rurſus clauditur. Nec ſacci lacrymalis, qui penitus & cum cura eradicari debet, ullus rationem habuit; in quo tamen, niſi prorſus eximatur, & quando cum vulnere quoquo modo coaleſcit, lacrymæ per puncta lacrymalia perpetuo affluentes, ſubſiſtunt, & oculum plorantem relinquunt. Humor etiam ſtagnans rurſus mutatur, acris fit, ac tandem novum ulcus, & recrudeſcentem fiſtulam parit. Et plures non ſolum auctores probe annotarunt, hanc oſſis unguis pertuſionem, propter carnem, quæ mox interſtitium rurſus occupat, ſupervacaneam & inutilem eſſe; (*b*) ſed experientia etiam edocuit, plurimas fiſtularum curationes, dubii plane & infelicis fuiſſe eventus. Hac quidem noſtra ætate, nonnulli chirurgorum huic incommodo medelam allaturi, ſuadent, ut turundis foramen tamdiu patulum ſervetur, donec ejus ambitus callo inveſtitus fuerit, nec nova per carnem oppletio metuenda ſit. (*c*) Illam vero quam WOOLHOUSIO debemus enchyreſin, & cujus celeberr. HEISTERUS (*d*) aliquam, quamquam non diſertam, mentionem fecit, & huic, & reliquis merito præferendam judicamus.

(*a*) Vid. HEISTERI Diſſertationem ſ. c.

(*b*) GUIDO de CAULIACO in Chirurg. Tract. IV. Doctr. II. Cap. II. pag. 37. Modum autem curandi, & perforandi cum ſubula, ad calamos narium, non laudat HEBEN MESUE, neque ego in eo inveni effectum. Nam ſatis cito, poſt impletum foramen oſſis, nihil eſt, quod currere poſſit ad nares. Vide & locum ex PETRO de MARCHETTIS in HEISTERI Diſſert. ſ. c. p. 41.

(*c*) Vid. St. YVES Traité des maladies des yeux pag. 74. & ex eo HEISTERUS in Chirurgiæ edit. nov. pag. 491. Quam vero GARENGEOT Traité des Operations de Chirurgie T. II. Chap. XXXVIII. p. 81.

& ex hoc HEISTERUS loc. cit. recenſet methodum celebris apud Pariſienſes chirurgi, PETITI, illam adhuc valde obſcuram, & ambigui uſus videri, fatemur. Poſthabita enim pertuſione oſſis unguis, cereum minorem (une bougie, *ein Schneider-Kerzgen*,) per orificium fiſtulæ exterius in ſaccum lacrymalem immiſit, & hanc tam diu in eo ſervavit, donec partes ſuperiores priſtinæ integritati reſtitutæ fuerunt. Hic vero modus agendi in ulceribus profundioribus, & in quibus major portio ſacci lacrymalis exeſa, vel callo indurata eſt, minus ſufficit, & nullum invenire poteſt locum: in ductus naſalis vero ſimplici obſtructione, ſpecilla Anelliana eumdem, & magis fidum præſtabunt effectum.

(*d*) In Chirurgiæ edit. nov. pag. 494. Sine dubio, id quod tamen pace Viri Celeberrimi dictum ſit, ipſi hæc inventio, quæ WOOLHOUSIO unice debetur, ex hujus ſcriptis ineditis cognita fuit. Illa enim ipſi non prorſus obſcura fuiſſe, forte illi ſuſpicari poſſent, qui nonnulla ex Chirurgia capita v. g. de hypopio, ſtaphylomate &c. cum WOOLHOUSII dictatis contulerunt. Antiquæ vero, quæ animoſe ſatis inter eos agitatæ fuerunt controverſiæ, ſine dubio, impediverunt, quo minus WOOLHOUSII nomen adponeretur, cum tamen St. YVES, non ſolum ſæpius valde laudetur, ſed & error, in quem definitione hypopii & unguis lapſus eſt, forte nimia modeſtia excuſetur. Vid. HEISTERI Chirurg. p. 523. & St. YVES p. 222.

§. XXII.

Illa enim ſequentem in modum a chirurgo adornari debet: quando chirurgus de morbi natura, ſæpius facta exploratione, certior factus eſt, ad reliquum corporis habitum in ægro reſpicere debet. Qui enim morbis ſeroſis inquinati ſunt, ab his prius liberentur, neceſſe eſt, quia in iis ulcera & vulnera, propter humorum acrium & ſanioſorum affluxum difficilius ſanantur. Ætate provectiores, infantes, & qui corpore valde infirmo & ſenſibili præditi ſunt, hoc auxilii genus non facile ſuſtinent. Plethoricis vena incidenda eſt aliquoties, vel ſi una ſaltem ſectio celebretur, illa largior eſſe, & poſt fiſtulæ ſectionem iterari debet. Robuſtioribus alvus paulo valentiori medicamento ducenda eſt, veſperi vero ante chirurgiam, rurſus inteſtina clyſmate a fecibus repurgentur; de reliquo æger optimo cibo, faciliori tamen ad concoquendum, nutriatur: Nec nocet, ſi mox ante quam ipſa ſectio fit, aliquo cardiaco vel hauſtu vini generoſi muniatur. Collocari debet in ſella minori, ita ut dorſum & caput vel crepidine, vel famulo fortiori ſuſtineatur. Manus a famulis adſtantibus utrimque cohibeantur, ne impediant; chirurgus vero, in ſella paulo elatiori, ante ægrum, conſtitutus, genubus ſuis ægri pedes contineat, qua-

lis alias ſitus in deponenda cataracta obſervari ſolet. Hoc tamen diſcrimine, quod in hac noſtra fiſtulæ chirurgia, æger ex adverſo; in cataracta, ex latere a luce irradietur. Alter oculus ſanus, impoſito collyrio, ex aquis roſarum, plantaginis & fœniculi, albumine ovi, cum ſachari ſaturni & aluminis pauxillo, deligari ſolet. Reclinato capite ſectio inſtituitur. De hujus vero directione, etiam variæ apud auctores reperiuntur ſententiæ: illud maxime cavendum eſſe videtur, ne nova læſio inducatur palpebræ inferiori, quæ aliquando invertitur, cui morbo nomen eſt *ectropium*. Plurimi omne momentum in eo ponunt, ut tendinea moles muſculi orbicularis, quæ in angulo interno oculi conſpicitur, integra & illæſa ſervetur; hanc enim ſolam, ſi vitiata fuerit, ectropium relinquere. In aliam tamen alii abeunt ſententiam, & ex his inprimis ARNOLDUS, Chirurgus Gallus, qui cutis portionem, qua exterius palpebræ in angulo interno junguntur, accuſat: quare illius potiorem habendam eſſe rationem ſuadet, quam tendinis mox nominati. Hanc ſuam ſententiam etiam ratione, quod orbicularis ex omni parte oſſibus orbitæ adhæreat, & propria etiam experientia firmat. (*a*) Hoc etiam veritati valde conſentaneum videtur: quare chirurgus, cum unius rei plures cauſæ eſſe poſſint, utriuſque, & tendinis & cutis integritati proſpicere poteſt. Inciſio fit ſcalpello leviter falcato, vel, quali PETITUS utitur, a GARENGEOT (*b*) delineato, myrtiformi, quod, quia anceps eſt, & mucrone fortiori munitum, & in oppoſito fine ſcalpellum hebetius rotundum habet, quo integumenta & carnes commode ab oſſe removeri poſſunt, illi præferendum videtur. Sectio dirigitur in ſemicirculum, cujus principium ſit in radice naſi, juxta proceſſum, quo oſſibus narium, coronale jungitur; continuatur per medium fiſtulæ tumorem, ut pars convexa nares, concava vero, orbitam reſpiciat; terminatur juxta radicem palpebræ inferioris, hujuſque circiter medium. In ipſa ſectione inſtrumentum paulo fortius adigendum eſt, ut ſtatim ad os uſque pertingat: adjuvat etiam ſiniſtra, quæ cutim utriuſque palpebrarum ad oculi canthum externum retrahit, & oculum propter formidinem obtegit. Poſt hæc ſcalpello obtuſo (Gallis *dechauſſoir*) vulnus dilatatur, & perioſtium a ſubjacente oſſe re-

Vid. Fig. IV.

movetur . Quia vero ſanguinis profluvium chirurgum multum impedire ſolet , non immerito nonnulli ſuadent , ut quod ſupereſt hujus , quæ manibus fit , curationis , in craſtinum differatur ; ſanguinis vero profuſio , niſi valde impetuoſa ſit , facile reprimitur , impoſito panniculo cum ſpiritu vini , vel aqua ſclopetaria madefacto , & debita cum faſciis delegatione . Arteriæ autem læſæ impetus , quandoque ferramento ignito , optime fortiori , aſſidua & æquali manuum compreſſione cohibetur .

(*a*) Vid. GARENGEOT. loc. cit. Idem jam ſuo tempore obſervavit GALENUS de Uſu partium L. X. Cap. X. T. IV. p. 544. Τὴν μὲν δὴ περὶ τὰ βλέφαρα τέχνην τῆς φύσεως , ἐξευρικέναι τε , καὶ καλῶς ἐξηγήσασθαι δοκοῦσιν οἱ ἄριστοι τῶν ἀνκτομικῶν , ὡς ἔιρηται νῦν . ἐγὼ δὲ ἐπειθόμην ἂν αὐτοῖς ἤδη τὸ σύμπαν εἰ τὸν τιτρωσκόμενον μεγάλῳ κινδύνῳ μὴν ἐμαυτὸν ἔπειθον ἀκριβῶς ἑωρακέναι . νυνὶ δ' οὖν τε γὰρ ἐκεῖνον οὐδέπω σκοπῶν εἶδον ; ἔν γε ταῖς ἀιγιλώπων χειρουργίαις , ἐν αἷς ἐ μόνον ἐκκόπτεται πολλάκις , ἀλλὰ καὶ καίεται σύμπαν ἐκεῖνο τὸ χωρίον , ὡς ἐνίστε λεπίδος τῶν ὑποκειμένων ὀστῶν ἀφίεσθαι , μηδὲν ἐς τὴν κίνησιν ἐμποδίζομένης τῆς βλεφάρου .

(*b*) V. le Nouveau Traité des Inſtrumens de Chirurgie Tom. II. p. 11.

§. XXIII.

In eo vero omnes hactenus auctores , qui de fiſtula lacrymali egerunt , lapſos eſſe obſervamus , quod quidem pertuſionem oſſis lacrymalis commendaverint , ſacci lacrymalis autem exſtirpationem plane neglexerint . Hæc vero ideo neceſſaria omnino exiſtit , quod , ſi chirurgo minus penſi eſt , lacrymæ , quæ ſemper ad has partes deſtillant , denuo ſubſiſtunt , putrefiunt , & novam ſæpe fiſtulam generant . Evellitur vero ejus ſuperior portio , tranſverſim facta inciſione , ad locum , quo meatus lacrymales in eum terminantur , ſpecillo per hos immiſſo , quod chirurgum , ne callo fiſtulæ decipiatur , de ſacci lacrymalis ſitu certiorem reddit . Ut vero lacrymis etiam , per novam viam ad nares deducendis proſpiciatur , os unguis perterebrari , & novus canalis non ſolum formari , ſed & ſervari debet . Fit autem pertuſio hæc a nonnullis ferramento ignito , quod vero tunc ſaltem , quando os vitiatum eſt , admittitur . Alii utuntur trepano acuto , alii inſtrumento in hunc uſum fabrefacto (Gallis *pouſſoir* dicto) . Optime convenit ſpecillum ſulcatum , (*ſonde creuſe*) cujus latera & cuſpis paululum cultellata ſunt . Perfo-

Vid. Fig. VI.

Vid. Fig. VII.

ratio vero ita dirigenda eſt, ut & orbitæ, & radicis narium ratio habeatur; illam vero ad nares tranſiviſſe, ſanguinis ſputum, & ex naribus profluvium indicant. Specillum ſulcatum in novo foramine paululum rotatur, ut hoc, quantum fieri poteſt, rotundum fiat. Vulnus vero ab oſſium ſquamulis ſtudioſe repurgandum, & calida eluendum eſt; quod vero feſtucarum reliquum eſt, ſuccedente tempore abſcedit. Ante omnia vero turunda paulo fortior immitti debet in foramen, ne rurſus mox claudatur. Imponuntur remedia, quæ inflammationi reſiſtunt; ex his optime paululum theriacæ in ſpiritu vini ſolutæ, quo linteum carptum irroretur, oculo vero conducunt impoſita linteola, ſupra dicto collyrio, vel, ſi valde inflammatur, decocto herbarum quæ reſolvunt, & tonum augent, cum vino rubro madefacta: emollientia, & quæ ſuppurationem augent, vitanda ſunt, niſi major jam durities his partibus ex inflammatione acceſſerit. Ex faſciis convenit quæ monoculus dicitur. Hæc vero pannulis tabulatim ſibi impoſitis paulo fortius adſtringitur, quia alias turunda facile elabitur.

§. XXIV.

Succedente tempore, hæmorrhagia ac inflammatione prorſus ſedatis, ſordes a vulnere deterguntur, & ſinuum fiſtuloſorum callus exſtirpatur, quod vel ſcalpello fit quo is inciditur, aut ſaltem ſcarificatur, vel fortioribus remediis. Hæc autem, ſi opus eſt, talia ſeligi debent, quæ oculum non nimis offendunt, nec ſtatim colliquantur, & eumdem ingrediuntur, multa tamen in earum adplicatione cautio & diligentia adhibenda eſt. Celerrimæ efficaciæ eſt lapis infernalis: caute loco affecto, vel per calamum, vel per emplaſtrum, quod in medio perforatum eſt, applicatur. Oſſis etiam, ut abſcedat, & ab inhærentibus feſtucis liberetur, ratio haberi debet, & cavendum. eſt turunda impoſita, ne vulnus coëat, ſed ut foramen potius callo obducatur. Poſtquam autem vulnus, ab inquinamentis & callo repurgatum eſt, illud agendum, ut nova lacrymis efficiatur via. In hunc finem ſæpius laudatus Dn. de WOOLHOUSEN, qui in ὀφθαλμιατρία omnium facile prin-

ceps eſt, fiſtulam minorem excogitavit, qua illud foramen aper-
Vid. Fig. VIII. tum tenetur. Hæc ex auro, argento vel plumbo fabrefacta, duplex eſt. Prima, quæ callo formando ſaltem inſeruit, in parte externa oram habet, qua carnes paululum reprimuntur: magnitudo & extenſio, pro diverſa narium conformatione, variat. In hoc vero totius rei cardo vertitur, ut mediantibus ſpecillis minimis, & frequenti per ſyringam injectione, meatus lacrymales verſus hunc novum canalem dirigantur. Interea vulnus externum, remediis carnem rodentibus, tamdiu ſervari debet, quoad hoc ſuccedat, & deligatione etiam fortiori, & impoſitis pannulis, & charta maſticata, & ipſo etiam inſtrumento ferreo, quod ſupra ad herniam ſacci lacrymalis curandam commendavimus, hic minimus tubulus in ſitu ſuo contineatur. Quando vero omnia eo directa ſunt, ut humor lacrymalis per hunc meatum arte formatum ad nares defluere incipiat, reliquum vero vulnus ad conſolidationem properet, tubulus mu-
Vid. Fig. IX. tatur cum cannula minori, aurea vel plumbea, quæ nullam exterius oram habet: hæc ita adaptanda eſt, ut ejus orificium foramini æquale ſit, & oſſe bene fulciatur. Poſt hæc cicatrix exteriori vulneri ita inducenda, ut hæc cannula, ſupercreſcente carne ac integumentis, tegatur, & occludatur; id quod frequenti labiorum vulneris ſcarificatione, & impoſitis remediis quæ carnem augent, obtinetur; cavendum tamen eſt, ne cicatrix exteriora verſus inæqualis fiat & deformis. Poſt curatum vulnus vero, inſtrumentum ferreum per aliquot menſes adhuc geſtandum eſt, quo canalis in loco contineatur. Æger etiam, quantum poteſt, a ſternutatione & vomitu abſtineat. Juxta hanc methodum, ſi omnia bene obſervantur, fiſtula lacrymalis perfecte curatur, nec oculus poſt curationem lacrymabitur. Quamquam enim poſt aliquod tempus, quod interdum fieri ſolet, hæc cannula tandem, ex quacumque corporis & capitis violentiori commotione, per fauces decidat, tunc tamen, quia novus meatus jam efformatus eſt, & debite induratus, nullus amplius obturationis eſt metus, & omnia recte ſe habent, inprimis, ſi, quod ſupra monuimus, ſaccus lacrymalis debite & radicitus fuerit exſtirpatus. Qui vero, vel fiſtula, vel ulceratione ductuum lacrymalium laborantes, hanc

arduam extimeſcunt chirurgiam, iis leve quoddam ſubſidium eſt, ſi digito exterius applicito pus frequentius per puncta lacrymalia exprimunt, & ne hoc diutius ſubſiſtens acrius fiat, impediunt.

§. XXV.

Jam vero quædam de iis fiſtulis addenda, ſub quibus os carie infeſtatum reperitur. Illæ autem ſi vitium profundius hæret, & vel orbitam, vel maxillam ſuperiorem, vel interiora narium occupavit, difficilius, & prorſus non ſanantur. Nam ut CELSUS jubet, totum vitiatum eximendum eſt. Leviorem vero oſſis unguis, & proxime adjacentium cariem, varii variis remediis tentarunt, optime tamen illa aut ſcalpello raditur, aut ferramento aduritur. Quando itaque illa os unguis obſidet, hoc non pertundi, ſed cauterio ad nares uſque, aduri debet. Antequam vero ferramentum ignitum admovetur, oculus ſplenio madefacto, & impoſita lamella argentea, quæ pro bulbo oculi excipiendo aliquantum concava, ad illud vero latus, quo oſſi unguis imponitur, foramine pertuſa eſt, muniendus eſt. Hæc ab adſtante famulo firmius ad oculum tenentur, chirurgus vero ſiniſtra admovet aliud inſtrumentum ferreum, Gallis infundibulum (*entonnoir*) dictum, quod proxime oſſi carioſo, ſtilo viam monſtrante imponit; ferramentum ignitum deinde per hoc immittitur, quæ aduſtio tamdiu continuanda, donec carioſum deletum eſt, foramen vero ad naſum uſque pertingit. Cavendum tamen, ne interiora narium fortius adurantur, & radix narium ex incauta aduſtione deſtruatur. Etiam, quia infundibulum mox incaleſcit, ferramentum vero refrigeſcit, utrumque duplex ad manus ſit. Alterum enim frigida, alterum prunis, quæ ſuppetant, imponendum eſt. Si aliquid cariei reliquum fuerit, illud ſcalpro radendum eſt. Poſtquam ſquama craſſior, quam aduſtio relinquit, abſceſſit, eadem in curatione obſervari debent, quæ mox de fiſtula dicta fuerunt: quando vero caro luxurians chirurgum valde impedit, quæ oſſibus carie vexatis familiaris admodum eſt, hanc lenioribus ſepticis, inter quæ &

Vid. Fig. X.

Vid. Fig. XI.

Vid. Fig. XII.

Vid. Fig. XIII.

vitrum, in ſubtiliſſimum pulverem redactum commendamus, coërceat.

§. XXVI.

Ut vero hæc etiam aliquo exemplo firmentur, nolo nunc experientiam Dn. de WOOLHOUSEN allegare. Sed unicum ſaltem in medium proferre licitum erit, quo quondam, duce WOOLHOUSIO, cum erudito & rerum chirurgicarum peritiſſimo Dn. GLADBACH, Regis Magnæ Brittanniæ Chirurgo, tunc laborum ſocio & amico æſtumatiſſimo, hac methodo fiſtulam ab aliis ſæpius relictam curavimus. Femina XLV. annorum, MARIA CARBON, quam DE St. YVES per decem menſes ſectione, & ipſo cauterio, alius chirurgus per duos menſes tentaverant, impoſtores vero & circulatores, variis adminiculis, incantamentis etiam adhibitis, poſtquam ſe tandem ſubtraxerant, hoc modo agendi, a nobis priſtinam ad integritatem perducta eſt. Nec ullus poſtea lacrymarum per genas defluxus obſervari potuit.

§. XXVII.


Breviſſimis adhuc indicandum videtur, oculum lacrymantem etiam in iis oriri, quibus orificia, vel puncta meatuum lacrymalium, juxta palpebrarum cartilagines clauſa ſunt. Iis hoc vitium familiare eſt, qui igne fortiore metalla propius tractant. Nam calore & æſtu tali intenſiore humidum lacrymale diſſipatur, ut nihil ejus, per vias lacrymales deſcendere queat: quare hæ tandem collabefiunt, & ſibi agglutinantur; malum niſi recens ſit, & vitæ genus mutetur, largiori ſimul adhibito potu, non curatur. Ulceratio etiam meatus lacrymales minores aliquando exeſt, quæ in palpebrarum membranis profundius ſerpit, & propter materiam, quam in oculum per punctum lacrymale ſtillat, fiſtulam mentitur: quo morbo Sereniſs. Matrem Regis Sardiniæ laboraſſe, ſupra indicavimus. Fiſtulæ minores etiam, in ipſis extremitatibus palpebrarum ex glandulis Meibomianis, exulceratis oriuntur, in quibus omnibus ca-

vendum, ne, vel ſecando, vel rodendo orificium meatuum lacrymalium lædatur, & tonum ſuum ac robur perdat. Aliquando etiam in his levis ſectio locum invenit; alias remedia, quæ ulcera abſtergunt, mediante ſeta porcina immitti poſſunt. Oculus vero, & inprimis cornea, quando palpebris paulo fortiora adhibentur medicamina, muniri debet inſtrumento corneo, (Gallis *emboitement* dicto) vel veſica aurifabrorum, axungia quadam imbuta, & bulbo impoſita. Reliqua peritum & providum chirurgum harum rerum uſus & exercitium facile docebit. Nos, ut tandem huic diſſertationi finis conſtituatur, noſtraque conamina juſtis rerum chirurgicarum æſtimatoribus, & cujuslibet lectorum benevolentiæ committimus & commendamus.

F I N I S.

Venditur hoc Volumen Libris 16. Venetis.


Fig. II
Fig. IX
Fig. III
Fig. I
b
a
Fig. IV
c
Fig. V




a
b
c
c
d
d
Fig. X
Fig. X

Fig. VII




Fig. XVII





Fig. VIII



Fig. XII





XV



XV



XV

Fig. XIV



Fig. XVI








Fig. XVIII

Fig. XIII

DOUT FOLDOUT FOLDOUT FOLDOUT


Fig. I
a
b
Fig. II
a
a
Fig. IV
a
Fig. VI
Fig. V
a
b
Fig. VII
a
Fig. XII
Fig. XI
Fig. XIII
Fig. X
b
a
Fig. IX
a
b
b
a
Fig. XIV
a
Fig. VIII
a
a
g
d
c
c
b
Fig. III
f
f
a
g

Morborum
Ancyloblepharum §. 331.
Vulnera §. 883.
Sanguinis profluvia §. 404.
Aneurysma §. 420.
Dolor §. 456. 460.
Nervorum distentio §. 456.
Tendinis sutura §. 457.
Vulnera sclopetorum §. 460.
Articulorum vulnera §. 466.
Vulnera quae virus habent §. 469.
Vulnera Capitis §. 476.
Vulnera faciei §. 577.
Palpebrae superioris casus §. 576.
Hydrophtalmus §. 581.
Ectropium §. 583.
Sutura palpebra §. 586.
Vulnera oculorum §. 587.
Staphyloma §. 588.
Vulnera Nasi §. 593.
Vulnera Malarum §. 595.
Vulnera Aurium §. 597.
Vulnera Labiorum §. 600.
Labrum leporinum §. 599.
Lingua Vulnera §. 607
Resolutio Lingua §. 606
Vesiculi sub Lingua §. 609.
Cervicis vulnera §. 610
Vulnera Colli §. 611.
Bronchotomia §. 615.
Vulnera stomachi §. 620.
Vulnera pectoris §. 621.
Empyema §. 623.

Vulnera abdominis §. 696.
Enterorraphe §. 694.
Gastrorraphia §. 703.
Vexata, seu contusa §. 707.
Oedema §. 717.
Hydrocephalum §. 745.
Hydrophthalmia §. 755.
Paracentesis §. 756.
Tumores tunicarum oculi §. 76
Chalazion §. 771.
Pladarosis §. 774.
Ganglion §. 777.
Polypus narium §. 777.
Hernia §. 769.
Exomphalos §. 802.
Hernia ventris §. 812.
Bubonocele §. 818.
Ischiocele §. 843.
Cystocele §. 851.
Hydromphalos §. 853.
Sarcomphalos §. 854.
Sarcocele §. 855.
Hydrocele §. 862.
Hydrops scroti §. 874.
Cirsocele §. 876.
Phymosis §. 878.
Edema praeputii §. 883.
Paraphimosis §. 883.
Clavus §. 891.
Ulcus §. 893.
Herpes §. 920.
Porrigo §.
Aphthae §.
Ulcera, quae arte fiunt §. 91.

Index

Prolegomena de Chirurgiæ definitione, eius cum medicina nexu, atq; Chirurgi, et Medici in casibus chirurgicis officio — — — — — §.
De varia Chirurgi supellectili, instrumentorum, fasciarum, et linamentorum apparatu — — §.
De Inflammatione §. 2
De Phlegmone §. 72.
De abscessu §. 64
De Furunculo §. 102.
De Varis §. 103
De Carbunculo §. 107.
De Mammarum inflammat. 113.
De Parotidum inflammatione 119
De Bubone §. 123
De Testiculorum inflammatione 129
De Tonsillarum inflammatione 134
De Angina §. 136.
De Paronychia §. 140.
De erysipelate §. 156.
De Gangrena, et sphacelo §. 169.
Adusta §. 213.
Amputatio membrorum §. 227.
Scirrhus, et Cancer §. 234.
Ophtalmia §. 265
Vitia Oculorum ex inflammatione orta — — —
Ulcera Corneæ §. 309.
Cicatrices Corneæ §. 317
Unguis §. 320
Hypopion §. 321.
Pterigium, et panniculus §. 324.

Fistula §. 943.
Fistula lacrymalis 954
Fistula ani §§. 969
Hæmorrhoides 1015
Condylomata §. 1020
Ani procidentia §. 1023.
Anus præclusus §. 1027.
Vitium Morbi 1029.
Dentium Morbi §. 1075
Luxata 1091.
Ancylosis §. 1215
Fracta §. 1220
Sanguinis detractio per venas 12
Suffusio, seu cataracta §. 1302.
Glaucoma §. 1310.
Amaurosis, seu gutta serena §. 132
Strabismus §. 1329.
Urinæ reddendæ difficultas §. 133
Catheterismus §. 1339.
Paracentesis vesicæ §. 1346.
Sectio perinæi §. 1350.
Fistula perinæi §. 1356.
Varia pro calculosis curationes 135
De partu secundum naturam, et
de Embryulcia §. 1412. 1413
Atresia §. 1443
Uteri procidentia §. 1445.

Finis.

Dissertatio de Chirurgia Artis Medicæ parente pag. 377.

Dissertatio de Fistula lacrymali pag. 691.

Fin